ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

Metrop. Eccleſiae Neap. Canonici, in Reg. Gymnaſ. Neapolitano S. Scriptur. Interpretis

SPICILEGII BIBLICI

TOMVS III.

QVO ADNOTATA

IN

NOVI TESTAMENTI

LIBROS CONTINENTVR.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

NEAPOLI. EX REGIA TYPOGRAPHIA

ANNO CIↃIↃCCLXXVIII.

Digitized by Google

Digitized by Google

LECTORI BENEVOLO.

TYPOGRAPHVS.

QVOD diu hactenus, multumque omnium elegantioris literaturae hominum votis expetitum fuerat, prodit nunc demum tertium idemque ultimum Biblici Spicilegii *Mazochiani* volumen: quod utinam praeclarissimus Auctor secundis ipse curis ad unguem castigasset, atque uberiori eruditionis suae copia, quod in duobus prioribus praestitit, plane cumulatum in lucem adspectumque omnium produxisset. Nunc quando mors si minus illi immatura, nobis certe importuna hoc etiam, ut alia non pauca ejus summi viri praeclare scripta, invidit; id dedimus operam, ut Tomus hic ita saltem, uti erat olim ab Auctore perscriptus publico permitteretur: quum praesertim tanta fuerit ejus viri enodandi, exornandique res quasque difficillimas felicitas, ut quaecunque ipse praefestinanter, ac tumultuario velut opere commentus esset, ea vel laboriosissimas, diuque evigilatas aliorum lucubrationes facile antecellerent. Itaque est, quod diu in posterum tanti viri jacturam doleant justi bonarum literarum aestimatores. Nos interim quid potissimum in hoc volumine edendo praestiterimus, tum quantus per nos Mazochianis scriptis honos habitus sit, breviter lectores monitos volumus.

Intenderat jampridem Capuae animum Mazochius ad Bibliorum studia, tum porro in iis majorem etiam operam collocavit jam inde ab eo tempore, quum ab Clementissimo Siciliarum Rege Carolo Sacram Scripturam publice interpretandi munus ultro ei delatum fuerat. Itaque brevi eo studio effectum est, quae fuit illius ingenii in quavis re perficienda celeritas cum summa eruditione conjuncta, ut plurimae, minimeque vulgares observationes cum in Vetus, tum in Novum Testamentum in justam plurium voluminum molem succrescerent, quas quum typis quamprimum committere constituisset, vix dici potest, quot literariae curae aliae ex aliis propositam editionem semel, atque iterum molientem distinuerint: donec eo demum ventum est, ut extrema senectute, accisis jam ac prope dilapsis viribus, id opus aggredi necesse fuerit, quod integra aetate, nondum affecta senectutis vitio valetudine perficiendum fuerat. Igitur senio pene confectus ad loculos accessit Mazochius, ubi relatas olim in adversaria animadversiones suas aut retexens, aut etiam, prout se dabat res, uberiori luce perfundens, eo rem perduxit, ut priores duos Spicilegii Biblici in Vetus Testamentum Tomos praesens ipse publicae usurae fecerit.

Digitized by Google

Tertius hic Tomus, observationes in Novum Testamentum complectens, restabat, cui cum jam in eo esset, ut diligentiorem manum admoveret, elanguescentibus diuturno, continentique labore viribus, mentis etiam praestanti illo, ac prope divino acumine destitutus est. Itaque in posterum vir tantus nulla fere memoria usus est. Hinc & eo superstite, & toto ipso tempore illius mortem consequuto ad hanc usque diem delituere in forulis Mazochianae in N. Testamentum observationes, ac porro etiam delituissent, nisi & frequentes eruditorum expostulationes earum editionis maturandae desiderium concivissent, & Cl. V. Philippi Mazochii ejus ex fratre filii religiosissime illas custodientis diligentia abunde suppeditasset, unde publicis omnium votis cumulate per nos satisfieret. Habes igitur, Lector, eas ipsas animadversiones, quas jampridem ille in scriniis suis reposuerat, singulis quasque foliis separatim adnotatas, eo scilicet consilio, ne quam sibi perturbationem olim eas retractanti faceſſeret continens scripturae series; tum ut si quid novi, aut limatius eumdem locum identidem rimanti succurreret, potuisset id nullo negotio ad ejusdem folii calcem attexere. Atque hinc saepe videas unum, eumdemque S. Scripturae versiculum iterum, ac tertio longe alia animadversione illustratum: cujus quidem varietatis ea fuit causa, quod cum saepius eamdem rem versaret animo, si quid succurrisset, id raptim objectae chartulae adscribebat, eamque prioribus ejusdem loci adversariis applicabat, eo consilio, ut e pluribus commentationibus eam olim seligeret typis mandandam, quam prae ceteris probasset. Nos vero maluimus idem, semel, atque iterum inculcando fastidium Lectori creare, quam quidquam eorum, quae ille olim scripsisset detractum ire. Etsi quodnam esse potest Mazochium legentis fastidium, cujus id prope unicum, ac singulare fuit, ut quidquid ipse, & quoque modo scriberet, legentis animum non secus, ac nautarum quondam aures sirenum cantus insolenti quadam voluptate perfunderet, ac, si dici fas est, veluti fascinaret?

Quocirca dabunt hanc nobis veniam politioris literaturae homines, si in postumo hoc Mazochii partu edendo aliquanto religiosiores fuimus. Quod eo etiam ad ravim usque Lectores monemus, ne cui suspicioso in mentem veniat aliter haec, atque ab ipso Auctore perscripta olim, digestaque fuerant, evulgata per nos fuisse. Quid quod ne iis quidem chartulis supersederimus edendis, ubi Auctor ipse appinxerat, Occupatum a Grotio, Occupatum a Calmeto? *Namque non raro fiebat, ut Mazochius, ubi suis adversariis quid jure suo, tamquam e solo suo natum, commisisset; postea animadverteret, idem antea in mentem veniſſe vel Grotio, vel Calmeto, deque ea ipsa opinionum conspiratione lectorem in extrema chartae ora commonefaceret. Itaque nihil*

ejus

Digitized by Google

ejus ſcriptorum, ne verbum quidem, reſignatum eſt, nihil imminutum, nihil adjectum, aut quovis modo retextum, detractumque. Cujus quidem rei praeter dicta hactenus, argumento eſſe poſſunt Diſſertationes plurimae huc illuc ſuis quaeque locis ſparſae, eruditiſſimae illae quidem, & Mazochio ſuo non indignae, ſed quae tamen habitu ipſo, ornatuſque parcitate operoſiorem, ac largiorem Auctoris manum deſideraſſe ſe produnt. Ita enim ferme ſecum rationem iniverat Mazochius, quum ad eas ſcriptitandas animum appulit, ut non omnia, quidquid in praeſens argumentum ſtataria velut meditatione extundi poterat, chartae illineret, ſed pleraque in praeſenti omitteret, olim plenius, atque cumulatius tractanda, cum (quod illi familiare fuit) ea praelo ſupponeret. Itaque illae merito velut lineamenta quaedam videri poſſint, quibus cum & pigmenta varia aſperſeris, & ſaturum colorem ſollerti manu induxeris, tum demum formam juſti operis nanciſcentur. Haec vero nolumus perinde accipi, quaſi vero illae ita jejunae, atque inanes ſint, ut non cuicunque quantumvis emunctae naris plus ſatis probare ſe poſſint: ſed quod ſi has cum prioribus duum voluminum Diſſertationibus conferas, facile Mazochii quidem ingenium deprehendas, Mazochianam vero limam illam ſane quam rigidam, copiamque non item ſentias.

Ceterum, ſi hoc unum, Lector, ſemel aequi, bonique feceris, tum illud confidenter pronuntiamus nihil fore hic, quod non vel faſtidientiſſimo palato ad ſatietatem ſapiat. Neque enim ulli aut operae, aut ſumtui, aut induſtriae pepercimus, quo rite omnia, apte, caſtigateque procederent, ſive quod praeclariſſimus Auctor, ac de poſterorum memoria optime meritus jure quodam ſuo id a nobis repetere videbatur, ſive quod res ipſa digna per ſe fuit, cui diligentiſſime advigilaretur. Ad ſummam in hoc tertio volumine edendo, exornandoque hanc ipſi nobis legem ſat gravem ſanximus, ut omnia perinde accurarentur, ac ſi mox e typographio ſuperbiſſimum Auctoris judicium eſſent ſubitura, neque quidquam huc irreperet, cujus ille, ſi adhucdum in humanis ageret, merito auctoritatem defugere poſſet.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTVS

EORVM QVAE IN HOC TOMO CONTINENTVR.

SPICILEGIVM OBSERVATIONVM LITERALIVM IN MATTHAEVM *p.* 1.

DISSERTATIONES
Ad quaedam Matthaei loca.

Dissertatio I. Ad Matth. IV. 2. De Jejunio 67.
Dissert. II. Ad Matth. XXIII. 14. De Quaestu Pharisaeorum 69.
Dissert. III. Ad Matth. XXIII. 15. De Zelo Pharisaeorum 72.
Dissert. IV. Ad Matth. XXVI. 27. De Aquae, Vinique modo in calicis oblatione 76.

IN MARCVM *p.* 79.

DISSERTATIONES
Ad quaedam Marci loca.

Dissert. I. Ad Marci X. 38. de Baptismo Sanguinis 88.
Dissert. II. Ad Marci XIV. 51. 52. De Christi Servatoris Sindone, de Sudario, de Fasciis Sepulcralibus, aliisque lineis indumentis 89.
Dissert. III. Ad Marci XV. 43. & seq. Lucae XXIII. 50. & seq. aliosque Evangelistas.
De S. Josepho ab Arimathaea. Et ex occasione De βυλαῖς (*curiis*) Urbium Judaicarum, aliisque Curialium dignitatum gradibus 101.

IN LVCAM *p.* 111.

DISSERTATIONES
In quaedam Lucae loca.

Dissert. I. Ad Lucae III. 1. De Tetrarchiae significatione 159.
Dissert. II. Ad Lucae X. 52. De clavi scientia 163.

Dis-

Digitized by Google

DISSERT. III. Ad Lucae XXI. 23. & I. ad Corint. VII. 26. & II. ad Corint. VI. 4. XII. 10. & I. ad Theſ. III. 7.
De Helleniſtica proprietate vocis Ἀνάγκη i. e. *Neceſſitas*. Ex occaſione autem de quibuſdam ejuſdem notionis Helleniſticis vocibus, veluti Θλίψεως *Tribulationis*, Στενοχωρίας *Anguſtiæ* 164.

IN JOHANNEM *p.* 168.

DISSERTATIONES
Ad quaedam Johannis loca.

DISSERT. I. Ad Johann. XII. 6. De Notione verbi ΒΑΣΤΑΖΩ 215.
DISSERT. II. Ad Johann. XIX. 41. De Cepotaphio Chriſti Domini 219.
DISSERT. III. Ad Johann. XXI. 7. De Ependyte, & Subitario Petri ſuccinctorio 225.

IN ACTVS APOSTOLORVM *p.* 231.

DISSERTATIONES
Ad quaedam Act. Apoſt. loca.

DISSERT. I. Ad Act. Apoſtol. XXII. 8. De *Sandalio*, *Caliga*, *Calceo*, *Solea*, *Talaribus*, *Cothurno*, *Perone*, *Socco*, *Mulleo*, *Tzanga*, *Ocrea*, de quorum Etymologia fruſtra litigatur, quum ſint orientalia calcei vocabula 286.
DISSERT. II. Ad Act. Apoſt. XVI. 13. De Synagogis, & Proſeuchis 291.
DISSERT. III. Ad Act. Apoſt. XIX. 10. De Gentilibus, & Paganis 294.
DISSERT. IV. Ad Act. Apoſt. XIX. 12. De Semicinctio, aeque ΦΑΚΕΟΛΙΩι 297.

IN PAVLI EPISTOLAS.

Ad Romanos 301.
I. Ad Corinthios 309.
DISSERT. Ad I. Cor. XIV. 26. p. 325.
II. Ad Corinthios 328.
DISSERT. Ad II. Cor. VIII. 19. p. 333.
Ad Galatas 336.
Ad Epheſios 340.
Ad Philippenſes 344.
Ad Coloſſenſes 345.
I. & II. Ad Theſſalonicenſes 348.
I. & II. Ad Timotheum 350.
Ad Titum 359.
Ad Philemonem 361.
Ad Hebraeos 362.

IN

Digitized by Google

IN CETERAS EPISTOLAS CANONICAS, ET APOCALYPSIN.

Jacobi 364.
Ad Epiſtolas Canonicas Petri 366.
Johannis 371.
Judae 374.
In Apocalypſin ibid.

ERRATA SIC CORRIGE.

Pag. 51. v. 9.	*Geminen*	*Genimen*
P. 52. v. 40.	Scriptura	Scripturae
P. 59. v. 29.	*oſculoſque*	*oculoſque*
P. 108. n. (37) v. 2.	LXII.	XXII.
P. 134. v. 39.	inferi	inferri
P. 160. v. 15. col. 2.	Adtione	Adnotationem
P. 180. v. 12.	uſurpaſſe	uſurparint
P. 184. v. 5.	ſibi Evangeliſta	Evangeliſta
P. 191. n. (*) v. 11. col. 2.	uſurpata fuiſſe	uſurpata
P. 297. v. 7. col. 1.	*ſaequiore*	*ſequiore*
P. 298. n. (1) v. 8.	vertebam	vertebram
P. 327. n. (**) col. 1. v. 2.	Damaſcum	Damaſum

Digitized by Google

SPICILEGIVM

OBSERVATIONVM LITTERALIVM

IN MATTHAEVM

AD MATT. I. 6.

DAVID *autem rex genuit Salomonem*] Hinc jam ad Joſephum uſque immane illud, quod Matthaeum inter Lucamque diſcidium cernitur, vix eſt ut felicius ſe quiſquam conciliaturum ſperet, quam una illa ratione, quam ſequitur Grotius, ratus Lucam nativitatis ſeriem fuiſſe ſecutum, Matthaeum vero juris ſucceſſionem, ſive jus ad regiam dignitatem ſpectaſſe. Id νόμιμον per eos, quos Matthaeus recenſet, a Davide ad Joſephum tranſmittebatur; qui tamen Joſeph longe alios ſanguinis ſui auctores habuit, eos nempe, quos Lucas annumeravit. Atque haec indicaſſe ſufficiat: nam quidquid eſt ſalebrarum in his ſtemmatibus, eorum explanationem ab aliis, & ab eodem Grotio petas velim. Proderit autem, opinor, hujuſce ipſius, quam modo poſui, viae atque methodi exemplum aliquod ex Romana litteratura afferre. Sane ſi quis Severi Imp. genealogiam exemplo Lucae contexere voluiſſet, nae is obſcuras nobis perſonas, quas nunc ignorat hiſtoria, obtruſiſſet, ad quos ille genus ſuum ἰδιωτικὸν referebat. At vero in ſexcentis inſcriptionibus longe aliter ſtemma contexitur, ea nimirum quam Matthaeus ſibi propoſuit, methodo, per eos principes, per quos ad eum monarchia pervenit, quos non dubitat Severus ſuos parentes appellare, quaſi ſi genuiſſent. Talis eſt inſcriptio Capuae prope praetorium:

IMP. CAES. DIVI M. ANTONINI
GERM. SARM. FIL. DIVI COMMODI
FRATRI DIVI ANTONINI PII NEPOT
DIVI HADRIANI PRONEPOTI DIVI
TRAIANI PARTHICI ABNEPOT. DIVI
NERVAE ADNEPOTI
SEPTIMIO SEVERO PIO PERTINACI
ARABIC. ADIABENIC. P. P. PONTIF. MAX
TRIB. POT. IIII. IMP. VIII. COS. II. PROC
COLONIA CAPVA

Ceterum de eo, quod Matthaeus συνθετικῶς, Lucas vero κατ' ἀνάλυσιν ſtemma pertexuit, vide quae ad Luc. III. 23. ſubnotavimus.

AD MATT. I. 18.

Antequam convenirent, inventa eſt &c.] Πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτούς. At in Bod-

lejanae

lejanae biblioth. duobus MSS. deeſt αὐτὸς; quae ſcriptura ſi vera ſit (nolo enim id praeſtare adverſus aliorum conſenſum) τὸ συνελθεῖν ad Mariam ſolum referetur hoc ſenſu; *Antequam conveniret*, in manum ſcil. Nam adhuc deſponſa tantum erat, non item uxor. Quid ſit *uxores viro in manum convenire*, juris Romani interpretes docebunt. Uxores in manum conveniendo adgnaſcebantur marito; ferme ut ea Romani juris phraſeologia Judaeis feminis tribuli, quod Maria fecit, nubentibus non inepte accommodetur. Multae in his ſcriptoribus reperiuntur Latinae voces, aut etiam locutiones: nec aliter fieri poterat propagatis cum imperio urbis Dominae moribus.

Videantur de hoc loco a me dicta in Diatr. II. quae eſt de ritibus ſponſalitiis, quam inſerui Diſſertationi Muſcettulae.

AD MATT. I. 19.

Joſeph autem vir ejus cum eſſet juſtus, & nollet eam traducere] Inter ceteras τῆ δικαίῳ interpretationes placet magis illa, qua δίκαιος pro ἐλεήμων poſitum creditur. Nam bene notarunt viri docti idem Hebraeis eſſe צדקה *tſedakah* ac חסד *cheſed*, idemque δικαιότητα atque ἐλεημοσύνην. Neque id video ab antiquiſſimorum Graecorum ſermone alienum. Hom. Od. XVII. Pallas hortatur Ulyſſem mendici veſte contectum, ut panes a procis corrogaret v. 363.

Γνοίη τ' οἵ τινές εἰσιν ἐναίσιμοι, οἵ τ' ἀθέμιστοι.
Quo pacto queat injuſtis dignoſcere juſtos.

Nollet eam traducere] Graece παραδειγματισθῆναι. In epiſtola Eccleſiae Lugdunenſis de ſuis martyribus apud Euſeb. V. hiſt. 1. ad capitis finem de inhumatis martyrum corporibus ob gentilium ſaevitiam ait: τὰ οὖν σώματα τῶν μαρτύρων παντοίως παραδειγματισθέντα καὶ αἰθριασθέντα ἐπὶ ἡμέρας ἕξ &c.

AD MATT. I. 20.

Ecce angelus domini apparuit in ſomnis] Angelorum vocabulum pro bonis ſpiritibus Ethnici poſtea a Chriſtianis hauſere, ut Ariſtides, Alexander Aphrodiſienſis in Topica, Porphyrius, Simplicius, Hierocles, qui in Schol. Hermog. pag. 8. ἀγγέλους, at pag. 11. δαίμονας ἀγγελικοὺς appellat.

AD MATT. I. 25.

Peperit filium ſuum primogenitum] Lactantius in I. Inſtit. 5. *Orpheus qui & vetuſtiſſimus poëtarum, & aequalis ipſorum Deorum . . . Deum verum & magnum, πρωτόγονον id eſt primogenitum appellat.*

AD MATT. II. 1.

Ecce Magi &c.] Dubitatur utrum iſti magicis artibus addicti fuerint, an vero in bonam partem hic Magi accipiantur, ut ſit ſapientum nomen. Jam alii clari nominis Patres notarunt, qui priorem ſententiam tuerentur. Neſcio an in hunc cenſum retulerint Ignatium epiſt. ad Epheſios pag. 28. editionis Voſſianae. Ibi de novae ſtellae ſplendore locutus, addit: Ὅθεν ἐλύετο πᾶσα μαγεία &c. Quod ad Magos hoſce indubie ſpectare videtur.

AD MATT. II. 2.

Vidimus ſtellam ejus in oriente, & venimus adorare Dominum] Concertationem de patria Magorum dirimere difficillimum eſt. Jam viri docti animadverterunt *Orientis* nomine in Scripturis venire Chaldaeam, Meſopotamiam & Arabiam: ſed

Digitized by Google

ſed ex qua earum trium regionum Magi ſint arceſſendi, adhuc ſub judice lis eſt. Equidem pro Arabia ſteterim, non ſolum propter illa vaticinia: *Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes*, nec non *Reges Arabum & Saba dona adducent*, aliaſque rationes a viris eruditis adductas, verum etiam, perpenſa notione verbi ἥλθομεν, quo hic utuntur Magi. Nam in Vetere Novoque Inſtrumento *aſcendere* dicuntur ii, qui ex depreſſiore loco in eminentiorem proficiſcuntur; unde illae locutiones, *Aſcendere ex Aegypto*, *deſcendere in Aegyptum*, *aſcendere Hieroſolyma*, &c. Chaldaea autem & Meſopotamia fluminibus uſquequaque irriguae, longe humiliores ſunt prae Judaea, ut omnes norunt. Quocirca dicere debuiſſent Magi ἀνήλθομεν *aſcendimus*. Quod ſi illos ex Arabia deduxerimus, praeſertim ex montanis Arabiae; tum bene ſane ac proprie dixerint ἥλθομεν, tamquam ex aequo loco profecti. Sed videtur admodum infirma ratio haec quae ex omiſſione particulae componente ἀνα petitur. Ceterum ערבים *Arabim*, quaſi *occidentales* appellati, reſpectu regionum trans Euphratenſium, quae Orientis nomine ſignantur. Nec uſquam memini Arabiam *orientis* appellatione notatam. Nec demum Palaeſtinae reſpectu Arabia orientalis erat, ſed meridionalis potius. Ergo illud *ex oriente* Arabiae vix aut nullo modo conveniet.

AD MATT. II. 3.

Et omnis Jeroſolyma cum illo] Vide Grotium hîc, qui acute notat πᾶσα Ἱεροσόλυμα ſic dictum eſſe, quaſi ſi quis Latine diceret *omnis* (ſupple civitas) *Suſa* aut *Bactra*: profanos quippe aeque ac ſacrorum codicum ſcriptores hanc civitatem numero plurium extuliſſe: Ciceronis vero locum unum Or. Pro Flacco, Taciticque alterum numero ſingulari uſurpantium, mendae ſuſpectos eſſe. Si vera ſit illa apud Grut. p. 244. 6. inſcriptio Tit. imp. poſita, in ea VRBEM HIEROSOLYMAM legitur. At hujus inſcriptionis locus non aſſignatur, eamque ab Onuphrio confictam Scaliger ſuſpicabatur. Interim fatendum eſt, hoc Matthaei loco Latinum interpretem & Patres falſos, Hieroſolymam numero unius ſaepiſſime uſurpaſſe. Sed ut Grotio conceſſerim Ἱεροσόλυμα heic numero multitudinis poſitum; non inde tamen fiet illo aevo, quo haec translatio facta, non Jeroſolymam ſingulari numero dictam. Nam & locorum neutra pluralia ſequior aetas per feminina ſingularia extulit. Sic quae Graece τὰ Τύανα dicebantur, ea Vopiſcus Aureliano cap. 22. *Tyanam* appellavit ut & cap. 24. & 25. Aurelianus ipſe in epiſtola ibidem cap. 23. non aliter poſuit.

AD MATT. II. 4.

Scribas populi] Scribarum magiſtratus in Aſia proconſulari frequens fuit, uti demonſtravit Spanhemius in De uſu & praeſt. num.

AD MATT. II. 5.

At illi dixerunt ei: In Bethleem Judae &c.) Antea in Itala verſione *Judaeae* hîc legebatur: quod Hieronymus in *Juda* mutavit. *Librariorum*, inquit, *hic error eſt: Putamus enim ab Evangeliſta primum editum, ſicut in ipſo Hebraico* (Evangelio, opinor, Nazaraeorum) *legimus, Judae, non Judaeae. Quae eſt enim aliarum gentium Bethlehem, ut ad diſtinctionem ejus hic Judaeae poneretur? Judae autem iccirco ſcribitur, quia eſt & alia Bethlehem in Galilaea ... Denique & in ipſo teſtimonio, quod de Michaeae prophetia ſumtum eſt, ita habetur: Et tu Bethlehem terra Juda.* Quid ſibi vult hîc Hieronymus? Judaeae vocabulum Hieronymi aetate & paſſim apud Romanos hiſtoricos patebat latiſſime, itaut & Galilaeam & Samaritidem

dem & omnem omnino Palaeſtinam complecteretur. Eoque dixit Hieronymus non apte in Itala verſione legi *in Bethlehem Judaeae*, quaſi ſi alia eſſet quaedam extra Palaeſtinam Bethlehem: reſcribi vero oportere *in Bethlehem Judae* ad diſtinctionem alterius Bethlehem in tribu Zabulon in Galilaea. Nam Judaea (ex Hieronymiana notione) etiam Galilaeam complectebatur; at ſors Judae a Zabulonitica portione & Galilaea eſt diverſiſſima.

Verum quod locum Matthaei attinet: bene ſive Matthaeus, ſive quisquis ejus Evangelium in Graecum ſermonem transfudit, Ιουδαίας poſuit: nam in Novo Foedere arctior eſt Judaeae ſignificatio, ita ut ſit provincia a Galilaea & Samaritide diſtincta, uti patet ex hoc ipſo Matthaei capite v. 22. & Lucae III. 1. Joſephus quoque Judaeam a ceteris diſtinguit Palaeſtinae provinciis. Cum ergo dicitur *in Bethlehem Judaeae*, hoc ad diſcrimen Bethlehem Zabuloniticae in Galilaea poſitae pertinet; quia ſermone Evangelico Judaea nihil commune habet cum Galilaea. Itaque in omnibus editis & MSS. hic, ubi Evangeliſta loquitur, Ιουδαίας conſtantiſſime reperitur: etſi in ſequenti commate in allato Michaeae vaticinio alibi Ιουδα, alibi Ιουδαίας legitur.

AD MATT. II. 9.

Uſque dum veniens ſtaret ſupra, ubi erat puer] Nota ſunt, quae Magnus Gregorius contra genethliacos notat in hunc locum. *Dum non puer ad ſtellam, ſed ſtella ad puerum cucurrit, ſi dici liceat, non ſtella fatum pueri, ſed fatum ſtellae is, qui apparuit, puer fuit.* Deinde poſt pauca: *Si ſtella fatum hominis dicitur, ipſis ſuis miniſteriis ſubeſſe homo perhibetur.* Illud non omnibus notum quod ineditus quidam ſcriptor Chriſtianus idemque Platonicus (in dialogo, qui Hermippus inſcribitur, & aſtrologicae diſciplinae apologiam ita continet, ut tamen ab aſtris effici τὰ συμβαίνοντα neget, προσημαίνεσθαι affirmet) de ſtella iſta apud Matthaeum ſic diſſerit apud Fabricium to. 2. bibl. Graecae ad finem pag. 514. Καὶ μὲν ὁ ἐπὶ τῆς τοῦ Θεοῦ Λόγου γενέσεως ἀστὴρ τοῖς μάγοις ἡγεῖτο (καὶ μὴ μεμφέσθω τις τοιούτοις παραδείγμασι χρωμένοις, ἀλλ' εἴτις συνετὸς, φιλοχρινάτω τοῖς λεγομένοις, βέβηλοι δὲ θύρας ἐπίθεσθε) ἐκεῖνος τοίνυν οὐχ ὅτιγε ἔφαίνη καὶ τὸς μάγους συνεφελκύσατο, τὴν γένεσιν ἀπετέλεσεν, ἀλλὰ τἐναντίον τελεμένην ἐσήμανεν, οἷον εἴτις κῆρυξ καὶ προαγγελεὺς τοῦδε καλοῦ γεγονάς

AD MATT. II. 17. 18.

Tunc adimpletum eſt, quod dictum eſt per Jeremiam prophetam dicentem: Vox in Rama audita eſt, ploratus & ululatus multus: Rachel plorans filios ſuos, & noluit conſolari, quia non ſunt] *Conſolor* paſſivum, frequens in Vetere Interprete, indicio eſt, ſic tum vulgus archaiſmorum tenax loqui conſueviſſe. Q. Metellus apud Gellium XV. 13. *Quem animum veſtrum erga me video, vehementer conſolor.* Sic & *Conſolo* activum, apud Nonium ex Varronis loco in Oedipothyeſte: *Per idem tempus Oedipus Athenas exſul venire dicebatur, qui conſolaret.* Verum haec levia. Illud gravius, quonam ſenſu Jeremiae verba in caedem Bethleemiticam conveniant, litterali ne, an tantum accommodatitio, uti vocant. Poſteriorem hunc viri eruditi non pauci, & in iis nuper Calmetus, praetulerunt. Verum ſi Matthaeus in mera alluſione ad Jeremiae locum (qui ceteroqui decem tribus a Salmanaſare abductas ſpectat) haeſiſſet, dixiſſet forſitan, *ſicut ſcriptum eſt*, aut aliis verbis meram loci accommodationem notantibus. Nunc diſerte ac rotunde dixit: *Tunc adimpletum eſt* &c. Quo fit, in Jeremiae verbis veram ineſſe caedis Herodianae

Digitized by Google

dianae vaticinationem. Et quidem jam viri docti demonſtrarunt, poſſe eumdem Prophetae locum duplex implementum habere, ut *abominatio deſolationis* non tantum ſub Antiocho, ſed & ſub Veſpaſiano, *ſtetit in loco ſancto* ex Matthaeo. Sic idem hoc Jeremiae oraculum bis impletum videtur, ſemel in decem tribubus, iterum in infantibus Bethleemiticis. Quidquod illa decem tribuum abductio jam olim ſub Salmanaſare contigerat? Ex quo fit, hiſtorice & ἀμέσως ibi de abductione illa agi, at Prophetice caedem Bethleemiticam ſpectari; quorum uterque ſenſus proprius & litteralis eſt. Quid ſi haec verba apud Jeremiam ita vaticinationi de reditu Ephraimi infinduntur (idque non ſine peculiari Divini ſpiritus afflatu) ut ea in decem tribuum abductionem non belle conveniant, ac nonniſi de caede Bethleemitica vera deprehendantur? Extremum certe Jeremiae illud אֵינֶנּוּ *enennu*, *Non ſunt*, non video quo pacto de captivis verum ſit, qui non necati fuerant, ſed dumtaxat alio deportati. Nec enim tum nota erat Romani juris ſubtilitas, in quo maxima capitis deminutio mors quaedam civilis eſt. At ſi ea verba pro caedis innocentium vaticinatione ſumas; tum illud *Non ſunt*, quod κατ' εὐφημισμὸν (*) veram mortem deſignat, re ipſa impletum reperietur. Non eſt autem Prophetis inſolens, dum de una re agunt, in eaque toti ſunt, inſerere ſententias aliquas, quae nonniſi in Chriſto aut Eccleſia complendae eſſent. Sic David ita plerumque de Salomone orditur, ut deinde totum ſe ad Chriſtum transferat, atque ea dicat, quae in Salomonem nullo modo conveniunt.

AD MATT. III. 2.

Poenitentiam agite: appropinquavit enim regnum caelorum] Verba ſunt legati *dedicantis mandata* (*a*) uti veteres loquebantur; quod nunc dicimus *ſpiegar l'imbaſciata*. Olim in dedicandis mandatis iisdem plane verbis utebantur, uti conſtat tum ex Moſis legatione ad Pharaonem, tum etiam ex Homeri legationibus, apud quem qui mittuntur, eoſdem verſus ſine ulla vel minima mutatione (*b*) recitant. Et quidem Joanni de praeconio data fuiſſe mandata ex non uno Evangelii (*c*) loco conſtat. Iis vero mandatis Joanni datis non tantum poenitentia nuntianda, ſed & *Regni caelorum* jam appetentis diſerta mentio continebatur. Alioqui unde nam novam prorſus locutionem, nuſquam in vetere pagina uſurpatam (nam Judaei prophetiae litteram ſecuti terrenum, non caeleſte, regnum in Meſſia praeſtolabantur) Joannes arceſſiviſſet? Sed regis nuntius & anteambulo (cujus partes erat Judaeos ad Chriſti

(*) Tibullus:

Vivite felices, memores & vivite noſtri,
Sive erimus, ſeu nos fata fuiſſe velint.

Imitantur hoc & Graeci tituli: ut ad finem Graeci epigrammatis Nicomedis Medici apud Spon. pag. 131. ΕΥΨΥΧΩ ΝΙΚΟΜΗΔΗΣ ΟΣΤΙΣ ΟΥΚ ΗΜΗΝ ΚΑΙ ΕΓΕΝΟΜΗΝ ΟΥΚ ΕΙΜΙ ΚΑΙ ΟΥ ΛΥΠΟΥΜΑΙ ΖΗΣΑΣ ΕΤΗ &c. *Bono animo ſum Nicomedis, qui non eram, deinde fui, non ſum nec maerore afficior. Vixi annos* &c. In Florentina inſcriptione apud Spon. ſect. 1 art. 7. p. 24. OSSA .... RVFAE · QVAE · FVIT (κατ' εὐφημισμὸν pro *mortua eſt*, ut ἐβίωσεν apud Plut. in Cic. de Catilinae conjuratis &c.) ROGO · PER · SVPEROS · QVI · ESTIS · OSSA · MEA · TVEATIS ·

(*a*) Caecilius apud Nonium in *Dedicare*: *Legati quo miſſi ſunt, veniunt: dedicant mandata*: ſpiegano l'imbaſciata.

(*b*) Vide, quae notavimus ad Geneſ. pag. XIX.

(*c*) De mandatis Joanni datis conſtat ex Luc. III. 3. *Factum eſt verbum Domini ad Joannem Zachariae filium in deſerto*. Et clarius Jo: I. 33. *Qui miſit me baptizare, ille mihi dixit* &c.

Digitized by Google

Christi ministerium praeparare) ut qui cum Rege, uti par erat, ex compacto ageret, non alio quam *regni caelorum* vocabulo utitur, quo postea vocabulo Christus usurus erat: nimirum ut paullatim Judaei a terreni spe regni avocarentur, & ad sublimiora erigerent animos; ac ne, ubi Christus *de Regno caelorum* crebro verba facturus esset, ad novae atque inauditae locutionis usurpationem stuperent.

AD MATT. III. 5.

Tunc exibat &c.] Gr. ἐξεπορεύετο. Familiaris haec in Scripturis χυριολογία, ut Joh. XVIII. 1. Jesus ἐξῆλθε trans torrentem Cedron. Sic etiam *ascendere in Jerusalem, descendere in Aegyptum, Caesaream* &c. Nec ferme aliter Orientalium sermo obtinebat; ut diversa motus localis genera exacte describerent. Nam quia Joannes ἐν τῇ ἐρήμῳ morabatur; non tantum *ire* sed *exire* ad eum, ex urbibus utique ac vicis, Judaei dicuntur. Non ergo assentior Spanhemio, Ligfooto & aliis, qui τὴν ἔρημον hujus capitis initio negant vastam solitudinem significare, aut Joannem loca sola incoluisse, sed in habitatis locis cum hominibus versatum. Vide & Matt. XI. 7. & Luc. VII. 24. ubi similis locutio occurrit; *Quid existis in desertum videre?*

AD MATT. III. 6.

Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua] En cur *baptismus poenitentiae* vocabatur: nam confessio ad poenitentiam pertinet. Idque sibi Tertullianus de baptismo cap. 20. voluit, ubi plura de poenitentia catechumenorum praefatus, addit *Cum Confessione omnium retro delictorum, VT EXPONANT* (h. e. facto suo declarent Matthaei locum de confessione lotorum ab Joanne) *etiam baptismum Joannis: Tinguebantur, inquit,* (nempe Matt. III. 6.) *confitentes delicta sua*. De hoc Septimii loco plura dixi ad Act. XIX. 18. quo simul plura contuli, quae hujus etiam loci sunt.

AD MATT. III. 7.

Videns autem multos Pharisaeorum] De sectis Judaeorum occupata jam omnia. Josephus, si probe memini, Pharisaeos cum Stoicis, Sadducaeos cum Epicureis comparat. Ab Josepho credo hausit Porphyrius, cui in secundo de Abstinentia pag. 380. & seq. τριτταὶ ἰδέαι Φιλοσοφιῶν apud Judaeos esse dicuntur. Nam tertia est Essenorum, de quibus Porphyr. ibidem usque ad pag. 393.

AD MATT. III. 7.

Progenies viperarum] Gravius fuit dicere *viperarum progeniem* aut *genimina*, quam si simpliciter *viperas* appellasset. Sic Plautus Aul. II. 7. 8. pro rapacibus dixit *rapacidas* quasi ex *rapacidarum* familia ortos; ut sunt *Heraclidae & Pelopidae* &c. Versus comici talis est.

Rapacidarum ubi tantum fiet in aedibus.

Sic etiam Milite glorioso I. 1. 43.

Et quinquaginta centum sycolatronidae.

AD MATT. III. 7.

Quis demonstravit vobis fugere a ventura ira?] In Graeco Ὑπέδειξεν. Praepositio ὑπὸ internum monitorem significat. Quo inquit, spiritu acti huc ad declinandam Divinam ultionem venistis? poenitentia ne, an potius insita vobis hypocrisi? Si prius; *facite ergo*, ut sequitur, *fructum dignum* spiritu poenitentiae.

AD MATT. III. 9.

Et ne velitis dicere intra vos, Patrem habemus Abraham] Graece est μὴ δόξητε. *ne videamini dicere*. Δοκέω in Gr. interpretibus haud raro respondet Heb. טוב בעיני *tob beeinei,*

Digitized by Google

beeinei, bonum esse in oculis alicujus, ut Est. VIII. 8. & passim eodem libro; aut pro *rectum in oculis* alicujus, ut Jos. IX. 25. Quasi si dixerit heic Joannes Hebraice: *Ne bonum* sive *rectum sit in oculis vestris dicere*: ne animum inducatis dicere. Unde optime interpres reddidit *Ne velitis*.

AD MATT. III. 9.

Potens est autem Deus de lapidibus istis suscitare filios Abraham] Notarunt grammatici vocem λαὸς *populus* a λάας *lapis* deductam videri, ex eo quod jactis in aversum lapidibus Deucalion & Pyrrha λαοὺς repararint. Appositè enim Pindarus apud Eustathium ait: Ἄτερ ἐυνᾶς ἐκτήσαντο λίθινον γόνον, λαοὶ δ' ὀνόμασθεν. Hinc Virg. *Unde homines nati DVRVM genus*. Itemque Ovidius 1. Met.

Unde genus DVRVM sumus experiensque laborum,
Et documenta damus qua simus origine nati.

Itaque non est incredibile, istorum temporum Judaeos pleraſque fabellas Graecanicas cognitas habuisse; ac fortasse apud eos decantatae de Deucaloneis lapidibus in homines conversis fabulae τὸ ἀδύνατον in proverbium abiisse; eoque respexisse Baptistam, cum ait, posse Deum vel de lapidibus excitare filios Abrahae.

Ceteroqui, inter locutiones hyperbolicas multa est lapidum mentio apud Hebraeos, ut Habac. II. 11. *Lapis de pariete clamabit*. Hoc ideo dictum, quia nihil magis mutum, quam lapis; unde ℣. 19. *Vae qui dicit . . . surge, lapidi tacenti*. Ad haec quia lapide nihil est durius, dicitur *Petrae dissolutae sunt ab eo. Petrae sicut cera liquescent*, &c. Omnino autem in rebus infrugiferis vel in primis petra numeratur. Unde ὑπερβολικῶς Deut. XXXII. 13. *Ut exsugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo* Ps. LXXX. 17. *De petra melle saturavit eos* Num. XX. 10. *Num de petra hac vobis aquam poterimus ejicere?* Matt. IV. 3. *Dic ut lapides isti panes fiant*. Haec & similia in proverbium abierant; eoque respicit Joannes, asseverans hoc, quo nihil magis videbatur ἀδύνατον, Deum praestare posse, ut ex lapidibus homines exsistant.

Porro autem omnes in id conveniunt veteres, vocationem gentium hic designari. Miscetur ergo hic ἀπόδοσις comparationi, ut saepe in Evangeliis. Vide Luc. IX. 62. & alibi. Integra locutio fuisset: Sicuti potest Deus lapides istos in homines convertere: sic potest multo magis gentiles, cum sint foederis expertes, facere foederatos, & in Abrahamicam stirpem inserere.

AD MATT. III. 10.

Jam enim securis ad radicem arborum posita est] Graecum Ἀξίνη proprie dolabram significat: de qua vide in *De Ascia* pag. 165. & seq.

AD MATT. III. 11.

Cujus non sum dignus calceamenta portare] Hinc manavit adagium, quod Itali quotidianis sermonibus usurpamus: *Non posso portargli le scarpe appresso*. Sed Graeca vox βαστάσαι longe hîc aliam significationem habet. Pro βαστάσαι Matthaei, ceteri Evangelistae in hoc dicto Johannis λῦσαι posuerunt. Non ergo de portandis pone calceis, sed de detrahendis hic agitur, idque non tantum ex aliorum Evangelistarum consensu discimus; verum etiam quia βαστάζω non tantum *ferre*, sed & *auferre* & *detrahere* significat, ut ex Suida ad Jo. XII. 6. docuimus: vide ibi dicta, & ad Jo. XX. 15. quibus locis βαστάζω parem significationem habet. Ceterum haud scio an huc referri possit, quod in Hesychio legitur: βαστὰ· ὑποδήματα, Ἰταλιῶται. Varinus iisdem verbis: βαστὰ,

τὰ

τὰ ὑποδήματα, Ιταλιῶται. quo demonſtrare volunt, Italis (*) eam vocem ad calceos ſignificandos uſurpatam. An ſicut ὑποδήματα a *ſubligando* ſunt dicta, ita e diverſo eadem βαρὰ ſive βαραχτὰ ἀπὸ τῦ βαρύζεσθαι *quod detraherentur* contraria ratione ſunt appellata?

Ceterum detrahere calceos in ſervorum muneribus numeratum, ex plurimis Graecorum Romanorumque Scriptorum locis conſtat, quos jam alii occuparunt. Apud Hebraeos vero in more poſitum, ut diſcipuli magiſtris, dignitate ſuperioribus inferiores, calceos auferrent, & hinc conſtat, & ex primorum Chriſtianorum inſtituto, apud quos non ſinebatur Epiſcopus ſibi ipſe calceos detrahere, ſed fideles certatim id officii genus parenti ſuo perſolvere contendebant. In Smyrnaeorum epiſtola de S. Polycarpi paſſione, poſtquam B. Polycarpus ipſe ſibi veſtes depoſuiſſet, ἐπειράτο καὶ ὑπολύειν ἑαυτόν· μὴ πρότερον τῦτο ποιῶν, διὰ τὸ αἰὶ ἕκαστον τῶν πιστῶν σπεύδειν ὅστις τάχιον τῦ χρωτὸς αὐτῦ ἐφάψηται. *Calceos etiam ſibi ipſe detrahere tentabat: quod quidem antea facere minime conſueverat, quippe cum ſinguli fidelium quotidie inter ſe ambitioſe certarent, quiſnam prior corporis ipſius cutem contingeret.* In paſſione Fructuoſi Epiſcopi legitur: *Cum veniſſet ad amphitheatrum, ſtatim ad eum acceſſit Auguſtalis nomine lector ejuſdem, cum fletibus deprecans, ut eum excalcearet.* Hinc ex vetere inſtituto manavit, quod hodieque, ut ſubdiaconus Epiſcopo celebranti calceos detrahat.

AD MATT. III. 11.

Hic vos baptizabit in Spiritu Sancto & igni] Vide quae de S. Heraide ex Origene diximus ad Matt. XX. 22. Ac de veterum Chriſtianorum ritu, ignem in baptiſmo adhibentium vide quae curate collegit Fabricius lib. 1. bibl. Graecae c. 32. n. 9. De ſolo *ignis* vocabulo heic controverſia eſt: quam vocem alii aliter accipiunt. Mihi hoc loco *Ignis* videtur figurate poſitus, nec alia de cauſa a Joanne uſurpatus, quam ut *Aquae* eleganter opponeretur. Ignis autem metaphoricus non aliud eſt, quam πῦρ καθαρτικὸν, *ignis purgatorius*, quo vitia excoquuntur atque eluuntur, neque id tantum in altera vita, verum in hac multo magis. Nam ad hunc ignem refertur, quodcumque in hac vita adverſi patimur. Praecipue autem ad *baptiſmum ignis* Martyrium pertinet, uti copioſe demoſtratum a me fuit in Comment. ad Kalend. marmoreum ad 16. Junii cap. 4. 5. 6. Nam quum S. Athenogenem capite truncatum obiiſſe conſtet, eum autem S. Baſilius de Spiritu Sancto Cap. 29. τὴν διὰ πυρὸς τελείωσιν (*conſummationem per ignem*) ſubiiſſe dixerit; non aliter id ἐναντιοφανὲς tolletur, quam ſi τελείωσις de more pro *baptiſmo* ſumatur, *ignis* autem pro martyrio, ita ut *conſummatio per ignem* omnino ſit baptiſmus martyrii ſeu ſanguinis. Idem ibi cap. 6. exemplo S. Heraidis diſcipulae Origenis comprobavimus: quam item conſtat capite detruncatam fuiſſe, & tamen eam Origines apud Euſebium dixit

(*) Non de quibuſvis Italis id intellexerim, ſed de Magnae Graeciae (quae antiquiſſimis temporibus peculiari vocabulo *Italia* eſt appellata) habitatoribus. Ac ſaepe equidem apud Athenaeum & alios veterum grammaticorum reperi mentionem, qui γλώσσας Ιταλικὰς ſcripſerint: ac falli viros doctiſſimos arbitror, quicumque eum titulum de latinis vocibus ſunt interpretati; cum ego potius de peculiaribus Majoris Graeciae vocabulis intelligendum putem, quae vocabula eodem ſtudio multi collegerunt, quo alii Attica, Jonica, Aeolica, ad haec Rhodia, Alexandrina, Phrygia &c. Longe alius enim titulus eſt qui Diodori libello praefigebatur apud Athenaeum γλῶτται Ιταλικαὶ, quam qui Apionis opuſculo περὶ Ρωμαϊκῆς διαλέκτε apud eundem Athenaeum: illum de Magnae Graeciae, hunc de Latinis vocibus licet intelligere.

Digitized by Google

xit *Baptiſmum per ignem* (h. e. per martyrium) *ſuſcepiſſe*. Omnino quia tam Baſilio quam Origeni, perſuaſum fuit in hoc controverſo Baptiſtae dicto *Ignis* vocabulo martyrium primario deſignari. Cetera quae huc pertinent, ex citato mei commentarii loco peti poſſunt.

AD MATT. III. 12.

Cujus ventilabrum in manu ejus] Dubium eſt utrum τὸ πτύον *vannum* ſignificet, qua, teſte Columella & Servio, frumenta purgabantur, an *palam* ligneam grandiorem, qua hodieque contra ventum frumenta jactantur, ut a pulvere & aceribus ſecernantur. *Palam* Tertullianus intellexit, de perſec. c. 2. *Pala illa, quae Dominicam aream purgat*. Nec tantum Tertulliani indicio, ſed & Cypriani & Auguſtini, conſtat in vetere Italica verſione *palam* fuiſſe lectum. Cyprianus epiſt. 51. *Nec quiſquam ſibi quod ſoli Filio Pater tribuit, vindicare poteſt, ut putet aut ad aream ventilandam & purgandam palam ferre poſſe, aut a frumento univerſa zizania humano judicio ſeparare*. Ibidem: *Aut quaſi ipſi palam ferre & aream purgare conceſſum ſit, paleas conetur a tritico ſeparare*. Et, quod ſequitur, *in manu ejus*, id palae potius, quam vanno, convenit. Heſychius: Πτύον, θρίναξ· ξύλον, ἐν ᾧ διαχωρίζουσι τὸν σῖτον ἀπὸ τῆς ἀχύρου. Praepoſitio ἐν ᾧ vanno convenire videbatur: ſed commode Varinus eam praepoſitionem expungit: Πτύον πτυάριον, θρίναξ. ξύλον, ᾧ διαχωρίζουσι τὸν σῖτον. Et fortaſſis hoc eſt diſcrimen inter λίκνον, ſive λίκμον, & πτύον, ut illud vannum, hoc palam ſignificet. Ac peculiaris ea pala fuit, quam proprio vocabulo *ventilabrum* (qua voce rectiſſime hic utitur interpres) appellabant. Columella II. 10. *Nam cum acervus paleis graniſque miſtus in unum fuerit congeſtus, paullatim ex eo ventilabris per longius ſpatium jactetur*. Quae jactatio vanno non convenit; nam hac ſurſum verſus ejaculamur. Non erit porro alienum Homeri hic verſus adſcribere Il. XIV. 588.

Ὡΐς δ' ὅτ' ἀπὸ πλατέος πτυόφιν μεγάλην κατ' ἀλωὴν
Θερώσκωσι κύαμοι μελανόχροες ἢ ἐρέβινθοι
Πνοιῇ ὑπὸ λιγυρῇ καὶ λικμητῆρος ἐρωῇ.
Ὡΐς ἀπὸ θώρηκος Μενελάου κυδαλίμοιο.
Πολλὸν ἀποπλαγχθεὶς, ἑκὰς ἔπτατο πικρὸς ὀϊστὸς.
Area ut in magna nimirum rejiciuntur
Ex patulâ nigraeque fabae cicera albaque palâ,
Jactante agricola, ac Zephyris ſtridentibus: aerea
Sic e lorica Atridae decora alta gerentis
Ocyor exſiliens longe rejecta ſagitta eſt.

Quos ſane verſus eo adſcripſi, ut plane intelligatur, falli lexicographos, qui πτύον *vannum* interpretantur, cum *palam* aut *ventilabrum* (quae ſunt ſynonyma) vertere debeant. Nam palae, non item vanno, Homericum epitheton πλατέος convenit: deinde vannus ſurſum verſus ejaculatur frumentum, at πτύον ſecundum lineam horizonti parallelam, uti Homerica comparatio ſuadet. Virgilius eundem motum horizontalem indicat III. Georg. 134.

Surgentem ad zephyrum paleae jactantur inanes.

Adde quod πτύον eſt a πτύω *exſpuo*; non autem ſurſum, ſed ſecundum lineam horizontalem, ſive potius quam vocant parabolam, ſpuimus. Poſtremo in gloſſis veteribus πτύον *pala* & *ventilabrum* vertitur, non autem *vannus*. *Vanni* autem interpretatio in iiſdem gloſſis eſt θρίναξ, ἐν ᾧ τὸ ἄχυρον χωρίζουσιν ἀπὸ τῶν καρπῶν.

Digitized by Google

Fuit ubi hoc loco pro *ventilabro* legeretur *palmula*. Nam Pionius martyr (in Actis apud Ruinartum num. IV. pag. 142.) sic loquitur: *Cum enim colonus aut bicorni furca triticum verrit, aut palmulari* (legendum puto aut *palmula aream*, uti mox ostendo) *sine pondere palea vento auferente jactatur; triticum autem grave & solidum in eo loco, in quo manserit, perseverat.* Quod dixi scribendum esse *palmula aream*, infra ex gemina ejus Martyris sententia fit manifestum, ubi (num. XII. p. 146.) ait: *Satanas nos expetit, & ignea palmula aream* purgat.

AD MATT. III. 12.

Et congregabit triticum suum in horreum, paleas autem comburet igni inextinguibili.] Non nova ista est allegoria tritici palearumque ad designandum proborum reproborumque discrimen. Ex uno dumtaxat Aristophanis apud Suidam versiculo intelligitur, eandem olim allegoriam ab illo Comico institutam sic, ut *cives* frumentum, inquilini *paleae* essent. Nemo autem, ignorat, apud Athenienses quantum discrimen dignationis esset inter ἀστὸς & μετοίκους, *cives* & *inquilinos*. Suidas sic habet in Μέτοικοι. Μέρος εἰσὶ τῶν πολιτῶν οἱ μέτοικοι ἐυτελές, ὡς τὰ ἄχυρα τῶν κριθῶν. Ἀριστοφάνης.

Τοὺς γὰρ μετοίκους, ἄχυρα τῶν ἀστῶν λέγω.

Ajo inquilinos, paleas esse civium.

Paleas autem comburet &c.] Non crassiores paleae sive culmi intelliguntur, cum de ventilatione est sermo, sed de minutioribus purgamentis proprio vocabulo *aceribus* appellatis. Ἄχυρον utrumque significat, a quo fit *acus*. Nam prior purgatio a culmis non per ventilabrum, sed per τρίαιναν *tridentem* fit.

AD MATT. III. 13.

Tunc venit Jesus a Galilaea in Jordanem ad Johannem ut baptizaretur ab eo.] Hinc mansit, ut antiqui Christiani acti reverentia baptismi Christi, in Jordane baptizari ambierint. Apud Eusebium IV. de vita Const. 62. Constantinus baptismum ab Episcopis flagitans, ait inter cetera: ἐπὶ ῥείθρων Ἰορδάνου ποταμοῦ τοῦτ' ἐνενόουν ποτὲ ποιῆσαι, ἐφ' ὧν καὶ ὁ Σωτὴρ εἰς ἡμέτερον τύπον τοῦ λουτροῦ μετασχεῖν μεμηχανεύεται. *Equidem olim id agere statueram, in quo Servator ipse ad exemplum nostrum lavacrum suscepisse memoratur.*

AD MATT. III. 16.

Et vidit Spiritum Dei descendentem sicut columbam] Vidit non tantum Jesus, sed & Joannes (ex Jo: I. 32. 33.) imo & astantes, opinor; primum quia non insolens Hebraeis est ut verba activa neutraliter significent, *vidit* pro *visus est*, *apparuit*; deinde ii viderunt, in quorum gratiam haec φάσις (*visio*) parabatur. Judaeorum vetus erat traditio, Spiritum Domini in similitudinem volucris olim aquas primigenias confovisse (de quo vide quae ad Gen. I. 2.); huic traditioni velificatur nunc Deus, idque in Judaeorum ipsorum gratiam, qui, si mens non laeva fuisset, potuissent inde Christi Divinam missionem colligere.

Et vidit Spiritum Dei descendentem, sicut columbam & venientem super se] Jam a Noachicis temporibus columba legatione quadam functa fuit: cujus illustris rei memoria apud ethnicos etiam mansit, uti liquet ex Severi, & Alexandri nummis Apameae cusis, in quibus arca cum supervolitante columba scalpitur. Hinc fortassis ortum, ut simili quodam ministerio apud Anacreontem columba perfungatur in ea oda, cujus initium Ἐρασμίη πελεία. Ad quam odem, notat, si probe memini, Tanaquillus Faber, mansisse hoc apud orientales, ut peregre profecti,

Digitized by Google

profecti, columbas secum auferant domum remeare doctas, quarum pedibus postquam pittacia sive epistolas alligaverint, ita demum liberas dimittunt, in patriam redituras. Moris hujus antiquitatem (praeterquam quod scimus orientales veterum institutorum tenacissimos) a Plinio didici X. 37. *Quin & internuntiae*, inquit, *in rebus magnis fuere* (columbae) *epistolas annexas earum pedibus obsidione Mutinensi in castra consulum D. Bruto mittente. Quid vallum & vigil obsidio ... profuere Antonio, per caelum eunte nuntio ?* Idem in obsessa Belgii urbe patrum nostrorum memoria factitatum narrant. Inter cetera theatrorum ludicra apud Romanos columbae nuntiae dimittebantur. Sed & moris hujus antiquitatem docet versiculus ille Pherecratis Pictoribus apud Athenaeum lib. IX. c. XI.

Ἀ πόπεμψον ἀγγέλλοντα τὸν περίστερον :
Dimitte sis columbulum internuntium.

Ergo cum a Noachicis usque temporibus, uti dixi, id munus aviculae hujus peculiare fuerit: nil mirum si Spiritus Sanctus Patris mandata perlaturus, quibus Christus Dei filius declarabatur, apposite speciem columbae praesetulit; cujus ceteroqui τὸ ἀκέραιον notat, hoc praecipue in legatione quaeri, ne per vafritiem animi quidquam secus dicatur, aut fiat, quam mandatum fuit; ex quo fit ut in historia sacra, aeque ut apud Homerum, legati ipsissima verba referant, ne mutata quidem vocula, quae audierant. Vide quae diximus ad titulum Ps. LV.

AD MATT. III. 17.

Et ecce vox de caelis dicens: Hic est Filius meus dilectus &c.] Saepe in N. T. *vocis* de caelo fit mentio. Estne hoc idem ac quod Judaeis, בת-קול *bath-kol, filia vocis*, dicitur, an longe aliud? De *filia vocis* consule Buxtorfii lexicon Rabbinicum p. 320. in quo loco miras Judaeorum tricas reperies in exponenda *Filia vocis*. Qui tamen in rebus suis hospites mihi plane videntur. Nam קל *Kol, vox* Hebraeis *tonitru* significat, idque passim in vetere codice. Rursus quidquid alia ex re proficiscitur, aut ei jungitur, id *FILIVS* aut *FILIA* vocatur. Itaque filiam vocis interpretor oraculum de caelo editum, sed cum tonitru junctum. Certe heic & nubis (*caelum* appellant Evangelistae) scissio fuit, i. e. tonitru, & fulgura (sic enim fulgorem interpretor, cujus meminit in hac historia Justinus Dial. cum Tryphone, & Evangelium Ebionaeorum apud Epiphanium Haer. XXX. n. 13. & Liturgia Syrorum) ac postremo diserte Hieronymus (seu quis alius auctor comm. in Ps. LXXVI. 17.) dixit, *facta est vox tonitrui rotae similis*. Vide Euthymium & alios in Ps. XXXVIII. 3. Nonnulla horum occupavit Calmetus in Diss. de Baptismo ad Marcum, artic. 3. pag. 350.

AD MATT. IV. 3.

Si Filius Dei es] Apparet haec Evangelistae scribi non sine respectu ad praecedentis capitis finem, ubi vox caelitus edita talis fuit: *Hic est Filius meus dilectus*. Haec vox diabolo innotuit (Deo sic volente, nam ut Augustinus ait in IX. de Civ. 21. *Tantum innotuit* (diabolo) *quantum voluit; tantum autem voluit, quantum oportuit*) ceterum de notione τῆς *Filii* dubitabat; utrum natura an adoptione filius esset. Id jam ut exploret, aggreditur JESVM, atque his dictis pertentat.

Dic ut lapides isti panes fiant] Hic unus character est, ex quo de solitudine, in qua CHRISTVS degebat, judicari possit. Hinc enim intelligitur, eam

Digitized by Google

non in plano jacuiſſe (cujuſmodi ſolitudines ad Judaeae meridiem, quae carent ſilice) ſed in montibus ac rupibus ſaxo aſperis. Haud longe a vero abſunt, qui montes Galaaditicos Chriſti ſeceſſu conſecratos, ajunt. Accedit quod ſequitur ℣. 8. *in montem excelſum valde*. Alter character a Marco I. 13. traditur illis verbis, *Eratque cum beſtiis*. Utrum vero iidem montes τὰ θηρία alerent, periti locorum aeſtimabunt.

Jam vero ſi ſolitudo Chriſti ſeceſſu nobilitata in montibus, quos dixi fuit; illud inde ſequitur, ordinem tentationum, quem Lucas ſequitur, veriorem eſſe, quam alterum Matthaei; apud quos duos poſteriorum duarum tentationum alternat ordo. Nam veriſimilius eſt prius Chriſtum in cacumen montis, in quo jam verſabatur, perlatum eſſe, ac mox in Templi pinnam, quam contra.

Dic ut lapides iſti panes fiant] Otioſe nonnulli quaerunt cur lapides potius quam arbores &c. in panes tranſmutari petierit. Et otioſae quaeſtioni inepta ſolent reſponſa reponere. Non alia certe cauſſa fuit, quam lapidum paniumque proverbialis ἀντίθεσις, quae clare Matt. VII. 9. notatur, ubi panis cum lapide, piſcis cum ſerpente ex adverſo comparatur.

Accedit quod lapidum in eſculenta aut poculenta converſio Hebraeis inter proverbialia ἀδύνατα numerabatur, ut cum Moſes ait: *Numquid de rupe iſta latices vobis in potum eliciam?* Et illud: *Mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo.*

AD MATT. IV. 4.

Scriptum eſt, Non in ſolo pane &c.] *Scriptum eſt* Hebraei veteres dicebant, quoties ſacrorum voluminum loca allegarent, idque ut diſtinguerent a non ſcriptis traditionibus. Hinc *Scriptura* nomen invenit, non κατ' ἐξοχήν, ut opinantur, ſic appellata, ſed cum aperto diſcrimine ab iis, quas dixi, traditionibus, quibus ceteroqui Phariſaei parem dignationem tribuebant.

AD MATT. IV. 5.

In ſanctam Civitatem] Nota omnibus eſt Siclorum inſcriptio hebraeo ſermone *Jeruſalem Sancta*. Ac ne ethnicis quidem hoc civitatis ἐπίθετον obſcurum fuit. Appianus in Mithridaticis pag. 244. a Pompeio expugnata fuiſſe Hieroſolyma, VRBEM EIS SANCTISSIMAM, ſcripſit: ἕως καθεῖλεν Ἱεροσόλυμα τὴν ἁγιωτάτην αὐτοῖς πόλιν.

Urbs ſancta appellata propter templi utique ſanctitatem. In nummis urbes ἱεραὶ καὶ ἄσυλοι ſexcentae inſcribuntur, templorum in iis ſitorum reverentia. De regionis templo Epheſino adjacentis finibus ſaepe immutatis, Strabo lib. XIV. Tacitus An. III. 62. de Hierocaeſarea: *Memorabantur Imperatorum nomina, qui non modo templo, ſed duobus millibus paſſuum eandem SANCTITATEM tribuunt.* Sic illud Matt. XXIV. 15. *Abominationem ... in loco ſancto*, de regione Hieroſolymitana eſt intelligendum, non de Templo, uti Grotius ex Joſepho & Machabaico priore confirmat. Ceterum ſequioris aetatis Graecis Hieroſolyma paſſim Hagiopolis dicebatur. Exſtat apud Cotelerium in monumentis Eccleſiae Graecae to. 3. pag. 220. & ſeq. Graece & Latine vita Sabae Hagiopolitani h. e. Hieroſolymitani, auctore Cyrillo Scythopolitano.

Herodoto Hieroſolyma appellatur Καδύτις a *Kedutha*, *ſancta*: de quo vide dicta a Prideaux to. 1. pag. 106. -- 110.

AD MATT. IV. 8.

In montem excelſum valde] Sic Hebraei ſuperlativum, quo carent, ſolent περι-

περιφράζειν· quae consuetudo etiam ad Judaeos Hellenistas manavit. Cum multa autem mihi videtur Lucianus ex Evangeliis in suos dialogos transfudisse, tum hoc, quod de diabolo refertur, ex altissimi montis specula orbem universum commonstrante. Quod ille in Charontem suum venustissime transtulit.

Haec omnia tibi dabo &c.] Nec ab hoc loco alienum somnium illud inter cetera imperii portenta Severo oblatum narrante Xiphilino: Καὶ ἄλλο τε ἀνήχθη ἐς περιωπήν τινος, καὶ καθορῶν ἀπ' αὐτῆς πᾶσαν μὲν τὴν γῆν, πᾶσαν δὲ τὴν θάλατταν, ἐφήπτετο αὐτῶν, ὥσπερ παναρμονίου τινὸς ὀργάνου, καὶ ἐκεῖνα συνεφθέγγετο. *Praeterea alio tempore quidam eum (secundum quietem) in speculam adduxit, ex qua ipse terras universas ac maria est conspicatus: quae cum non secus quam musicum instrumentum pulsavisset, plurimus inde concentus reddebatur.* Narrat eandem rem Spartianus Severi vita cap. 3. his verbis: *Deinde ex altissimi montis vertice orbem terrarum Romamque despexit, concinentibus provinciis lyra, voce, vel tibia.*

Apud Livium XXI. 35. Hannibal in summo Alpium jugo, *unde longe ac late prospectus erat consistere jussis militibus, Italiam ostentat . . . moeniaque eos tum transcendere, non Italiae modo, sed etiam urbis Romae . . uno aut summum altero praelio arcem & caput Italiae in manu ac potestate habituros.* Isque veluti locus communis evasit, quo rhetores utebantur, quoties humanae vitae imaginem ponere ob oculos vellent. De Luciano modo monuimus, apud quem in Charonte sive Contemplantibus, Mercurius Charontem in altissimum montem adducit, unde ei mille hominum ambages digito intento demonstrat. Cyprianus ep. ad Donatum: *Paullisper te crede subduci in montis ardui verticem celsiorem, speculare inde rerum infra te jacentium facies; & oculis in diversa porrectis, ipse a terrenis contactibus liber, fluctuantis mundi turbines intuere . . . . Cerne tua itinera latronibus clausa*, & quae ibi per omnes humanae vitae partes describuntur. Hieronymus in epitaphio Nepotiani: *O si possemus in talem ascendere speculam, de qua universam terram sub nostris pedibus cerneremus; jam tibi ostenderem totius orbis ruinas, gentes gentibus, & regnis regna collisa.*

AD MATT. IV. 10.

Vade retro Satana] Graecum ὕπαγε idem est quod *vade retro*, ut patet ex Jo. VI. 66. collato cum 67. Hoc sic interpretatur Prudentius, quasi revera Satanas in tergum ruisset. Sic enim hunc locum περιφράζει Cathemer. VII. 195.

Sed increpata fraude post tergum ruit.

Sane Persae qui religionis caussa Meccam adeunt, ubi eo pervenerunt, inter ceteras caeremonias, ad montis Menah radices se conferunt, ibique lapides quosdam retrorsum post tergum jaciunt, eo ritu Satanae tentamenta a se repulsuri, quemadmodum Ismaëlem Arabum parentem olim fecisse praedicant, quando a diabolo tentatus fuit. Vide Salmonis Persiam ex Anglico traductam cap. XV.

AD MATT. IV. 18.

Ad mare Galilaeae] Matthaeum Porphyrius & Julianus reprehenderunt, quod lacum haud sane maximum *mare* nuncuparit. Insulsa reprehensio; quippe cum non tantum Hebraei quamcumque aquarum collectionem sic appellarint; verum etiam profani sic nonnunquam loqui consueverint; uti diximus ad Gen. I. 10.

Digitized by Google

AD MATT. IV. 18.

Et Andream fratrem ejus] Ἀνδρέαν. Nomen hoc celebre apud ethnicos fuit. Ariſteas in LXXvirali hiſtoria tradit, ſe cum Andrea Ptolemaei ἀρχισωματοφύλακι ad Eleazarum interpretationis biblior. procurandae cauſa legatum. Celeberrimus praeter ceteros fuit Ἀνδρέας ὁ ἰατρὸς, *Andreas medicus* is, cujus non tantum ſaepe Galenus, ſed & Dioſcorides prooem. lib. 1. & Cornelius Celſus praef. lib. V. meminerunt. Cum autem Dioſcorides Julii Caeſaris & Auguſti aequalis exiſtimetur; hinc patet nobilem illum medicum Apoſtolo antiquiorem fuiſſe. Apud Fabrettum in volumine inſcriptionum pag. 91. n. 179. eſt & alius quidam TI. CL. ANDREAS. Itemque pag. 157. n. 263. PHILVSA. ANDREI. LIBERTI. VXOR. Ubi ANDREI ſic eſt a recto *Andreas*, ut alibi apud eundem pag. 754. n. 606. TEVDI venit a nomine *Teudas*. Apud Athenaeum pag. 634. A. neſcio quis *Andreas* Panormitanus occurrit, qui Σικελικὰ ſcripſerit. In Gudiano ſyntagm. pag. 285. 11. occurrit P. SERVILIVS. P. L. ANDREA, ut apud Terentium *Chaerea* pro Χαιρέας.

AD MATT. IV. 19.

Faciam vos fieri piſcatores hominum] Similis eſt illa apud Platonem Euthydemo (pag. 290. B. Edit. Serrani) ars θηρευτικὴ ἀνθρώπων, *ars hominum venatrix*.

AD MATT. IV. 24.

Et lunaticos] Gr. σεληνιαζομένους. Alexandro Tralliano σεληνιακὸς dicitur, qui aliis *epilepticus*. Sed & vetus poëta de viribus herbarum, quem Fabricius lib. III. cap. 26. bibl. Gr. edidit, ℣. 176. σεληνιασμὸν hunc morbum appellat. De σεληνοβλήτοις vide Budaeum com. Porro Syrus vertit iſtud σεληνιαζομένους, *filios tecti*, quaſi qui conclavibus contineri neſciant, ac tecta ſcandere, aut ceteroqui liberiorem aërem ſpirare cogantur. Cui concinere videtur quod idem vetus poëta de virib. herbar. ℣. 174. polium conducere ait:

Πρὸς τὸν ἀπαυλισμὸν τὸν ἀπ' (fort. ὑπ') ἀιθέρος, ἣν καλέουσιν
Ἄνθρωποι χαλεπὴν ἱερὴν νόσον ἀμπλακιῶτιν,
Οἱ δὲ σεληνιασμὸν &c.

Morbum comitialem *ſecubationem ab aethere* appellat, quem eo correpti oderunt; vel ſi ὑπὸ ſcribendum, vertes *ſecubationem a ceteris mortalibus & ſub divo cubationem*. Vide Rentorfium in notis ad eum poëtam.

AD MATT. V. 1.

Videns autem Jeſus turbas, aſcendit in montem; & cum ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli ejus]. Graece eſt: καὶ καθίσαντος αὐτοῦ, προσῆλθον αὐτῷ οἱ μαθηταὶ αὐτοῦ: Hebraeorum more, qui pronomina ſingulis ferme vocibus affigunt; quod ad alia horum ſcriptorum loca notavimus. Jam vero cur in monte potiſſimum haec concio ſit habita, pro ſuo quiſque captu rationes alius alias extuderunt. Quae quanquam eſt minime neceſſaria ἀκρίβεια· tamen ea maxime omnium idonea ratio mihi viſa fuit, quod in ſinuatis atque in ſeſe reductis montium lateribus poſſent οἱ ὄχλοι cuneatim, ferme ut in theatrorum praecinctionibus aſſidere, & aeque omnes in ſermocinantem Chriſtum intueri. Sane cum in proſeuchis conciones hujuſmodi haberi conſueviſſe ex Philone in de legatione diſcamus; ea cauſſa fuit cur proſeuchae in montibus aut amnium ripis (ut ad Luc. VI. 12.

Digitized by Google

12. & Act. XVI. 13. notavimus) constituerentur; aut cur Sicimorum proseucha apud Epiphanium haer. 80. n. 1. θεατροειδὴς fuerit.

AD MATT. V. 3.

Beati pauperes spiritu] Has *beatitudines* antiqui Patres εὐλογίας appellarunt. Sed & Ambrosius: *Mandatum accipit octo illis partem dare, fortasse benedictionibus.* Pulchre Dionysius Alex. de Macare Martyre apud Euseb. VI. hist. 41. ad has Christi εὐλογίας alludit, ut optime vidit Valesius: καί τις ἕτερος . . προσηγορίαν ἅμα καὶ τὴν ΕΥΛΟΓΙΑΝ ἀληθὴς Μακαρ. *Item alius . . vere Macar, quippe ipso nomine Dominicam ejus benedictionem attestante.* Rufinus verterat *vir nominis sui Macarius*. Alluditur autem ad postremam potissimum benedictionem infra ℣. 10. & 11. Confer cum his etiam dicta ad Luc. II. 34.

AD MATT. V. 4.

Beati qui lugent] οἱ πενθοῦντες. Tritum est Graecorum adagium: ἀγαθοὶ δ' ἀριδάκρυες ἄνδρες. Nullâ re magis prodit se pietas.

AD MATT. V. 13.

Quod si sal evanuerit] μωρανθῇ, quod Noster heic & apud Luc. *evanuerit*, reddidit, & Afri (ut patet ex Aug. *de serm. Dom. in mon.* & S. Eugenio Episcopo Carthag. epist. ad cives suos apud Greg. Turon.) *infatuatum*; hoc Ecebolius sophista scite ἀναίσθητον est interpretatus; qui cum ad Imperatorum mores se fingens, sub Constantio Christianum, sub Juliano gentilem, ac postremo post hujus mortem rursus se Christianum gereret; pro foribus Ecclesiae pronus his vocibus utebatur: πατήσατέ με τὸ ἅλας τὸ ἀναίσθητον: *calcate me sal insipidum:* huc spectans scilicet.

At scite Marcus IX. 50. ἅλας ἄναλον posuit, Noster *sal insulsum*. Hinc Calmeti acumen non probo, *sal terrae* nescio quam pinguem argillam, qua ad stercorandos agros uterentur, interpretantis. Τὸ μωραίνεσθαι & ἀλισθῆναι non nisi de vero sale dicuntur. *Sal* autem *terrae* sic dicuntur hîc Doctores, ut ℣. sequente *lux mundi*. Potius, siquid argutari libet, spectatur ad Hebraeorum ritum, apud quos omnis victima sale condienda erat: Levit. II. 13. Marci IX. 48. eoque subnectitur: *Quod si sal evanuerit &c.*

Quod si sal evanuerit] Graece μωρανθῇ i. e. ad verbum *infatuatum fuerit* (quomodo Hilarius aut quis alius hunc locum citat) sive *fatuum evaserit*. Apud Coelium Apicium (IV. 2. ubi de *patella Lucretiana*) salso *fatuum* opponitur. *Gustas: si FATVVM fuerit, liquamen adjicies: si SALSVM, mellis modicum.* Marcus heic habet *si sal insulsum fuerit* (Gr. ἄναλον) i. e. *sal sine sale*. Deinde quod heic Matt. ait *in quo salietur*, Marcus posuit, *in quo illud* (ἀρτίσετε) *condietis?* in quo supplendum est *sale*, (ut eadem sententia sit atque in Matthaeo) *in quo illud sale condietis*: nam ceteroqui antiquis ignota non erat quaedam salium conditura, non eo pertinens ut sal salsius evaderet, sed ut ad multa utilius, imo & suavius. Vide Coel. Apicium I. 27. ubi ad eam condituram miscet simul *Salis communis fricti lib. I. salis ammoniaci fricti lib. II. piperis albi unc. III.* ac plura alia, quae non est operae huc afferre. Haud dissimilem salium conditorum confectionem legere licebit apud Aëtium & Marcellum Empiricum. Lasere sal condiebat Dioscorides, Plinius *aromatibus ex liquamine piscium*. Verum, ut initio dicebam, haec conditura nihilo salsius sal efficiebat; verum sive corpori conducibilius, sive gustui suavius.

AD

Digitized by Google

AD MATT. V. 15.

Neque accendunt lucernam & ponunt eam ſub modio] Sermone Orientali tertia pluralis verbi notat τὸ εἰωθὸς, id quod fieri ſolet. Paſſim uſurpatur his libris. Vide Matt. XI. 17. 18. 19. ubi λέγουσιν pro eo quod dici ſolet, & alibi ſaepe. At Graeci & Latini raro ſic loquuntur. Tale eſt illud Strabonis lib. X. initio pag. 476. ὃ πάνυ δὲ τὸν τῦ Ἀνδρωνος λόγον ἀποδέχονται &c. *Non multum Andronis heic rationem probant* i. e. non valde probatur.

AD MATT. V. 16.

Sic luceat lux veſtra coram hominibus] Gr. ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων. Iſtud ἔμπροσθεν cum caſu patrio ſignificatu *coram*, eſt ita Helleniſtarum peculiare, ut alibi haud facile repereris. Uſurpatur in inſcriptione apud Grut. LXXI. 1. ✝. 14. ἔμπροσθεν τῦ δήμυ. At eam epigraphen ab Judaeo religionis ſuae transfuga elucubratam & alibi notavi, & vel pueri vident.

AD MATT. V. 16.

Et glorificent Patrem veſtrum, qui in Caelis eſt] Gr. δοξάσωσι· Hanc τῦ δοξάζω ſignificationem eſſe mere Helleniſticam docet heic Grotius, ad exprimendam vim כבד *chibbed* Hebraici. Ego quamvis non diffitear longe aliud plerumque apud Externos ſcriptores valere τὸ δοξάζω, quam in ſacris paginis: tamen & hujus notionis non levia veſtigia apud profanos video deprehendi. Polybius. . . . . ἐπ' ἀρετῇ δεδοξασμένοι ἄνδρες. Ut ab *opinor*, quod examuſſim τῷ δοξάζω reſpondet, eſt apud Florum II. 7. *Rhodos opinatiſſima inſula*: & Gellius, referente Alciato VIII. Parer. 12. *opinatiſſimos auctores* dixit: & ex Ennio affertur iſtud: *Cum opinati loquuntur pariter atque ignobiles*. Gloſſae veteres προσδόκιμος *opinatus*.

AD MATT. V. 17.

Non veni ſolvere ſed adimplere] Graece: οὐκ ἦλθον καταλῦσαι, ἀλλὰ πληρῶσαι. Ferunt Zaleucum Locrum legislatorem, cum belli tempore armatus in concionem proceſſiſſet, quod ex ipſius legibus capitale erat; re ab aliis notata, *non ſe ſoluturum legem*, ſed *confirmaturum* dixiſſe, morte ſua ſcilicet; e veſtigio enim ferro incumbentem vitam finiiſſe. Refert id Euſtathius ad Il. A. p. 62. Φέρεται δὲ καὶ περὶ Ζαλεύκυ τῦ Λοκρῦ ἱστορία, ὡς νομοθετήσοι μὲν ὁ ἀνὴρ, μηδένα φορεῖν ὅπλα ἐν βυλευτηρίῳ· ἐπεὶ δέποτε πολέμυ ἐπικειμένυ ἔνοπλος ὢν εἰσῆλθε κατ' ἀνάγκην ὕτως ἔχων εἰς τὴν βυλὴν, ὑπέκρυσεν μέν τις ὡς ἤδη τὸν νόμον ὁ Ζάλευκος λέλυκεν. Ὁ δὲ ΟΥ ΛΥΣΕΙΝ ἔφη, ΑΛΛΑ ΚΥΡΩΣΕΙΝ. Καὶ ἅμα τῷ ξίφει δὺς ἑαυτὸν ἀπέρρηξε τὸ ζῆν, ὅπερ ἦν ποινὴ τῷ παραβάντι τὸν νόμον. Quod ſane factum & Val. Max. VI. 5. exter. 4. & Diodorus l. XII. p. 84. referunt. Ceterum locutio λύειν τὸν νόμον Demoſtheni eſt familiaris. Ut in ea lege, quam or. in Timocratem recitat: τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα. Et infra: ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων &c. *Solvere ſenatuſconſultum* eadem notione dixit Livius III. 21. initio orationis Cincinnati: *Quippe quia plebs ſenatuſconſultum in continuandis magiſtratibus ſolvit, ipſi quoque ſolutum vultis*.

Sed adimplere] Graece ἀλλὰ πληρῶσαι. Ne haec quidem ignota eſt locutio priſcae Graeciae. Herodotus ἐκπλῆσαι τὸν νόμον dixit.

AD

Digitized by Google

AD MATT. V. 18.

Amen quippe dico vobis] Similes ſunt illae adſeverandi formulae apud Homerum frequentes. Τοιγὰς ἐγὼ . . . ἀληθέα πάντ' ἀγορεύσω. Vel Τοιγάς ἐγὼ . . . μαλ' ἀτρεκέως ἀγορεύσω. Vel Τοιγὰρ ἐγὼ . . . ἀληθείην καταλέξω. Τὸ *Amen* autem apud Hebraeos orationi praefixum ἀποφαντικὸν fuit, ſubjunctum autem εὐκτικόν. Non abſimilem habuit apud Romanos δύναμιν illud *ex animi ſententia*.

Aut unus apex] quod Graeci κεραίαν, id Latini *apicem*, aut *ſicilicum* appellarunt. *Sicilicum* quid ſit, docebit te Victorinus in orthographia, itemque Iſidorus I. 26.

AD MATT. V. 19.

Minimus vocabitur in regno caelorum] κληθήσεται *vocabitur* h. e. erit. Ea eſt notio verbi קרא *Kara* apud Hebraeos, itemque κεκλῆσθαι apud Graecorum antiquiſſimos. Hom. Il. IV.

καὶ ὕνεκα σὴ παράκοιτις
Κέκλημαι . . . . *Quoniam tua conjux*
Nuncupor.

Ubi Euſtathius notat κέκλημαι tantundem eſſe quod εἰμὶ. Sic & Il. III.

Τῷ δὲ νικήσαντι φίλη κεκλήσῃ ἄκοιτις.
Nec mora victori dilecta vocabere conjux.

Heſ. Theog.

Ἠγάγετ' ἐς μέγα δῶμα φίλην κεκλῆσθαι ἄκοιτιν.
Magnificam ipſe domum uxoris ſub nomine duxit.

Qui autem fecerit & docuerit, hic magnus vocabitur in regno caelorum.] Exſtat ejuſdem argumenti Diſſertatio 15. Maximi Tyrii ὅτι οἱ σύμφωνοι τοῖς ἔργοις λόγοι ἄριστοι, *Eos demum ſermones praeclariſſimos eſſe, quibus facta reſpondeant*.

AD MATT. V. 22.

Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio] A Vulgato interprete, Aethiope, & Arabe abeſt interpretatio vocis εἰκῇ, quae & in Graeco eſt, & in Syro, omnium fidiſſimo interprete. Τὸ εἰκῇ vero vel *fruſtra* ſignificat, i. e. *ſine effectu*; vel *temere*, h. e. aut ſine cauſa, aut vero ſine deliberato conſilio, quod Graece dixeris ὡς ἔτυχεν, quibus verbis Heſychius reddit τὸ εἰκῇ. Haec ultima interpretatio verior eſt, quia leviſſimum genus irae Servator primo loco poſuit, h. e. eam quae, uti ſe dat occaſio, ſine praeconcepto conviciandi conſilio ſeſe effundit: quam tamen ii facile declinant, qui vix dum naſcentes vitiorum motus praefocare aſſueverunt. Iſocr. Panath. τοῖς εἰκῇ καὶ χυδὴν, ὅτι ἂν ἐπηλθῇ, λέγουσιν h. e. *inconſulto quidquid in buccam venit, effutientibus*. Quod ſi τὸ εἰκῇ *ſine cauſa* interpretemur; tum gravior ira foret, contra CHRISTI ſcopum. Quod a Syro dixi non fuiſſe heic praetermiſſum τὸ εἰκῇ, notabis adhaec, ipſiſſimam fontis vocem uſurpaſſe, איקא *iki*: quam vocem idem interpres & alibi in N. T. uſurpavit, & haud raro Syrus Veteris Codicis. Dicent, opinor, Syros eam vocem a Graecis mutuatos: ſic enim vulgo arbitrantur homines: quaecunque Chaldaei Syrique communia cum Graecis habent, protinus ea de Graeco ſumpta clamant. In quo ut interdum vera dicunt, quoties ſcil. Graeca vox radices fixas in Graecia habet; ſic ubi nullam Graeci originem vocis poſſunt oſtendere; ſatius eſt dicere, a Chaldaeis Syriſve utpote antiquioribus, eam vocem transfuſam in Graeciam. Certe apud Graecos vox εἰκῇ nullam ſui origi-

Digitized by Google

nem poteſt oſtentare: imo ſi ab εἰκὸς deducas, contrarium ſignificabit, ac dicendum potius cum A ϛερητικῷ fuiſſet ἀεικῇ. Ne apud Syros quidem, inquis, origo vocis ſuppetit. At certe hoc uno Syri vincent, quod pluribus ante ſaeculis litteras & ſcientias, quam Graeci, habent. Haec volui de איקא *iki* loci hujus adnotare; ut intelligatur, non eſſe incredibile, ea ipſa voce CHRISTVM, quippe Syriace loquentem, fuiſſe hîc uſum, eamdemque Matthaeum prout ſua initio Syriace ſcripſit, illeviſſe ſuis commentariis; quam porro Graecus interpres (quod a Graecis eâdem notione uſurparetur) optimo conſilio retinuerit; non ſecus ac ſequens Pαχὰ de Syro Matthaei, & CHRISTI retinuit. Videndus Millius de εἰκῇ, & Vulgata vetus apud Calmetum. Videnda omnia loca, indicata in Caſtello, quibus Syrus adhibet τὸ איקא *iki*, ut animadvertatur qua notione uſurparit.

AD MATT. V. 25.

Eſto conſentiens adverſario tuo cito dum es in via &c.] Lucem his fenerantur miram leges Atticae & XII. Tabb. vide & huc confer Heineciana to. 2. Antiq. pag. 226. h. e. ad lib. 4. tit. 6. num. 18. not.

AD MATT. V. 28.

Omnis qui viderit mulierem ad concupiſcendum eam, jam moechatus eſt eam in corde ſuo] Graece cum genitivo πρὸς τὸ ἐπιθυμῆσαι αὐτῆς· eleganter: nam eadem ſyntaxis apud profanos de amatoria cupidine, ut apud Lyſiam ἐπεθύμησα τῆς μειρακίου. Et quidem apud Athenaeum ἐπιθυμεῖν κόρης. Id Latine eſt *deperire.*

AD MATT. V. 29.

Quod ſi oculus tuus dexter ſcandalizat te, erue eum] Convenit huic Chriſti ſententiae lex illa Zaleuci Locri legislatoris de adulteris oculorum effoſſione puniendis. Nam quia primus ad ſcelus illud gradus aſpectio fuerat; merito, ut vitium radicitus evelleretur, oculi eruebantur. Aelianus qui XIII. Var. hiſt. 24. legem hanc refert, ſimul addit, cum Zaleuci filius poenae iſti obnoxius factus eſſet, Patrem, partito ſupplicio, alterum ſibi effodi oculum juſſiſſe: quod narrat etiam Valerius Max. VI. 5. exter. 3. Sed & antiquius multo id inſtitutum fuit, ſi vera modo ſunt, quae mythologi narrant. Orioni, quod Candiopem aut Meropem conſtupraſſet, oculos ab Oenopione erutos ſive marito, ſive parente puellae; de quo vide Servium ad Aeneidem. Phoenix Achillis cuſtos eandem poenam ſubiit, eo quod Clytiae patris concubinae vitium attuliſſet, teſte Apollodoro lib. 3. & Lycophrone, apud quem Caſſandra ait v. 421.

Τὸν πατρὶ πλεῖϛον ἐϛυγημένον βροτῶν·
Ὅμηρον ὅς μιν θῆκε τετρήνας λύχνους,
Ὅτ' εἰς νόθον τράπωτος ηὐάσθη λέχος.
Patri omnium inviſiſſimum mortalium,
A quo lucernis perforatis, lumine
Fit caſſus, ob patris vitiatam pellicem.

AD MATT. V. 33.

Iterum audiſtis quia dictum eſt] Graece πάλιν, quod frequentiſſime apud Ariſtotelem & alios eſt novae diſputationis aut argumentationis initium; ut hic & ſaepiſſime in Novo Foedere; quibus locis omnibus πάλιν per *rurſus* reddiderim (quod aeque ac πάλιν tranſitioni ſervit) non *iterum* (uti fere ſemper redditum

Digitized by Google

tum in Vulgata interpretatione Novi Teſtamenti videas): non enim, quod ſciam, τὸ *iterum* tranſitioni ſubſervit.

AD MATT. V. 34.

Ego autem dico vobis non jurare omnino] μὴ ὀμόσαι ὅλως. Victor Vitenſis IV. 4. *Non jurabitis in toto*. Quo loco Victor narrat Hunnerici Vandalorum regis fraudem, qua Catholicos Epiſcopos circumvenit; quos cum adegiſſet jurejurando filio ſuo regnum firmare; tum in injuratos (tactos ſcilicet Evangelii religione) quaſi regno ſuo infidos, tum etiam in juratos, quippe contra Evangelicam ſanctionem id auſos, animadvertit.

Dico autem vobis non jurare omnino] Phryges a jurejurando abſtinuiſſe notat Stobæus ſerm. 42. 470. Pythagoras apud Laertium VIII. 22. Μηδὲ ὀμνύναι θεούς, ἀσκεῖν γὰρ αὐτὸν δεῖν ἀξιόπιστον παρέχειν. Nonnullos εὐλαβείᾳ τῷ ὀμνύειν h. e. religione jurisjurandi tactos dixiſſe tantum μὰ τὸν . . tacito illius nomine, per quem jurandum eſſet, Pindari Scholiaſtes docuit, & ex eo; ut opinor, Favorinus.

AD MATT. V. 35.

Neque per terram, quia ſcabellum eſt pedum ejus] Erat unum ex juribus jurandis gentilium. Hippolytus apud Euripidem *Hippol. Coron.* 1025.

. . . . . καὶ πέδον χθονὸς
Ὄμνυμι.
. . . . . *per terrae ſolum*
Juro. . . . . .

Pauca porro e multis rerum inanimatarum, per quas jurari mos erat, exempla heic afferuntur. Nam certe vetus Homeri Scholiaſtes adnotat, Graecorum antiquiſſimos non conſueviſſe προπετῶς κατὰ τῶν θεῶν ὀμνύειν, ἀλλὰ κατὰ τῶν προστυγχανόντων; *temere per deos jurare, ſed per obvias quaſque res*. Etiam ſecutis temporibus Socrates νὴ τὸν κύνα, χῆνα, aut πλάτανον: Zeno νὴ τὴν κάπταριν, aliis per çramben. Jam vero alii per ſuum ſupellectile, uti piſcator per rete, miles per haſtam, reges per ſceptra (quod paſſim ex Homero conſtat) jurabant.

Quia ſcabellum eſt pedum ejus] Sumptum ex Iſa. LXVI. 1. ubi item vox ὑποπόδιον uſurpatur in Graeca interpretatione, ſicuti & in pſalmis, & alibi. Sextus Empir. in I. contra Mathem. c. 11. ait quod apud ſuos ὑποπόδιον diceretur, hoc Athenienſes & Coos χελωνίδα appellaſſe. Ex quo loco quidam Alexandriae ſcripſiſſe Sextum ſunt ſuſpicati, quod ὑποπόδιον LXX. uſurparint: male; nam idem Hypotyp. pag. 155. Alexandrinos a ſuis diſtinguit, ut viri docti notarunt. Ceterum ὑποπόδιον non hujus aut illius populi proprium vocabulum Sextus notare voluit (nam reperitur apud Athenaeum, & Euſtathium, & analogice formatum, commune omnium fuiſſe videtur) ſed pro illo apud omnes uſitato Athenienſium peculiare fuiſſe χελωνίδα; ut & Homero θρῆνυς pro eodem uſurpatur.

AD MATT. V. 36.

Neque per caput tuum juraveris] Frequens apud poëtas id jurisjurandi genus. Homerus hymno in Mercur. 274.

. . πατρὸς κεφαλὴν μέγαν ὅρκον ὀμοῦμαι.
. . *patris caput inviolabile juro*.

Digitized by Google

Helena apud Euripidem in cognomine fabula v. 274. Menelao sic jurat:

Αλλ' ἁγνὸν ὅρκον σὸν κάρα κατώμοσα.

Quo sanctius nil, juro per caput tuum.

AD MATT. V. 39.

Non resistere malo, sed siquis te percusserit in dexteram maxillam tuam praebe illi & alteram] Non leves hujus veritatis strictura apud ethnicos effulserunt, ante & post Christum. Legatur prae ceteris Maximi Tyrii dissertatio XV. Christiano homine dignissima, περὶ τοῦ εἰ τὸν ἀδικήσαντα ἀνταδικητέον: *utrum sit referenda injuria.*

AD MATT. VI. 2.

Sicut hypocritae faciunt in suis . .] Quid sint ὑποκριταὶ, etsi tritum est, tamen pulchre explicat Ambros. lib. de jejunio num. 35. ad illud, *Nolite fieri sicut hypocritae tristes*, his verbis. *Ideo dixit hypocritas, eo quod simulatione alienam personam induant; sicut in scaena qui tragoedias canunt, pro eorum dictis* (h. e. pro ratione dictorum) *quorum personas gerunt, motus suos excitant, ut aut irascantur, aut maereant, vel exultent.*

AD MATT. VI. 6.

Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio ora Patrem tuum in abscondito] Voci *cubiculi* Graece respondet ταμίειον h. e. *penetrale*. Quod genus conclavium Latinis *Dietae* aut *Zetae* dicuntur, h. e. conclavia quae nullam transituris servitutem praebent; ac dormituris, meditaturis, scripturis aut similia in secessu agitaturis, opportuna sunt. Vide ad Kalend. Marm. Diatribam nostram *De Zeta & Zetario*. Non tantum autem *Dietae* sed & *Cubicula* Latinis dicebantur. Quia lecti conclavia esse debuere impervia ultro citroque commeaturis.

Ex hoc porro Matthaei loco *Cubiculi* vox in ecclesiarum usum apud antiquos traducta fuit. Nam quae hodie *Capellae* hinc & inde navi ecclesiarum per ordinem praetextae vocantur, eaedem antiquis *Cubicula* dicebantur. Verum hoc inter Capellas hodiernas, interque veterum Cubicula interest, quod Capellae suum singulae altare habent, quo Cubicula ferme carebant. Scitum est enim, in singulis basilicis unicum ferme Altare fuisse. Ad haec hodiernae capellae nullo ostio ab ecclesia secernuntur, sed sunt basilicam intrantium obtutibus perviae, nihilque in iis agi secreto potest; cum contra antiqua cubicula secessum secretum oraturis aut meditaturis aut tale aliquid arcani acturis praeberent. Hinc quia fideles huic Divini Magistri praecepto obtemperantes, in ea secreta loca se conferebant, hinc iis locis Evangelicum *Cubiculi* vocabulum inditum fuit: quo utitur Paulinus Nolanus in descriptione basilicae S. Felicis. *Cubicula*, inquit, *intra porticus quaterna* (singulis) *longis basilicae lateribus inserta, SECRETOS ORANTIVM vel in lege Domini meditantium . . locos praebent. Omne cubiculum binis per LIMINVM FRONTES* (vides hinc ostiis occludi potuisse) *versibus praenotatur*. Liber pontificalis in Sergio: *Hic tectum & cubicula, quae CIRCUMQVAQVE ejusdem basilicae* (S. Petri) *sunt . . studiosius renovavit ac reparavit*. Nonnumquam aliqua ex hisce cubiculis in minores ecclesias (primariae scil. basilicae adhaerentes) altari praeditas convertebantur: quae quia in cubiculis ad orandum paratis factae erant, hinc *Oratoria* saepe dicebantur. Joannes diac. in chronico epiſc. Neap. narrat, epi-

Digitized by Google

episcopum S. Athanasium in quodam basilicae Stephaniae cubiculo ecclesiam S. Januarii ornasse, & Altare ad recipiendas reliquias ibidem construxisse: quem locum alibi illustravimus.

AD MATT. VI. 7. 8.

Orantes autem nolite multum loqui, sicut ethnici &c. . . . scit enim Pater vester quid opus sit vobis] Egregie Juvenalis X. 346. & quasi χριστιανίζων.

Nil ergo optabunt homines? si consilium vis,
Permittes ipsis expendere numinibus, quid
Conveniat nobis, rebusque sit utile nostris:
Nam pro jucundis aptissima quaeque dabunt dii.
Carior est illis homo, quam sibi. Nos animorum
Impulsu, & caeca magnaque cupidine ducti,
Conjugium petimus partumque uxoris: at illis
Notum, qui pueri qualisque futura sit uxor.
. . . . . .
Orandum ut sit mens sana in corpore sano,
Fortem posce animum, mortis terrore carentem.

Et quae plura in eandem sententiam sequuntur. Apud Xenophontem Ἀπομνημ. I. Socrates εὔχετο πρὸς τοὺς θεοὺς ἁπλῶς τ' ἀγαθὰ διδόναι· ὡς τοὺς θεοὺς καλλίστα εἰδότας, ὁποῖα ἀγαθά ἐστι &c. De gentilium in precando βαττολογίᾳ viri docti jam plura dixerunt. Notandum est autem gentiles posteriorum temporum, maxime sub Juliano apostata, non una in re absurdas suas consuetudines ad Christianos mores reformasse. Hoc quidem nemo ignorat, ut & quod multa de precationibus Julianus praecepta dedit, proposito Christianorum exemplo. Jam ad precandi breviloquentiam quod attinet; qui ab oraculis responsa quaerebant, paucissimis, quoad fieri poterat, verbis sese expediebant; ut a Philostrato in vita Apollonii VI. 5. traditur.

AD MATT. VI. 10.

Advenidt regnum tuum] Exordia praeconii Evangelici sic concipiuntur his libris non uno loco: *Appropinquavit regnum Dei*. Eo alluditur, cum oramus ut appropinquans illud regnum Dei tandem *adveniat*. Hinc quoque discimus, quid hoc loco *regnum Dei* significet; non aliud utique quam id, quod saepe alibi, *evangelium regni* appellatur. Orare jubebantur discipuli, ne evangelium angustis Judaeae finibus concluderetur: nos, ut latius adhuc ac longius diffundatur.

AD MATT. VI. 11.

Panem nostrum supersubstantialem] Quod ἐπιούσιος apud Graecos veniat ἀπὸ τῆς ἐπιούσης & *quotidianum* significet, declarat elogium S. Triphylli episcopi Cyprii apud Bollandistas ad XIII. Junii. p. 683 sect. 4. ubi de alimonia divini verbi, qua ille auditores quotidie reficiebat, sic loquitur, *Neque id per dierum intervalla, sed* (ἑκάστης τὸν ΕΠΙΟΥΣΙΟΝ ἄρτον) *singulis diebus QVOTIDIANVM panem praebens, uti Dominus nos petere jussit*. At Luc. XI. 3. *Quotidianum*. Vtramque interpretationem agnoscit vetus auctor sex librorum de sacramentis inter opera Ambrosii lib. V. num. 24. sed ita ut priorem sententiam *Graecam* vocet, posteriorem *Latinam*. *Panem quidem dixit, sed ἐπιούσιον, hoc est supersubstantialem . . . Ideo Graece ἐπιούσιος dicitur. Latinus autem hunc panem Quotidianum dixit, quem Graeci dicunt ADVENIENTEM, quia Graeci dicunt* τὸν ἐπιοῦσαν ἡμέ-

ραν,

pav, *Advenientem diem. Ergo quod Latinus dixit & quod Graecus, utrumque utile videtur: Graecus utrumque uno sermone* (h. e. uno verbo ἐπιούσιον) *significavit, Latinus Quotidianum dixit.* Lubet initio arcem difficultatis invadere, quid hic vox ἐπιούσιος sibi velit, pro qua Noster *supersubstantialem* habet: sed in vetere Vulgata *Quotidianum* legebatur, quomodo etiamnum in Luca eadem Graeca vox Latine redditur, Hancque veram interpretationem puto. Ac primum nulli dubium, quin ἐπιούσιος sit ἀπὸ τῆς ἐπιούσης, supple ἡμέρας, sicut a περιοῦσα est περιούσιος, ab ἐχοῦσα ἐχούσιος, ab ἐθέλουσα ἐθελούσιος. Atqui ἐπιούσα non tantum insequentem diem significat, sed saepe etiam temporis successionem notat, ut apud Graecos Interpretes Prov. XXVII. 1. οὐ γὰρ οἶδας τί τέξεται ἡ ἐπιοῦσα tantundem valet quantum, quod Hebraice legitur מה־ילד יום *mah jeled jom, quid pariet dies*. Sicut ergo hoc loco יום *jom* omnem posteri temporis successionem notat, tam quae hodie fluit, quam quae sequentibus deinceps diebus, sic & ἐπιοῦσα accipi debet. Ergo ἄρτος ἐπιούσιος non tam panem sequentis diei significat, quam successivum panem ἄρτον ἡμερήσιον sive dimensum diurnum, & quod Hebraice diceretur דבר יום ביום *debar jom bejom*. At enim inquis in Hebraico Evangelio teste Hieronymo לחם מחר *lechem machar* legebatur, quod *panem crastinum* interpretari possis. Verum ut omittam quod hujus capitis v. 34. vetatur nobis sollicitis esse in crastinum: ridiculum est petere, ut sequentis diei annona hodie in antecessum nobis repraesentetur. Ergo מחר quoque Hebr. meram successionem hic significat. Quamquam, ut fatear, vel hoc indicio deprehendere mihi videor, Hebraicum illud Evangelium, ad quod nos saepe Hieronymus rejicit, adeo e Matthaei manu non fuisse, ut hoc saltem loco ex Graeco Matthaei textu redditum fuisse videatur. Nunquam enim crediderim Matthaeum *machar* scripsisse, sed quicumque istius Hebraici Evangelii auctor fuit, non habuit aliud vocabulum, quo ἐπιούσιον Hebraice redderet; quippe qui sciret ἐπιοῦσαν saepe diem crastinum significare; utrum autem huic loco ea significatio conveniret, interea securus. Tum illud non video quid obstet, quod Luc. XI. 3. pro σήμερον est τὸ καθ' ἡμέραν (nam cetera eadem apud Lucam reperiuntur) quasi βαττολογία (a qua precationes nostras abhorrere voluit Christus) fuerit dicere: *Panem nostrum quotidianum da nobis quotidie*. Non est ταυτολογία, nec frustra additum τὸ καθ' ἡμέραν· plus enim certe petit, qui sic precatur: *dimensum diurnum da nobis quotidie*, quam qui ait: *da nobis hodie*. Nisi quod Matthaeus ipse ex Luca exponendus est, tamquam si Hebraice dictum dixisse יום יום *jom jom*. Atque hic omnino litteralis est hujus loci intellectus.

AD MATT. VII. 2.

In qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis] Confer Ciceronem in Bruto ad finem sect. 15. (pag. mihi 528. edit. Vesburgi).

AD MATT. VII. 7.

Quaerite & invenietis] Fortasse allusum ad parabolam de mulieris studio, quo drachmam amissam post sedulam pervestigationem reperit. Ζητεῖτε καὶ εὑρήσετε. proverbiale est, ut illud Aristophanis εὑρήσεις ζητῶν, *Quaerendo invenies*: tum & Pythiae responsum apud Clem. Alex. non longe a stromatei quarti initio: ὅστερ φασὶ καὶ δούλῳ τινὶ χρωμένῳ ποτὲ, τί ἂν ποιῶν τὸν δεσπότην ἀρέσαιτο, ἀνειπεῖν

Digitized by Google

ἀνυπεῖν τὴν Πυθίαν, Εὑρήσεις ἐὰν ζητήσῃς. *Quemadmodum ferunt, ſervo aliquando ſciſcitanti, qua re maxime domino placiturus eſſet, reſpondiſſe Pythiam: Invenies ſi quaeſieris.*

Quid ſi ζητεῖν idem ſit quod *petere*, & εὑρεῖν quod *conſequi*? Ita certe ſentio. Ac primum quid huc *inveſtigare & reperire* pertinebat? Qui ſic interpretantur, in eos illud Ariſtophanis convenit, apud quem Baton philoſophos de homine prudenti ζητοῦντας irridens ait:

Τοὺς τὸν Φρόνιμον ζητοῦντας ἐν τοῖς περιπάτοις
Καὶ ταῖς διατριβαῖς, ὥσπερ ἀποδεδρακότα.

Non aliud quam ad petendum cohortari Chriſto propoſitum fuit. Id vero tribus aequivalentibus inciſis inculcat, quorum ſecundum & tertium per ἐπεξήγησιν idem valent, quod *petite & accipietis*, quod praeceſſerat. Adhaec etſi non meminerim, apud exteros ſcriptores τὸ ζητεῖν pro αἰτεῖν uſquam poſitum: frequenter tamen apud Helleniſtas ea notione ponitur, ut ζητεῖν σημεῖον in Evangeliis. Et Eccleſiaſtici III. 20. Μὴ ζήτει παρὰ Κυρίου ἡγεμονίαν: & XXVIII. 3. Καὶ παρὰ Κυρίου ζήτει ἴασιν. Apud LXX. autem ſaepiſſime, ut Pſ. XXXIX. 10. Et Iſaiae LXV. 1. quibus locis Hebraice eſt שאל *ſciaal* petiit. Et III. Reg. X. 24. II. Paral. VII. 14. IX. 23. Eſdr. VIII. 21. 23. Nehem. V. 12. Pſ. XXVI. 7. 13. LXXXII. 15. Ezech. VII. 26. Dan. I. 20. His locis omnibus hebraice eſt בקש *bikkeſc* petendi ſignificatione poſitum, ut & Eſdr. VII. 5. in fonte eſt בקשה *bakkaſciah* petitio. Et revera ab Hebraico בקש *bikkeſc*, quod & inveſtigare & petere ſignificat, is uſus verbi ζητεῖν apud Helleniſtas haud dubie manavit. Quamquam & illud, quod ſupra poſui, εὑρήσεις ἐὰν ζητήσῃς (uti ſunt Pythiae reſponſa ad ancipitem ſignificationem compoſita) praeter obviam intelligentiam, hoc potiſſimum innuebat: Pete ſis a tuo domino & ipſemet tibi dicere non gravabitur.

Atque hinc patet vis vocis alterius εὑρήσετε, quae nihilominus, quam Hebraeis מצא *matſa*, ab Helleniſtis ſaepe pro conſequi ponitur: unde Jobi III. 22. pro Hebraeo *matſa* LXX. κατατυγχάνω *conſequor* tranſtulerunt. Hinc frequens illa locutio מצא חן *matſa chen*, εὗρηκε χάριν· etſi plurimum cum ἐναντίον, ἐνώπιον ἐν ὀφθαλμοῖς alicujus conſtruitur; tamen Eſth. II. 16. legitur ἦν γὰρ Ἐσθὴρ εὑρίσκουσα χάριν παρὰ πάντων h. e. *conſecuta gratiam ab omnibus*. Ejuſdem ſignificationis ſunt in libris ſacris εὑρεῖν ἔλεος, σοφίαν, ζωὴν, ἀναψυχὴν, ἀνάπαυσιν, εἰρήνην.

Ergo nihil dubium, quin ζητεῖτε καὶ εὑρήσετε eandem habeat cum praecedentibus & ſequentibus ſignificationem, *poſtulate & conſequemini*.

AD MATT. VII. 9.

Aut quis ex vobis homo, quem ſi petierit filius ſuus panem, numquid lapidem porriget ei?] Sermo videbatur ἀνακόλουθος: Sed recte Grotius apud Hebraeos τίς ſaepe poni non tam πνευματικῶς, quam ὑποθετικῶς pro *ſi quis* animadvertit; id quod ex aliis Evangeliorum locis & ex Aggaei II. 3. declarat.

AD MATT. VII. 12.

Omnia ergo quaecunque vultis ut faciant vobis homines, & vos illis facite] Graeciſmus πάντα ὅσα . . ποιῶσιν idem valet quod apud Lucam VI. 31. in eadem ſententia καθὼς &c. *prout vultis ut faciant* &c. quod generalius eſt, & non ſolum id complectitur *Quod tibi vis alteri feceris*, ſed etiam hoc alterum *Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Non male ergo hunc Matthaei locum (ut Graeca pro-

prietas

prietas ſonat) quis poſſit exponere. *Quales ſe vobis praeſtare homines vultis, tales & voſmet illis praeſtate.* Huc, credo, digitum intendebat Lampridius de Alexandro Severo cap. 51. cum diceret: *viſne hoc in agro tuo fieri, quod alteri facis? Clamabatque ſaepius, quod a quibuſdam ſive Judaeis ſive Chriſtianis audierat, & tenebat: idque per praeconem, quum aliquem emendaret, dici jubebat, QVOD TIBI FIERI NON VIS ALTERI NE FECERIS. Quam ſententiam uſque adeo dilexit, ut & in Palatio, & in publicis operibus praeſcribi juberet.* Vide ad 1. Pet. II. 18. Petri ſententiam antiqui operis ſtatuae ſubſcriptam; quo minus miremur, Alexandrum χριστιανικὰ παραγγέλματα operibus praeſcripſiſſe.

AD MATT. VII. 13.

Quia lata porta] Confer Coteler. ad Barnabae cap. 18. ad not. 17.

AD MATT. VII. 21.

Non omnis qui dicit mihi Domine Domine, intrabit in regnum caelorum: ſed qui facit voluntatem patris mei . . . ipſe intrabit in regnum caelorum] Non ſatis eſt clamare, ut recludantur fores, ſed plena manu (h. e. bonis operibus) pulſanda eſt janua. Tibullus l. 1. el. VI. 31.

Heu canimus fruſtra: nec verbis ſponte pateſcit
Janua, ſed plena eſt percutienda manu.

AD MATT. VII. 28.

Et factum eſt cum conſummaſſet Jeſus verba haec, admirabantur turbae] Καὶ ἐγένετο ὅτε συνετέλεσεν &c. Hebraiſmus quo vix ulla V. T. pagina vacat ויהי כי *Vaichi chi* &c. Talibus hebraiſmis Matthaeus plus ceteris ſcatet, ut qui vernaculo ſermone conſcripſit Evangelium. Semper autem in his talibus aliquid de hebraiſmo decedit, ac propius ad Helleniſmum accedit: nam hebraica σύνταξις ante illud ἐξεπλήσσοντο *admirabantur*, repetitam copulativam particulam poſtulabat. Hoc & Cicero uſurpavit, ſed tamen ſequente *Vt*. Sic enim initio Divinationis in Q. Caecilium: *Factum eſt, uti, cum ſummam in veteribus patronis multis, tum nonnullum etiam in me praeſidium ſuis fortunis conſtitutum eſſe arbitrarentur.*

AD MATT. VIII. 8.

Tantum dic verbo &c.] Μόνον εἶπε λόγον, καὶ ἰαθήσεται ὁ παίς μου. Verbalem medicinam pervagatam fuiſſe apud veteres nemo ignorat; itaut quibuſdam ἐπῳδαῖς ad medendum uterentur. An talem aliquam facultatem in Chriſto agnovit Centurio? Certe ſimilis eſt locus apud Lucianum in Charonte ſeu ἐπισκοπῦσι, ubi cum Charon conquereretur non poſſe ſe e ſublimi ſpecula homines dignoſcere, quodam carmine ſe uſurum pollicetur Mercurius, quo videndi acies acutiſſima Charonti comparetur, Καὶ τοῦτο γὰρ ἐγὼ ΙΑΣΟΜΑΙ σοι, καὶ ὀξυδερκέστατον ἐν βραχεῖ ἀποφανῶ· παρ' Ομήρου τινὰ καὶ πρὸς τοῦτο ἐπῳδὴν λαβών, κἀπειδὰν εἴπω τὰ ἔπη &c. ſecundum haec eâdem reſponſione, qua heic Centurio, Charon uſus dixit: ΛΕΓΕ ΜΟΝΟΝ. Tamen quae hic ſequuntur, omnia egregiam hujus Centurionis fidem declarant, qui non ex verborum vi aliqua, ſed e Chriſti Divina potentia filii ſui ſanitatem ſibi promiſerit; quam fidem merito Chriſtus commendavit.

AD

Digitized by Google

AD MATT. VIII. 12.

Ejicientur in tenebras exteriores.] Quid ſint *tenebrae exteriores*, facilius eſt affirmare, quam nominis rationem afferre. Eſt enim in carceribus ſecretus a ceteris locus tenebricoſiſſimus, in quem vix aut ne vix quidem lux ulla crepera infunditur. In his regionibus *Il Criminale*, aut *Segreta* vulgo dicitur. At illud aegre eſt, quod id genus cuſtodiis videbatur *Interioris*, quam *Exterioris* futura aptior nomenclatura; quia quo quidque interius, eo a luce ſecretius: cum contra exteriora ſint etiam patentiora lumini. Ac dedi aliquando operam, ut in hanc appellationem ex linguis Orientis claritatis aliquid inferrem; ſed ſimul memini, commentationem illam haud mihi tunc feciſſe ſatis. At nunc demum animadverti nominis illius cauſam ex Romana potius loquendi ratione eſſe arceſſendam. Ac profecto cuſtodias iſtas tenebricoſiſſimas quod hodie noſtra tribunalia *Secretam* appellent, id eo fit quod ea loca a ceteris carceribus *ſecreta* ſint, & *extra* ceteros carceres. Id autem ab Romana loquendi conſuetudine profectum, Acta S. Vincentii Martyris ſub ipſa initia IV. ſaeculi ſcripta, me docuerunt. In quibus Sect. VIII. (apud Ruinartum) Dacianus judex in Vincentium furens, *Quaerite*, inquit, *locum tenebroſum, & oppreſſum urgente tectura* (h. e. humillimo tecto veluti ſtrangulatum) *ab omni publica luce SEPOSITVM*, (en cur *Secreta* noſtri hominibus dicatur) *perpetuaque nocte damnatum, reatui ejus peculiarem, EXTRA videlicet CARCERES CARCEREM.* Ita Romanis is locus dicebatur: *Extra carceres carcer*: ἡ ἔξω εἱρκτή, h. e. *carcer exterior*, ſive ut in Evangelio dicitur, τὸ σκότος (nam id genus cuſtodiae ab eo quod erat magis horrendum, σκότος vocabatur) & quidem σκότος ἐξώτερον, *tenebrae exteriores*, quia extra communem carcerem. Atque id genus cuſtodiae tum in Actis S. Perpetuae, tum pluries in aliis Martyrum hiſtoriis deſcribitur, unde lux huic Matthaei loco afferri queat.

AD MATT. VIII. 15.

Dimiſit eam febris.] *Dimiſit* pro *reliquit*; ut eſt illud Spartiani Hadriano cap. 25. *Venit & de Pannonia quidam natus caecus ad febrientem Hadrianum, eumque contigit: quo facto & ipſe oculos recepit, & Hadrianum febris reliquit.* At Noſter *dimiſit* pro *reliquit* ex uſu labentis Latinitatis. Sic & vox illa M. Antonini morientis apud Capitolinum in ejus vita cap. 28. *Si jam me dimittitis* (h. e. deſeritis) *vale vobis dico, vos praecedens.* Idem Capitolinus Lucio Vero cap. 9. *Quod Marcus nollet Lucium ſine ſe vel ad bellum mittere, vel in urbe dimittere.*

AD MATT. VIII. 17.

Ipſe infirmitates noſtras accepit: & aegrotationes noſtras portavit] Allegantur haec ex Iſa. LIII. 4. ubi legitur: *Vere languores noſtros ipſe tulit & dolores noſtros ipſe portavit.* Conqueritur heic Ligtfootus videri inter Iſaiam ac Matthaeum non parum in ſpeciem intereſſe; illum enim de Meſſia portante in ſe hominum languores, hunc de ſanante in aliis; illum de animi, hunc de corporis morbis, illum de tempore paſſionis, hunc actionis. Verum fruſtra horum, uti putat, ἐναντιοφανῶν ſolutio torquet eruditum virum: quae fumo vaniora fient, ubi ad ea, quae ad Joh. XII. 6. de notione verbi βαστάζω diximus, animum adjeceris; quod verbum (ut & in Propheta סבל & נשא ſaepe non *ferendi* ſed *auferendi* vim habet. Matthaeus qui Prophetae locum non ex Graeca

Digitized by Google

verſione, ſed ἀμέσως ex Hebraeo tranſtulit; recte (*) putavit סבל *ſabal* eandem, quam βαστάζω, habere vim. Et certe Tertullianus lib. 3. adv. Marcionem extremo cap. 17. (ubi hunc locum ex Iſaia citans', tamen non ut in Graecis interpretibus, a quibus vetus verſio fluxerat, is locus ſe habet, ſed ut in Matthaeo, exhibet) prorſus credidit illud *portavit* tantundem valere quod *aſportavit*, non ſolum quia alibi apud Tertullianum ea notione *porto* uſurpari ad Joh. XII. 6. docuimus; verum etiam quia in ἐπεξηγητικῇ ſententia cum *abſtulit* copulavit. Ibi ergo Tertullianus docens per Iſaiam annuntiari Chriſtum *medicatorem* (in quo & cum Matthaeo conſentit, qui Iſaiae locum ad Chriſti curationes retulit) ſic ex Propheta citat: *Ipſe enim, inquit, imbecillitates noſtras abſtulit, & languores portavit*. Cum ſit iſthaec ἐπεξήγησις· tantundem eſt *portavit*, quod *abſtulit* membri prioris, quae notio, uti dixi, Tertulliano non ignota fuit. Ergo hoc potiſſimum Iſaias vult, Meſſiam morbos quoſcunque ſive corporum ſive animorum ablaturum (ſive in ſe recipiendo, ſive non, de quo non digladior) Matthaeus vero haec Iſaiae γενικώτερα recte de Chriſto intellexit, morbos non tam in ſe derivante, quam medendo, auferente.

Et aegrotationes noſtras portavit] Νόσους *aegrotationes* maluit, quam *aegritudines* interpretrari Hieronymus (ſi ab Hieronymo hoc vocabulum) quippe qui memor Tullianae ſententiae III. Tuſc. 10. *Vt aegrotatio in corpore, ſic aegritudo in animo*, id imitatus fuerit epiſt. 37. ad Julianum: *me*, inquit, *jugis tam corporis aegrotatio, quam animae aegritudo conſumſit*. Etſi *aegritudinem* de caprarum morbo Colum. VII. 7. de elephantorum Plinius VIII. 1. de hominum Tacitus annal. VI. 9. Curtius III. 5. dixiſſe deprehenduntur.

AD MATT. VIII. 22.

Dimitte mortuos ſepelire mortuos ſuos.] Figurae genus hoc Comicis, & epigrammatum ſcriptoribus (habet enim in ſermone familiari incredibilem venuſtatem) uſitatum, πλοκὴν Donatus ad Terentium appellat; cum vox eadem bis ponitur, ſed ſignificatu diverſo. Sic etiam Joh. II. 23. 24. Juriſconſulti etiam eadem figura uſi comperiuntur.

AD MATT. VIII. 32.

Et ecce impetu abiit totus grex per praeceps in mare] Gr. κατὰ τῆ κρημνῆ. Errant qui κατὰ aliud heic ſignificare putant quam *per*, quemadmodum & Noſter expoſuit. Sic & Act. IX. 31. καθ' ὅλης τῆς Ιωδαίας· eod. cap. καθ' ὅλης τῆς Ἰόππης. Homerus Od. Z. Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' ὄυρεος ἰοχέαιρα. Libanius oratione parentali in Julianum (quam Fabricius vol. VII. bibl. Graecae inſeruit) cap. 57. καὶ δάκρυα κατὰ

(*) Rectiſſime, inquam, quia eodem Iſajae capite, XI. 11. verbum סבל *ſabal* Graeci interpretes per ἀναφέρω tranſtulerunt in hunc modum: καὶ τὰς ἁμαρτίας αὐτῶν αὐτὸς ἀνοίσει· quod certe *auferre ab iis peccata* ſignificat (in ſe ſumendo, ſcilicet; de quo non diſputo) ut etiam Ψ. 12. ejuſdem capitis, ubi eadem Graeca locutio τῆ κωλ reſpondet, quod ſaepiſſime *auferendi* vim habet: adde illud ad Heb. IX. 28. εἰς τὸ πολλῶν ἐνεγκεῖν ἁμαρτίας, quod ſcite Noſter vertit *Ad multorum exhauriendo peccata*. Poſſis & illud 1. Pet. II. 24. ὃς τὰς ἁμαρτίας ἡμῶν αὐτὸς ἀνήνεγκεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἐπὶ τὸ ξύλον ita reddere; *qui peccata noſtra ipſe abſtulit corpore ſuo ſuper lignum*. In his ergo, uti vides, ἀναφέρω idem quod ἀποφέρω: quae ſingularis eſt Helleniſtarum notio, profanis inuſitata. *Sabal* סבל autem eandem quoque ſignificationem habet Thren. V. 7. *Patres noſtri peccaverunt . . & nos iniquitates eorum* (סבלנו *ſabalnu*) *portavimus* h. e. abſtulimus, ſive ab iis in nos recepimus.

Digitized by Google

τὰ τῶν λογίων ἔῤῥει. Male interpres Olearius sic transtulit: *Lacrymisque ob ista oracula undiquaque diffluebat*: nam λογίων nomine est βιβλίον illud λόγια quaedam complexum (de quo cap. 56.) intelligendum, atque ad verbum sic verti poterat: *lacrymaeque per volumen oraculorum manabant*. Ac memini alibi eundem sophistam eâdem locutione usum, ut significaret ab oculis lacrymas per (κατὰ cum gen.) subjectas paginas inter legendum redundasse. Item cum jurandi verbis. Lucian. οἱ δὲ κατὰ κυνῶν καὶ χηνῶν καὶ πλατάνων ἐπώμνυντο.

Per praeceps in mare] Graece est κατὰ κρημνῦ. Nam sicut in compositione καταχρημνίζω non ἀποκρημνίζω dicitur pro *praecipitem agere*, sic & extra compositionem κατὰ κρημνῦ, & κατὰ κρημνῶν βάλλειν. Sic etiam κατὰ πέτρας, non ἀπὸ πέτρας. Hom. Od. ξ. κατὰ πέτρης βαλεῖν.

AD MATT. IX. 4.

Vt quid cogitatis mala in cordibus vestris] Ecclesia Africana in professione fidei apud Victorem Vitensem III. 13. habet sic: *Quid cogitatis nequam in cordibus vestris?* Et quidem *nequam* apud antiquos ferme quidquid ἀχρεῖον: at in veteribus Glossis etiam πονηρὸς (πονηρὰ heic habet Matthaeus) redditur.

AD MATT. IX. 16.

Nemo autem immittet commissuram panni rudis in vestimentum vetus: tollit enim plenitudinem ejus a vestimento, & pejor scissura fit] Haec Graece sic habent: Οὐδεὶς δὲ ἐπιβάλλει ἐπίβλημα ῥάκους ἀγνάφου ἐπὶ ἱματίῳ παλαιῷ· αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου, καὶ χεῖρον σχίσμα γίνεται. Heic omnia interpretibus belle procedunt; qui illud ἄρει (sup. τὶ *aliquid*) exponunt *Aufert* (quomodo & Mar. II. 21. redditur) aut *Detrahit*, sed ita ut πλήρωμα (quod in Marco exponitur *supplementum*) sit recti casus, hoc sensu: *Supplementum* illud (sive assumentum) *aufert* aliquid *a vestimento*. Possis & ἀίρει tanquam neutrum accipere *abeundi* significatione, qua construitur cum ἀπὸ aut ἐκ: *assumentum illud discedit*, disjungitur *a vestimento*.

At in Cod. Cantabrigiensi (*) pro αἴρει legitur ἐῤῥει. Quam lectionem minime contemnendam arbitror. Ἐῤῥω apud Poetas aeque ac prosae scriptores sic *abeundi* notionem habet, ut tamen in malam partem accipi soleat, ac saepe cum abitu interitus conjunctus intelligatur; sic saepe apud Hom. & alios. Aristophanes Pluto: Ἐῤῥ' ἐς κόρακας θᾶττον ἀφ' ἡμῶν (quod Latini dicunt, *Abi in malam crucem*) id quod alibi dicit ἀποφθάρητι & ἐκφθάρητι, *peri*. Itidem pro *facesso* est apud Platonem Philebo, (& quidem de rebus inanimatis, ut apud Matth. heic) αὐτὰ ἔῤῥει ταῦτα ἐκ τῆς ἑαυτῶν χώρας. Idem in Epist. Πόλεις Ἑλληνίδας ἐῤῥυσας ὑπὸ βαρβάρων οἰκίζειν, *Graecas civitates pessum euntes a barbaris condere*. Ergo & heic eodem sensu πλήρωμα *abit* (ἔῤῥει) a vestimento vetere. Quid de hac lectione sentiendum? Equidem quamquam non ausim apicem unum de pervulgata lectione mutari (nam & heic apud Matt. & apud Marcum in eadem similitudine αἴρει summo consensu legitur) tamen τὸ ἔῤῥει pro interpretatione τῦ αἴρει habendum esse, contendo. Fuit enim aliquis, qui supra αἴρει glossema istud ἔῤῥει scripserit; quod jam in Cantabr. codicem loco τῦ αἴρει transfusum fuit. Atque haec de voce αἴρει.

At de vocabulo πλήρωμα non facile assentior interpretibus. Nam ad unum

(*) Hanc lectionem Codicis Cantabrigiensis peri ad calcem N. T. edit. Lips. an. 1697. non affert hèic Millius: sed eam notatam re-

Digitized by Google

omnes idem volunt esse ac ἐπίβλημα ῥάκους (*adsumentum panni*) quod supra posuerat. Ego contra vix dubito, quin πλήρωμα (*plenitudo*) significet heic non ipsum quidem (ἐπίβλημα) *adsumentum*, sed *adsumenti* (ποιότητα) *qualitatem*, puta *crassitudinem*, quae est panni novi propria, quaeque veteris, cui haeret, scissionem efficit. Atque haec πληρώματος significatio nec a proprietate Graeci sermonis abludit (apud Dioscoridem πλήρης ῥίζα est radix quae firmitudinem habet) nec a Latino (Colum. IV. 30. *Perticae cacuminum modicae PLENITVDINIS, quae tamen dipondiarii orbiculi CRASSITVDINEM non excedant, optime panguntur*. Cic. in II. de Divin. jecur *plenum* jecori *exili* opposuit) nec postremo ab eo, qui Matthaeo vernaculus erat. Etenim מליותא (ad verbum *plenitudo*) saepe in Targumim *aggerem* aut *tumulum* significat. Ab eo fit ut Syriacum מליותא *maliuto* (*) ejusdem originis, quod heic pro πλήρωμα Syrus usurpavit, *crassitiem*, & *firmitudinem* notet, quae novo panno inest, non vero *supplementum*. Hinc intelligis quid sit πλήρωμα apud Paulum ad Eph. IV. 13. *Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram aetatis* (sive staturae Gr. ἡλικίας) *plenitudinis* (Gr. πληρώματος i. e. *firmitudinis*) *CHRISTI*. Postremo, ut cetera omittam, optime in Codice Evangelior. S. Gatii Turonensis (ante mille an. scripto) in hoc Matt. loco pro *plenitudine*, *fortitudinem* scribi, ajunt, qui ejus codicis lectiones excerpserunt. A panni *plenitudine* seu crassitudine *fortitudo* oritur, quam Philo in re simili ἐπικράτειαν appellat; ibi scilicet ubi exponit legem, quae lanam & linum una contexi vetat. Καὶ γὰρ ἐπὶ τούτων ὐ μόνον ἡ διαφορότης ἀκοινώνητον, ἀλλὰ καὶ ἐπικράτεια θατέρου, ῥῆξιν ἀπεργαζομένου, *Nam in talibus non modo* (*generum*) *discrepantia communionem respuit, verum etiam & alterius fortitudo, quae scissuram efficit*. Ergo haec verba: αἴρει γὰρ τὸ πλήρωμα αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ἱματίου sic reddi Latine possunt: *Nam plenitudo* (h. e. firmitudo) *ejus* (panni rudis) *aufert* (sive *detrahit*, aut *abit*, *disjungitur*) *a vestimento*; suaque vi scissuram efficit ibi, ubi deficit adsumentum novum.

AD MATT. IX. 23.

Et vidisset tibicines & turbam] Siticinum, ut proprio utar vocabulo, mos etiamnum IV. ineunte saeculo perseverabat. Meminit Eusebius IX. hist. VIII. in pestis famisque descriptione sub Maximino: οὐδ' ἦν ἄλλο τι θεωρεῖν, ἢ θρήνους μετὰ τῶν συνήθων αὐτοῖς αὐλῶντε καὶ κτύπων. *Nec porro aliud contemplari licebat, quam lugubres naenias cum usitato apud eos tibiarum cantu atque planctu*. Scio hodieque in obscuris regni Neapolitani locis, proinde vetusti moris tenacioribus, non sine instrumentorum concentu efferri cadavera.

AD MATT. IX. 35.

Et circuibat Jesus omnes civitates & castella (Graece κώμας) *docens in synagogis*

(*) Syrus hunc Matthaei locum sic vertit, ex latina Polyglot. Antwerp. translatione: *Nequid* (נתוך *nettuph*) *detrahat* (מליותה *maljuthoh*) *supplementum ex illo vestimento*. Male. Nam primum נתך *Netaph* in eod. Syro in Jac. III. 4. respondet τῷ ἰλαύνω, *agito*. Deinde מליותה *maljuthoh* quum sit cum affixo pronomine, melius exponetur *plenitudo* (i. e. firmitudo) *ejus* panni (novi scilicet) quam *supplementum ejus*: unde immerito Latinus Syri interpres ibi pronomen neglexit; ceteroqui non negligendum, quod & in Graeco & Syro reperitur. Syrum ergo sic verte: *Ne agitet* (i. e. *post se trahat*) *firmitudo ejus* (panni novi) *illud vestimentum*. At מליתא *Melitho* (quod Marci II. 21. pro πλήρωμα reperitur) non veto reddi *supplementum* (quod & Vulgatus interpres in Marco posuit) qui Marci locus ex Syro ad verbum sic verti debet: *Ne accipiat supplementum illud* (Syr. מליתא הי *melitho hai*) *novum de vetere*. *Accipiat* i. e. auferat, detrahat.

Digitized by Google

gis eorum] Κώμας pro minoribus civitatibus interdum Helleniſtas dicere, diſcimus & ex Bethleemo quae Joh. VII. 42. κώμη dicitur, idemque ex Luc. XXIV. 13. eandem appellationem Emmaunti tribuentis. Scimus Graecos interpretes vocabulum עיר *hhhir* ſaepe πόλιν, nonnunquam κώμην interpretari. Hic etiam injecta Synagogarum mentio efficiat fortaſſe ut minores civitates intelligamus. Verum nihil vetat, quominus in majoribus pagis ſynagogae fuerint, aut ſaltem proſeuchae, quae vel ipſae ſynagogarum appellatione venire heic poſſunt. Ceteroqui perſuaſum habeo πόλεις & κώμας, ἐναντίως heic uſurpari ita ut κῶμαι propria ſignificatione majores pagos deſignent. Nam κῶμαι & πόλεις hoc differunt, quod illae moenibus carent, hae illis cinguntur. Id ſibi vult Strabo lib. 3. pag. 154. de Luſitanis: Καὶ κώμας ποιήσαντες (Ρωμαῖοι) τὰς πόλεις αὐτῶν τὰς πλείστας, ἐνίας δὲ καὶ συνοικίζοντες βέλτιον. *Pleriſque eorum urbibus in pagos mutatis, nonnullis etiam melius munitis*. Quod enim ποιεῖν κώμας ſit muros diruere, docebit M. Portii factum (quod imitatus, qui Luſitanos domuit) qui, teſte Plinio, effecit, ut omnium urbium intra Baetin muri una die dejicerentur. De quo vide etiam Front. ſtrat. I. 1. Appianum & Plut.

AD MATT. X. 1.

Dedit illis poteſtatem ſpirituum immundorum.] Gr. πνευμάτων ἀκαθάρτων. Hinc apud Eccleſiaſticos ſcriptores καθαίρεσθαι dicebantur, a quibus ſpiritus ἀκάθαρτοι expellerentur; quo verbo utitur Athanaſius in Antonii vita; & Sozomenus IV. 16. de Arſacio narrat: ἱκανὸς ἦν δαίμονας ἀπελαύνειν, καὶ τοὺς ὀχλουμένους ὑπ' αὐτῶν καθαίρειν. Inter καθαιρομένους, quorum meminit Dionyſ. Areop. in de Eccleſ. Hierar. numerabantur praecipue energumeni. Euſebius V. hiſt. 7. καθαρισθέντας ἀπὸ τῶν πονηρῶν πνευμάτων eadem notione dixit. Vide Valeſium ad allatum Euſebii locum, ubi Latinorum Patrum exempla aggerat, apud quos *purgari* eodem ſignificatu daemoniaci dicebantur.

AD MATT. X. 2. 3. 4.

Petrus & Andreas &c. *Philippus & Bartholomeus, Thomas & Matthaeus* &c.] Quid hoc ſibi vult, quod tam hîc, quam Lucae VI. 14. 15. 16. Apoſtoli non ſingillatim ſed bini percenſentur, ut non tam ſingula capita, quam paria enumeraſſe videatur Evangeliſta? Non enim hic uſus conjunctionis Καὶ apud Graecos reperitur, ut alternatim adhibeatur; niſi forte ita Hebraeos in computando conjunctionem uſurpaſſe dicatur.

Animi pendeo utrum idcirco per paria Apoſtolos percenſitos putem, quod ut legitur Marci VI. 7. binos illos ad praedicationis & curationum miniſterium miſerit. Καὶ προσκαλεῖται τοὺς δώδεκα, καὶ ἤρξατο αὐτοὺς ἀποστέλλειν ΔΥΟ ΔΥΟ. Sic etiam Lucae X. 1. poſtquam Jeſus ſeptuaginta alios ſibi adjunxiſſet, ἀπέστειλεν αὐτοὺς ἀνὰ ΔΥΟ πρὸ προσώπου αὐτοῦ.

AD MATT. X. 5.

In viam gentium ne abieritis] Verbum fuit vetus apud Judeos, a quibus hauſit Pythagoras (ἀνέκαθεν, uti antiqui volunt, Judaeus, aut certe in pleriſque judaizans) ubi apud Philonem lib. *Quod omnis probus ſit liber* praecipit, ταῖς λεωφόροις μὴ βαδίζειν ὁδοῖς. Quod totum non κατὰ ῥητὸν, ſed κατὰ τὸ νοητὸν eſt capiendum, ne ſcilicet ad gentium inſtituta deflectamus, nec cum eorum moribus

Digitized by Google

moribus assuescamus. Hinc alibi excuti pulverem jubet in eos, qui Apostolicum sermonem non receperint.

AD MATT. X. 3.

Et Matthaeus publicanus] Hoc ideo additum, ut se peccatorem fuisse ostenderet: nam apud Judeos *peccator* & *publicanus* duo ferme erant rei unius vocabula, nisi quod illud patebat latius. Ceteri quoque apostoli se peccatores profitentur; Petrus ubi ait: *exi a me Domine, quia homo peccator sum*. Paulus se peccatorem & persecutum Ecclesiam Dei fatetur. Unam adeo omnium Apostolorum fuisse vocem puto, se peccatores prodentium: nam & omnium innocentissimus Joannes ait: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus*. Ergo cum eadem haec esset omnium Apostolorum confessio: hinc factum, ut in Barnabae adscripta epistola legatur Christus peccatores maximos in Apostolos elegisse: quod tamen de aliquibus, non omnibus, intelligendum, & in eum finem dictum, ut peccatoribus spem faceret poenitentiae. Τότε δὲ τὺς ἰδίυς Αποςόλυς μέλλοντας κηρύσσειν τὸ εὐαγγέλιον αὐτῦ ἐξελέξατο, ὄντας ὑπὲρ πᾶσαν ἁμαρτίαν ἀνομωτέρυς, ἵνα δείξῃ, ὅτι ὐκ ἦλθε καλέσαι δικαίυς, ἀλλὰ ἁμαρτωλὺς εἰς μετάνοιαν.

AD MATT. X. 10.

Neque duas tunicas habeatis]. Vestes ἀμοιβαίυς i. e. mutatorias, ditiores habebant, ita ut densiores frigore aut tempestate saeviente induerent. Vide Od. XIV. 521. & 522. Rustici & tenuioris fortunae homines mutatoriis apud Homerum ibidem v. 513. & 514. carebant. Alium Homeri locum jam occupavit Grotius ad 4. Reg. V. 5. videatur & Synopsis & Calmet. ad Isa. III. 22. & Zach. III. 4. si forte idem notatum. Hortatur ergo Apostolos Christus, ut tenuiorum hominum victum ac vestitum imitentur.

AD MATT. X. 16.

Et simplices sicut columbae] ἀκέραιοι. In epistola Synodica Antiochenorum patrum apud Euseb. VII. hist. 30. de Samosatensi Paulo dicitur: καὶ τὰς τῶν ἀκεραιοτέρων ψυχὰς τοῖς τοιύτοις ἐκπλήττων. *Atque hujusmodi artibus simpliciorum animos perterrefaciens*. Quem locum eo notavi, quod multo sit clarior, quam Philostrati auctoritas, qua ad hanc significationem firmandam affert H. Stephanus in thesauro. Scholiastes Euripidis ad Orestem: Ακέραιος, ἁπλῦς. Venit enim a κεράω *misceo*.

AD MATT. X. 19.

Cum autem tradent vos] Cyprianus epist. 56. *Cum autem vos apprehenderint*, etsi idem saepe alias *tradiderint* habet. Ceterum tum heic ac supra ℣ 17. tum Matt. IV. 12. Luc. XXI. 12. Mar. I. 14. & alibi, *Tradere* & παραδῦναι idem videtur esse quod *tenere* & *apprehendere*. Ea significatio Judaeorum Hellenistarum peculiaris, apud quos in veteris Foederis versione παραδίδωμι τῷ הסגיר *hisghir* aut aliis *concludendi* verbis respondet, ut Deuteron. XXIII. 15. XXXII. 30. 1. Sam. XXIII. 12. Job. XVI. 11. Ps. LXXVII. 53. LXXXVII. 9. Is. XIX. 4. ut παραδῦναι heic idem sit quod *tenere*, aut in carcerem tradere. Simile est quod in Philoxeni glossis reperi in hunc modum: παράδοσις, *mancipatio*, ut videatur hoc fuisse παραδῦναι, quod *carceri mancipare*.

AD MATT. X. 28.

Animam & corpus perdere in gehennam] Apud Cyprianum epist. 56. 81. & ad

Digitized by Google

& ad Fortunatum est *occidere in gehennam*. Ut apud Horatium *occiditque legendo*.

AD MATT. X. 29.

Et unus ex illis non cadit super terram sine patre vestro?] Cypr. epist. 55. & 69. sic citat: *& neuter eorum cadit in terram sine patris vestri voluntate*: quo non inepte Graeca redduntur καὶ ἓν ἐξ αὐτῶν οὐ πεσεῖται &c. Nam Hebraice *unus non* tantundem quod *nemo*. Rursus ἄνευ τοῦ Πατρὸς ὑμῶν scite ac proprie redditur *sine patris vestri voluntate*. Quanquam & *sine patre vestro* hoc ipsum prisci Latinis significat, apud quos *sine patre vestro* tantundem est, ac *absque patre vestro esset*.

AD MATT. X. 32.

Qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.] Graece ἐν ἐμοὶ & ἐν αὐτῷ. Et ita citat Cyprianus epist. 37. *qui in me confessus fuerit . . & ego in illum confitebor.*

AD MATT. X. 36.

Inimici hominis domestici ejus] Proverbiale dictum, sumptum ex Mich. VII. 6. Notum est & illud: *Quot servi, tot hostes*; quod adagium affert Festus in QVOT. Et οἰκιακοὶ, quod in Graeco legitur, non minus ad servos, quam ad cognatos pertinet. Optime Noster οἰκιακοὺς reddit *domesticos*; nam & in Philoxeni Glossis unum alteri respondet.

AD MATT. X. 39.

Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam] Gr. ὁ ἀπολέσας τὴν ψυχὴν αὐτοῦ. Sic quoque Homerus Il. Ω. 168.

Χερσὶν ὑπ' Αργείων κέατο ψυχὴν ὀλέσαντες.

AD MATT. XI. 3.

Tu es qui venturus es.] Graece ὁ ἐρχόμενος praesenti tempore, sicuti & Samaritana *scio*, inquit, *quia Christus venit*, ἔρχεται. & saepe alibi Messias vocatur ὁ ἐρχόμενος potius quam ὁ ἐλευσόμενος: nimirum quod intelligerent tempus adventus ejus a Daniele praefinitum, jam appetiisse; omnesque adeo ad ejus exspectationem arrecti erant.

AD MATT. XI. 4.

Euntes renuntiate Johanni quae audistis & vidistis: Caeci vident &c.] Gr. πορευθέντες ἀπαγγείλατε Ιωάννῃ &c. Huc credo spectavit Nicephorus Gregoras in suis historiis pag. 452. edit. Boivinianae, ubi Zenonis philosophi, inter philosophos altercantes in convivio apud legatos Babylonios tacentis, dictum illud refert: πορευθέντες ἀπαγγείλατε ἰδεῖν ἐν Αθηναῖς ἄνθρωπον σιωπῶντα ἐν συμποσίῳ δυνάμενον. Perquam enim credibile fit, Gregoram dicto veteri phrasin evangelicam aptasse.

AD MATT. XI. 17.

Lamentavimus & non planxistis] ἐθρηνήσαμεν. Vide dicta de θρήνοις & θρηνῳδοῖς ad titulum Lamentationum Jeremiae.

Et non planxistis.] καὶ οὐκ ἐκόψασθε. Xiphilinus in exsequiis Pertinacis: Καί τινες ἐκόπτοντο, ἑτέρων πένθιμόν τι ἐπαυλούντων.

AD MATT. XI. 19.

Et justificata est sapientia a filiis suis] Δικαιόω sermone Hellenistico saepe non

non est justum efficere, sed justum ostendere sive δικαιολογήσασθαι, ut illud Psalmi, *Ut justificeris in sermonibus tuis*, & passim alibi. Cujusmodi & illud Eusebii VIII. hist. 2. δι' ὧν ἂν τὴν θείαν δικαιώσαιμεν κρίσιν. *Ex quibus aequitatem divini judicii possimus perspicere.*

AD MATT. XI. 21.

Vae tibi Corozain &c.] Ad finem commatos praecedentis supplendum τὸ *dicens*. Frequens ceteroqui apud scriptores ex obliqua ad directam orationem transitio.

Vae tibi Chorozain] Graecum οὐαὶ in utroque Foedere frequentissimum vetus & γνήσιος Hellenismus ignorasse videtur, judice Casaubono ad Polybium. Itaque celebrem Brenni vocem Romanis insultantis, *Vae victis*, ut est apud Liv. V. 48. Plutarchus pluribus verbis περιπέφρακτε, τί δ' ἄλλο, ἢ ὀδύνη τοῖς νενικημένοις. Tantumque abest, ut, quod in Latinis lexicis positum videas, *Vae* ex Graeco οὐαὶ sit factum, ut contrarium potius verisimile videatur.

AD MATT. XI. 26.

Ita Pater quoniam sic fuit placitum coram te] εὐδοκία ἔμπροσθέν σου· De εὐδοκία vide quae nos ad Ecclesiastici XVIII. 31. Interim εὐδόω eadem ferme notione usurpavit Homerus, apud quem sic precatur Ajax Telamonius Il. XVII. 645.

Ζεῦ πάτερ ἀλλὰ σὺ ῥῦσαι ὑπ' ἠέρος υἷας Ἀχαιῶν,
Ποίησον δ' αἴθρην, δὸς δ' ὀφθαλμοῖσιν ἰδέσθαι.
Εν δὲ φάει καὶ ὄλεσσον, ἐπεὶ νύ τοι εὐάδεν ὕτως.
Juppiter obscura educ e caligine Grajos,
Fac sudum, da resque oculis dignoscere: deinde
Vel perdas licet: id tibi quando BENEPLACET, esto.

AD MATT. XI. 29.

Humilis corde] ταπεινὸς τῇ καρδίᾳ. Apud exteros ταπεινὸς nomen est vitii: at sermone Hellenistico maximae omnium virtutis vocabulum est. Hinc Christiani *humilem* dixere, quem Latini *demisse de se sentientem*. A Christianis sumpsere & gentiles posteriorum temporum, qui & alia multa χριστιανικὰ post propagatum jam Christianismum usurparunt. Spartianus extrema vita Didii Juliani: *Objecta est etiam superbia, cum ille etiam in imperio fuisset humillimus*. Item in Caracalla cap. 2. *Fratrem* (Getam) *magna ejus humilitate despexit*. h. e. cum magna humilitate adversus ipsum uteretur.

AD MATT. XII. 24.

Hic non ejicit daemones, nisi in Beelzebub principe daemoniorum] Qui princeps daemoniorum a Christo appellatur, ejus nomen, *dominum* sive, *principem muscae* (sive potius *muscarum*, nam hebraice in collectivis nominibus singulare pro plurativo ponitur) notat: hoc ideo, quia daemones in vexandis hominibus muscarum audaciam, quam belluis istis tribuit Homerus, & ingenium referunt. Minerva Menelao robur instillatura, inter cetera muscae audaciam illi indidit. Il. XVII. 570.

Καὶ οἱ μυίης θάρσος ἐνὶ στήθεσσιν ἔτυκεν,
Ἥτε καὶ ἐργομένη μάλα περ χροὸς ἀνδρομέοιο
Ἰσχανέα δακέειν, λαρὸν τέ οἱ αἷμ' ἀνθρώπου.

Atque

Digitized by Google

Atque olli in pectus muſcae inſerit ingenium audax,
Quae etſi terque quaterque hominis de corpore abacta,
Mordet adhuc: tanta humani eſt dulcedo cruoris.

Sunt & aliae muſcae ſignificationes. Horapollo tradit Aegyptios *impudentem* ſignare volentes, muſcam pinxiſſe, eandem ſcilicet ob cauſſam, quod abacta iterum atque iterum redeat. Adde μυίας muſcas appellatos, qui alienis conviviis importune & impudenter ſeſe αὐτόματοι ingerebant, id quod ex Antiphane patet, & Plauto, qui in Poenulo Act. III. Sc. 3. 76. *hoſpitium ſine muſcis* i. e. ab hujuſmodi paraſitis liberum, dixit. Idem Comicus Mercat. Act. 2. Sc. 3. 26. *muſcam* appellat hominem curioſum, qui omnia perſcrutatur. Haec & alia ſunt daemonis ingenio oppido quam convenientia.

AD MATT. XII. 32.

Et quicumque dixerit verbum contra Filium hominis, remittetur ei: qui autem dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittetur ei, neque in hoc ſaeculo, neque in futuro.] Ex Marci III. 28. 29. intelligitur, *verbum* eſſe *peccata & blaſphemiae* intelligenda. Antitheſis autem haec tota mihi non videtur aliud, quam plus & minus complecti. Hebraici moris eſt comparationis gradum, quo carent, multis modis circumſcribere. Unus ex his modis ille eſt, quo quod minus eſt, negatur, quod plus, affirmatur. Ex eo ſunt genere: *Miſericordiam volo & non ſacrificium: Jacob dilexi, Eſau autem odio habui* i. e. non dilexi: nam hoc etiam Hebraicae eſt conſuetudinis, ut contrarium pro ἀντιφρητικῷ (*contradictorio*) uſurpetur. Ergo ſicuti haec explicantur, *Malo miſericordiam quam ſacrificium*; ſic etiam ubi dicitur, peccata in Filium remitti, non item in Spiritum Sanctum; non aliud ſignificatur, quam facilius illis, quam his dari veniam.

AD MATT. XII. 34. 35.

Ex abundantia enim cordis os loquitur. Bonus homo de bono theſauro profert bona &c.] Cyprianus ep. 55. ſic citat: *De abundantia enim cordis os emittit* (pro λαλεῖ videtur legiſſe ἐκβάλλει, quod ℣. 35. bis legitur). *Bonus homo de bono theſauro emittit bona, & nequam homo de nequam theſauro emittit nequam.* Vide quae de ἐκβάλλω diximus ad Luc. VI. 22.

AD MATT. XII. 38.

Volumus a te ſignum videre] Non qualecunque ſed de caelo (ut habet hîc Matthaeus, & XVI. 1.) idque proprie σημεῖον: nam morborum curationes & ſimilia inter δυνάμεις numerabantur: quamquam nec perpetuum id diſcrimen: nec ceteroqui ignoro Act. II. 19. τέρασι caeleſtibus opponi terreſtria σημεῖα. Id vero σημεῖον eo petebant, ut pietatis periculum facerent; neque enim in aliorum gratiam quam in compertae juſtitiae hominum ſigna hujuſmodi fieri, ex Judaeor. utique ſermonibus, Strabo didicit, qui lib. XVI. ubi de Judaeis pag. 761. ſic ſcripſit: Καὶ προσδοκᾶν δεῖν παρὰ τῦ Θεῦ, καὶ δῶρον ἀεί τι, καὶ ΣΗΜΕΙΟΝ τὺς σοφρόνως ζῶντας καὶ μετὰ δικαιοσύνης, τὺς δ' ἄλλυς μὴ προσδοκᾶν. *Qui caſte juſteque vitam inſtituunt; eis demum dona ſubinde ac ſigna a Deo eſſe exſpectanda; ceteris non item.* Et σημεῖον quidem ea notione non mere Helleniſticum, ſed & bene Graecum eſt (vide exempla in H. St. Theſauro). At δῶρον in Strabone quid ſit vide ad Act. II. 38.

AD MATT. XII. 40.

Sic erit filius hominis in corde terrae tribus diebus & tribus noctibus.] Hoc

Digitized by Google

est tribus ἡμεγονυκτίοις, non quidem solidis, sed inchoatis. Vide quae de hoc loco Petavius in de opificio sex dierum.

AD MATT. XII. 44.

Scopis mundatam] Purgatam iis sordibus, quas ex immundi spiritus habitatione contraxerit. Hinc *mundari* aut *purgari* energumeni dicebantur. Sulpic. Severus Dial. 1. cap. 14. de energumeno: *Quinto demum mense purgatus est.*

AD MATT. XIII. 8.

Aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum] *Centesimum* posuit pro *centuplum*, quod habet Lucas VIII. 8. & ead. notione *sexagesimum* & *trigesimum*. Sic enim antiqui loquebantur. Conferantur huc loca a Gronovio producta in Monobiblo pag. 35. 36. 37.

AD MATT. XIII. 13.

Quia videntes non vident] ὅτι βλέποντες οὐ βλέπουσι. Παροιμιῶδες videtur; nam eadem apud Menandrum est locutio:

Τῶν γραμμάτων ἄπειρος οὐ βλέπει βλέπων·
Illiteratus vel videns non pervidet.

AD MATT. XIII. 22.

Et sollicitudo saeculi istius] Καὶ ἡ μέριμνα τοῦ αἰῶνος τούτου i. e. vitae hujus. Nam sicut alibi docuimus βίον interdum idem esse quod saeculum, quatenus saeculum in deteriorem partem accipitur; sic invicem heic & Marci IV. 19. & alibi non raro αἰὼν vitam humanam notat: ut *saecla animantum*, sunt earum aetates seu vitae apud Lucretium lib. 2.

Inque brevi spatio mutantur saecla animantum,
Et quasi cursores vitai lampada tradunt.

AD MATT. XIII. 41.

Colligent de Regno ejus omnia scandala] Nullo alio ex loco melius quam hinc, vis verbi אסף *Asaph* apud Hebraeos colligitur, quod tum colligere significat, tum etiam colligere ad tollendum & perdendum; confer praecedentem & versum sequentem.

AD MATT. XIII. 47.

Sagenae missae in mare, & ex omni genere piscium congreganti] Graecum ipsum *sagenae* vocabulum Noster adhibuit, quo & Manilius usus est V. 678.

Excipitur vasta circumvallata sagena.

In glossis veteribus σαγήνη *verriculum* redditur, quam vocem tum Servius ad 1. Aen. tum Val. Max. IV. 1. extern. 7. usurpavit: a *piscatoribus*, inquit, *verriculum trahentibus*. At Varro, & Ulpianus *everriculum* una vocali auctius dixerunt. *Tragulam* quoque a trahendo appellarunt, pro quo Glossae veteres *tragum* posuerunt.

AD MATT. XIV. 5.

Ut prophetam eum habebant] Vis verbi ἔχω eo sensu, quo hic usurpatur, & paribus locis de eodem Joanne Matt. XXI. 26. & Marci XI. 32. Graecis scriptoribus inusitata videtur H. Stephano; nisi quod unum tantum exemplum affert ex Isocrate in Panath. τίνας ἂν ἔχω πεπαιδευμένους, ἐπειδὴ καὶ τέχνας καὶ τὰς

Digitized by Google

τὰς ἐπιστήμας καὶ τὰς δυνάμεις ἀποδοκιμάζω; *Quosnam igitur eruditos habeo, quando & artes & scientias & facultates nihili facio?* Lucas, quem fatentur, optime omnium graece nosse, eandem sententiam sic περιφράζει cap. XX. 6. πεπεισμένος γάρ ἐστιν Ἰωάννην προφήτην εἶναι.

AD MATT. XIV. 13.

Secuti sunt eum pedestres de civitatibus] πεζῇ tum heic tum Marci VI. 33. non significat eos omnes pedibus suis ingressos; sed tantum vult terrestri itinere venisse, etsi eorum aliqui equo aut asino vehérentur. Sic etiam quod Paulus Act. XX. 13. πεζεύειν dicitur, id Noster optime est interpretatus: *Ipse per terram iter facturus*; potuerat enim jumento uti: πεζῇ enim heic & alibi est ἀντιδιῃρημένον τῷ κατὰ θάλασσαν. Quin & *pedibus* apud Caesarem non aliud est, si recte judico, quam terrestri itinere. Sic enim in II. B. c. 7. *Pedibusque Narbonem, atque inde Massiliam pervenit*. Et cap. 9. *Pedibus* (L. Caesar) *Adrumetum profugerat*. i. e. terrestri itinere, quum ceteroqui ad oppida illa maritima adnavigari potuisset.

AD MATT. XIV. 21.

Manducantium autem fuit numerus quinque millia] Gr. ὡσεὶ πενταχισχίλιοι h. e. *ad quinque millia*. Hebraice dictum fuerit חמשת אלפים *chachameschetb alaphim*. Sicuti quod Jos. VII. 3. 4. כשלשת אלפים *chischloscheth alaphim*, Seniores verterunt ὡσεὶ τρισχίλιοι.

AD MATT. XV. 2.

Non enim lavant manus suas, cum panem manducant] Graecis eadem, quae Hebraeis consuetudo fuit. Od. Δ.

Χέρνιβα δ' ἀμφίπολος προχόῳ ἐπέχευε φέρουσα
Καλῇ, χρυσείῃ, ὑπὲρ ἀργυρέοιο λέβητος,
Νίψασθαι· παρὰ δὲ ξεστὴν ἐτάνυσσε τράπεζαν.
Σῖτον δ' αἰδοίη ταμίη παρέθηκε φέρουσα.
Tunc lymphas, famulae, gutto fudistis ab aureo
In pelvim e solido argento, manibusque rigandis
Rite operam datis: at levis prope mensa paratur
Interea, atque onerant cerealia dona canistris.

Sed & inter singulos missus, & post caenam lavabant manus, utentes ἀπομαγδαλίαις, quae sunt molliissimae partes panis (quas mox canibus projiciebant) aut alio smegmate: de qua re tota vide Potterum Archaeolog. IV. 19. etiam ante solam vini libationem Priamus lavat manus Il. Ω. 303. & seq. sic etiam Od. IV. Idque imitatur Virg. Aen. 1. *Dant famuli manibus lymphas*. Plautus Persa: *Date aquam manibus, apponite mensam*. Cicero in II. de Or. *Illud egregium Sextii: manus lava & caena*. Judaei autem largius, quam ceteri lavabant, ad eluendas legales sordes, quas rerum immundarum contactu forte contraxerant.

AD MATT. XV. 5.

Munus quodcumque est ex me, tibi proderit] Ut hîc Pharisaeorum Scribarumque astu filii parentes ludificabantur; sic sub Romanis principibus ii, qui agnatis infensi, iisdem hereditatem praeripere avebant, imperatorem heredem scribebant, etsi ne de facie quidem principi noti essent. Sed ut optimus quisque im-

Digitized by Google

peratorum fuit, ita maxime ab ignotorum hereditatibus adeundis abſtinuit, ut Auguſtus, teſte Sveton. cap. 46. Tiberius narrante Tacito, *Neque hereditatem cujuſquam adiit, niſi cum amicitia meruiſſet. Ignotos & aliis INFENSOS, eoque principem nuncupantes, procul arcebat.* Spartianus de Hadriano cap. 18. *Ignotorum hereditates repudiavit; nec notorum accepit, ſi filios haberent.* Tacitus in vita Agricolae: *A bono patre non ſcribitur heres, niſi malus princeps.*

Munus, quodcumque ex me eſt, tibi proderit &c.] Iniquum fuiſſe, ait Chriſtus *in ſacrum dedicare* (ut Xvirali verbo utar) ea quae parentum alimentis debebantur. Quomodo lege XII. tabb. vetabatur, rem, de qua controverſia erat, in ſacrum dedicari. Exſtat ea lex apud Gajum in VI. *ad leg. XII. tab.* (eaque eſt lex ult. *de litigioſ.*) ſed ita ut ſententiam, non verba recitet, in hunc modum. *Rem, de qua controverſia eſt, prohibemur in ſacrum dedicare; alioquin dupli poenam patimur; ne liceat eo modo duriorem adverſarii conditionem facere. Sed duplum utrum fiſco, an adverſario praeſtandum ſit, nihil exprimitur* (in lege XII. tab. de qua commentatur) *fortaſſis autem magis adverſario; ut is veluti ſolatium habeat pro eo, quod potentiori adverſario traditus ſit.*

Munus, quodcunque eſt ex me, tibi proderit; & non honorificabit Patrem ſuum &c.] Craſſum hunc Phariſaeorum errorem inſtaurarunt Saec. IV. Euſtachiani, adverſus quos Canon XVI. Gangrenſis dirigitur, qui anathema dicit in filios, *Qui a parentibus, maxime fidelibus, praetextu pietatis* (vel ſecundum Iſidorum *occaſione Dei cultus*) *receſſerint, & parentibus quem par eſt, honorem non tribuerint,* (iis nimirum alimenta negantes) *apud eos ſcilicet praepoſita in Deum pietate.* Quae ultima clauſula Graece ſic valet: *Quod ſcilicet Divinus cultus apud ipſos omnibus rebus praeferatur.*

AD MATT. XV. 13.

Omnis plantatio &c.] Ignatius ad Philadelp. Ἀπέχεσθε τῶν κακῶν βοτανῶν, ἅς τινας ὁ γεωργεῖ Ἰησοῦς Χριστὸς, διὰ τὸ μὴ εἶναι αὐτὰς φυτείαν Πατρός. Vetus interpres: *Recedite a malis herbis, quas non colit Jeſus Chriſtus, propter non eſſe ipſas plantationem Patris.* Et epiſt. ad Trallianos: Φεύγετε οὖν τὰς κακὰς παραφυάδας, τὰς γεννώσας καρπὸν θανατηφόρον . . . ἔτοι γὰρ οὐκ εἰσιν φυτεία Πατρός· εἰ γὰρ ἦσαν, ἐφαίνοντο ἂν κλάδοι τοῦ σταυροῦ &c. Vetus interpres: *Fugite malas propagines generantes fructum mortiferum . . . iſti enim non ſunt plantatio Patris. Si enim eſſent, apparerent utique rami crucis.* Occupata a Grotio.

AD MATT. XV. 24.

Non ſum miſſus niſi ad oves, quae perierunt domus Iſrael] Hinc eſt quod Chriſtum Hebraeorum Apoſtolum vocavit antiquitas, uti teſtatur ex cujuſdam Presbyteri auctoritate Clemens Alexandrinus apud Euſebium VI. hiſt. 14. Nam ei quaeſtioni, cur epiſtolae ad Hebraeos non conſuetam inſcriptionem Paulus praefixiſſet: *Paulus Apoſtolus &c.* ſic occurrit: ἤδη δὲ ὡς ὁ μακάριος ἔλεγε πρεσβύτερος, ἐπεὶ ὁ Κύριος Ἀπόστολος ὢν τοῦ Παντοκράτορος, ἀπεστάλη πρὸς Εβραίους, διὰ μετριότητα ὁ Παῦλος, ὡς ἂν εἰς τὰ ἔθνη ἀπεσταλμένος, οὐκ ἐγγράφει ἑαυτὸν Εβραίων Ἀπόστολον, διάτε τὴν πρὸς τὸν Κύριον τιμὴν, διάτε τὸ ἐκ περιουσίας καὶ τοῖς Εβραίοις ἐπιστέλλειν, ἐθνῶν κήρυκα ὄντα καὶ Ἀπόστολον. *Jam vero, ſicut beatus dicebat Presbyter, quandoquidem Dominus Omnipotentis Dei Apoſtolus ad Hebraeos miſſus fuerat, prae modeſtia Paulus, ut qui ad gentes directus erat, Hebraeorum Apoſtolum ſe minime inſcribit; tum ob ſuam erga Dominum reverentiam; tum quod*

Digitized by Google

quod ex abundanti ad Hebraeos ipſe, gentium praeco & Apoſtolus, ſcriberet. In eandem ſententiam diſputat Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Galatas, & in epiſtolam ad Hebraeos; ubi & illud notat, non decuiſſe ſeſe *Apoſtolum* inſcribere, qui eadem epiſtola de Chriſto dicturus erat: *Habentes ergo . . . Apoſtolum confeſſionis noſtrae Jeſum.*

Porro autem *oves quae perierunt* τὰ πρόβατα τὰ ἀπολωλότα hîc & ſupra X. 6. oves aberrantes intellige, quarum reperiundarum ſtudio ceteras novem & nonaginta reliquit. Sic & Lucae XIV. 32. *Perierat* (ἀπολωλὼς ἦν) *& inventus eſt.* Homerus de equabus, quas ſibi raptas Iphitus quaeſitum ierat Od. XXI. 22.

Ἶφιτος αὖθ' ἵππους διζήμενος, αἵ οἱ ὄλοντο
Δώδεκα θήλειαι.

AD MATT. XV. 30.

Caecos, claudos, debiles] Gr. κυλλὲς. In gloſſis κυλλὸς exponitur *debilis*. Qui Lucae eſt ἀνάπηρος, is Vulgato *debilis* vertitur. Probum vocabulum ad mutilum notandum. Vide quae plura ad Lampridii Commodum cap. 9. enotavimus.

AD MATT. XVI. 6.

Cavete a fermento Phariſaeorum & Sadducaeorum]. Vbi *fermentum* pro *doctrina* capitur. Haud aliter accepit Perſius Sat. I. v. 24.

Quo didiciſſe, niſi hoc fermentum, & quae ſemel intus
Innata eſt, rupto jecore exierit caprificus?

Huic objectioni Poëta reſpondet . . . *Uſque adeone*
Scire tuum nihil eſt, niſi te ſcire hoc ſciat alter?

Ex qua reſponſione intelligitur, *fermentum* Perſio pro doctrina uſurpari.

AD MATT. XVI. 17.

Caro & ſanguis non revelavit tibi.] Locutio eſt Judaica, apud quos *Caro & ſanguis* tantumdem eſt quod *homo*. Praeter exempla a Ligfooto allata notavi & illud in Ber. Rab. Sect. XII. *Cum homo* (id quod Judaice dicitur בשר ודם *beſar vedam* i. e. caro & ſanguis) *extendit tentorium, id neceſſario ſucceſſu temporis fit laxius* &c.

AD MATT. XVI. 18.

Tu es Petrus, & ſuper hanc petram aedificabo &c.] Chriſtus Syriace dixerat: *Tu es* כיפא *Cepha & ſuper hanc Cepha aedificabo Eccleſiam meam*. Qui haec Graece vertit, ex duobus cognatis vocabulis maſculinum Apoſtolo aptavit, femininum vero uſitatius adhibuit ad ſignificandum aedificii fundamentum: utrunque ſane appoſite. Quaeri poſſit, quid hic ſibi velit πέτρα, lapidem ne an rupem. Utrunque Syriacum כיפא *cepha* ſignificat; utrunque & Graecum πέτρα, de quo poſteriore vocabulo ad Cepotaphium Chriſti Domini nonnulla notavimus. Salmaſius in Solinianis exiſtimat hoc loco πέτραν lapidem fundamentalem eſſe, & ceteroqui apud mediam Graeciam πέτραν & λίθον pro eodem poſita. Equidem non dubito, quin & apud veterem Graeciam πέτρα de lapide diceretur, uti cum Aeſchylus apud Strab. lib. IV. νιφάδα πετρῶν, *imbrem lapidum* uſurpavit. Sed cum de Evangeliſta interpretando agitur, ad uſum ſermonis Helleniſtici ſpectandum arbitror. Nunc vero LXX. vix aliter πέτραν, quam pro rupe, quod ſciam, poſuerunt; apud quos πέτρα alii Hebraico vocabulo, quam τῷ סלא *ſela* aut

Digitized by Google

aut צור *tsur* (utrunque autem *rupem* significat) non respondet. Si de lapide fundamentali hic agebatur, cur non λίθον interpres Matthaei posuit? quo sane vocabulo & LXX. utuntur, quoties de lapide fundamentali fit sermo, & erat id vocabulum huic loco accommodatius; nec opus fuisset vocabula permutare, cum dicere potuisset *Tu es Lithus, & super hunc lithum aedificabo &c.* Ergo πέτρα non aliud hîc, quam rupem, significat; nec supra lapidem unum aedificari potest, aut probe dicitur, sed supra rupem solidam. Nec aliud Latinum *Petra* significat. Quid ergo? Negabimus Petro lapidis fundamentalis appellationem? At quanto est honorificentius cum monte conferri, cui civitas inaedificetur? Ut & Ecclesia sit *civitas supra montem posita* Matt. V. 15. (sicut & *Petra* Arabiae metropolis, & altera *Petra* Sogdianae, id nomen traxerunt ex eo, quod monti superstructae fuissent) & Apostolorum Princeps totam hanc fulserit civitatem.

AD MATT. XVI. 18.

Et portae inferi non praevalebunt adversus eam] Praeter notum Homeri versum de ἀΐδαο πύλαις· etiam Euripides σχότου πύλας dixit, & Apollodorus in Bibliotheca Aeacum inferorum claves asservare affirmavit; & *Inferorum claustra* occurrunt apud Apuleium XI. Milesf. Confer Thomae Galei notas ad Apollodorum pag. 52.

AD MATT. XVI. 23.

Vade post me satana.] Idem quod *abi*; ex hebraica hoc manat dialecto. Certe Joh. VI. 66. πολλοὶ ἀπῆλθον τῶν μαθητῶν αὐτοῦ εἰς τὰ ὀπίσω idem est quod ἀπῆλθον· nam statim v. 67. dixit Jesus XII. discipulis *Nunquid vultis & vos abire?*

AD MATT. XVI. 26.

Quid enim prodest homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?] In his & similibus sententiis Judaei crassiores animae nomine vitam tantummodo temporariam censeri putabant: cujusmodi est Achillis vox illa apud Hom. Il. IX. ubi Agamemnonis dona contemnens ait ψ. 401.

Οὐ γὰρ ἐμοὶ ψυχῆς ἀντάξιον, οὐδ' ὅσα φασὶν
Ἴλιον ἐκτῆσθαι . . . . . .
Λητοῖ μέν γάρ τε βόες καὶ ἴφια μῆλα,
Κτητοὶ δὲ τρίποδές τε καὶ ἵππων ξανθὰ κάρηνα.
Ἀνδρὸς δὲ ψυχὴ πάλιν ἐλθεῖν οὔτε λεϊστὴ,
Οὐδ' ἁλετὴ, ἐπεὶ ἄρ κεν ἀμείψεται ἕρκος ὀδόντων.
Nil tanti mihi, quanti anima est: non Troica gaza:
Nanque boves, pingues & oves, flavosque jugales
Ac tripodas praedâ aut quâvis quaesisse licebit:
Ast animo semel exsiliente molaria septa,
Non est ut prenses: nulla est revocabilis arte.

At Christus hîc & superiore commate, & alibi passim vitam aeternam animae nomine censeri docet.

AD MATT. XVI. 28.

Non gustabunt mortem &c.] Hom. Od. XXI. 98.

Ἦτοι ὃ ἰῷ βάγε πρῶτος γεύσεσθαι ἔμελλεν
Ἐκ χειρῶν Ὀδυσῆος ἀμύμονος
Et quidem sagittam primus (Antinous) gustaturus erat Ex manibus Ulyssis inculpati.

Digitized by Google

AD MATT. XVII. 4.

Faciamus hic tria tabernacula, tibi unum, Moyſi unum, & Eliae unum] Similis loquendi ratio in inſcriptione apud Gudium pag. CCXVII. 9. OLL. IIII. POSVIT . MARMOR . SIBI . VNA . ET . IVLIAE . PVNICAE . FIL. VNA . ET . IVLIAE . . . VNA . &c.

AD MATT. XVII. 9.

Donec Filius hominis a mortuis reſurgat] ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ · pro quo in ſcripto alio codice ἐγερθῇ; credo quod phraſis iſta inſolens videretur. At eadem locutio in ſymbolo Apoſtolorum reperitur; & apud Themiſtium paraphraſi ad Ariſtotelem pag. 101. edit. Aldinae. Καὶ ὁ ἐμὸς ἑταῖρος ἰδὼν τὸν πάνσεπτον ἡμῶν καθηγεμόνα, ὅτι ἀνέστη ἐκ νεκρῶν, ἔτι κοιμώμενος ἐνενόει ὅτι ὄναρ ὁρᾷ τὸν διδάσκαλον ἐγηγερμένον.

AD MATT. XVII. 17.

Generatio . . perverſa] Graeca vox Helleniſtica διεστραμμένη expreſſa eſt ex Hebraeo נהפכת *nehphecheth*, quod non aliter interpretantur LXX. quam per participium verbi διαστρέφομαι.

AD MATT. XVIII. 3.

Niſi converſi fueritis & efficiamini ſicut parvuli] Ἐὰν μὴ στραφῆτε καὶ γένησθε ὡς τὰ παίδια. Στραφῆναι ſeu *converti* fruſtra interpretes omnes de poenitentia exponunt; de qua heic magiſter ſilet, ſed modeſtiam heic tantum inſinuat. Ergo, ſi me audis, eſt hic merus Hebraiſmus, quo verba pro adverbiis ponuntur; cujuſmodi illud *Converſus vivificaſti me* i. e. iterato vivificaſti ſeu reviviſcere feciſti. Et heic ergo *Converti & effici parvulum* non aliud eſt quam veluti renaſci ac rurſus fieri parvulum aut repueraſcere.

AD MATT. XVIII. 5.

Qui ſuſceperit unum parvulum] δέξηται. Simplex pro compoſito ἀποδέχομαι, quod Graecis eſt benevolentia aut veneratione complecti. Polybius lib. V. τὸν δὲ φίλιππον ἀποδέχεσθαι καὶ θαυμάζειν. Diod. Sic. lib. XVI. de Timoleonte: οἱ δὲ Συρακούσιοι μεγάλως ἀποδεδεγμένοι τὸν ἄνδρα διά τε τὴν ἀρετὴν &c. Noſter interpres ſemper id per *ſuſcipiendi* verbum expreſſit; quo eadem notione utitur Graecus homo Am. Marcellinus, ut lib. XV. *Caeſarem admiratione digna ſuſcipiebant*. Et lib. 1. c. 6. de Roma ait: *Ut domina ſuſcipitur & regina*. Sic enim ſcripti omnes & principes editiones, teſte Valeſio; pro quo nunc editur *ſuſpicitur*. Et lib. XXX. c. 4. *ſuſcepti* (i. e. clientis) *nomen*. Nam *ſuſcipere* advocati dicebantur ut in vetere inſcriptione ap. Grut. p. 462. CONTRA QVEM SVSCEPERAT.

AD MATT. XVIII. 15.

Si autem peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipſum ſolum &c.] Attica lex erat, cujus meminit Plato apologia Socratis: Τῶν ἀκουσίων ἁμαρτημάτων οὐκ εἰσάγειν ἐστὶν, ἀλλὰ ἰδίᾳ λαβόντα διδάσκειν καὶ νουθετεῖν. *Invite peccantes in jus ne rapiuntor, ſed privatim officii admonentor.* Vide ergo an illud εἰς σε peccatum eatenus elevet, quatenus dubium ſit, utrum ille prudens ſcienſque peccet, an vero dumtaxat εἰς σε h. e. בעיניך *in oculis tuis* peccet, ita ut in eo, quod peccat, *in oculis ſuis* ſibi innocens videatur. In hac ergo ſpecie facti

Digitized by Google

facti cum fieri possit, ut sit ἀκέσιον ἁμάρτημα (aut certe prope ἀκέσιον, quod saepe fit) pertentandus prius est, & comiter admonendus, ut appareat, utrumne veri ignorantia labatur, an praefracta libidine. Posterius si constiterit; tum demum iis, qui heic praescribuntur, gradibus, eo venitur, ut nomen ejus apud Ecclesiam deferatur.

AD MATT. XVIII. 17.

Si autem Ecclesiam non audierit] Cypr. ep. 55. citat hoc modo: *Si autem & Ecclesiam contemserit*. Nimirum sicut παροράω *contemnere* significat; sic & παρακούω (quod heic occurrit) per *contemno* reddere solebant. Omnino autem παρακούω eadem, qua heic, significatione reperitur apud Grecos interpretes, apud quos modo respondet τῷ לא שמע *lo sciama, non audio* ut Is. LV. 1. ἐλάλησα καὶ παρηκούσατε· modo τῷ לא עבר *abar, transgredior*, ut Esth. III. 3. τί παρακούεις τὰ ὑπὸ βασιλέως λεγόμενα; aut לא עשה *lo asah, non facio*, ut eod. cap. ψ. 8. νόμων . . παρακούσι. Eadem notione Lucianus Caucaso: ἀλλὰ ἀνασκολοπισθῆναι αὐτίκα παρακούσαντας τῶν ἐπιτάγματος.

AD MATT. XVIII. 19. 20.

Si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcunque petierint, fiet illis a Patre meo . . . Ubi enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum] Huc, puto, respiciebat Cyprianus ep. 57. de Romanorum saeviente persecutione concordia: *Docuistis . . concordiam simul junctam vinci omnino non posse, quidquid simul petitur a cunctis, Deum pacis pacificis exhibere.*

AD MATT. XIX. 3.

Et accesserunt ad eum Pharisaei tentantes eum, & dicentes: si licet homini dimittere uxorem suam quacunque ex caussa.] Cavillandi captabant occasionem ex quaestione invidiae plenissima; dum illud Deut. XXIV. 1. אל ארות דבר *al ervath dabar, propter rei turpitudinem* Sameas ad sola adulteria, Hillel ad quasvis leviculas caussas (Josephus, qui posterius sequebatur, καθ' ἃς δήποτε αἰτίας dixit, eadem usus praepositione κατὰ, qua heic utuntur Pharisaei) referret. Utrumvis Christus respondisset, sese cavillationibus exposuisset; neque enim quaevis levior caussa ערות *ervah, foeditas* habenda erat; & tamen adversus adulteria tum lapidationis tum aquae zelotypiae remedio provisum fuerat, ut non continuo ad repudia deveniri oportuerit. Potuisset aliquis inter haec tanta discidia medio itinere ingredi & foeditatem illam de gravioribus vitiis interpretari. Sed arrepta occasione Christus maluit jura conjugii ad primaevam institutionem revocare.

AD MATT. XIX. 6.

Itaque jam non sunt duo, sed una caro] Δύο cum sit commune duûm generum; poterat verti: *Non sunt duae sed una caro*. Neque enim duos vel post συζυγίαν esse negat, qui superiore versu praedixit: *& erunt duo in carne una*: imo ex hoc dicto carnium (ut Hebraei numero multitudinis dicunt) non personarum μονὰς recte infertur.

AD MATT. XIX. 7.

Dicunt illi: Quid ergo Moses mandavit dare libellum repudii & dimittere?] Si dixissent ἐνετείλατο δοῦναι βιβλίον ἀποστασίου καὶ (ὅτως) ἀπολῦσαι: *mandavit dare libellum repudii, & (ita demum) dimittere*: reprehensione caruissent: non enim Moses repudia praecepit, sed horum atrocitatem libelli porrectione mitigavit. Nunc quia τὸ ἐνετείλατο ad utrunque retulerunt (Mosem Deut. XXIV. 1.

non

Digitized by Google

non recte interpretati) recte Phariſaicum ἐνετείλατο in ἐπέτρεψεν a Chriſto verſu ſequente refingitur. Itaque Phariſaei in iſtac legis recitatione verba Moſis nimium preſſe ſequentes, mentem non ſunt aſſecuti. Moſes Deut. XXIV. 1. edixerat: *ſcribet libellum repudii, & dabit in manu illius, & dimittet eam de domo ſua.* Heic autem non ad dimiſſionem, ſed ex hypotheſi dimiſſionis ad libellum tota vis mandati refertur: & omnino illud *&* *dimittet* ex uſu Hebraeorum tantundem eſt quod *in dimittendo*; Hebraeis enim, quibus πολυσύνδετα ſunt perquam familiaria, conjunctivum ו pro gerundiis ſaepe uſurpatur. Ergo ושלחה *veſcillechah* idem eſt quod בשלחה *beſciallechah*.

AD MATT. XIX. 12.

Sunt enim eunuchi, qui de utero matris ſic nati ſunt: & ſunt eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum caelorum. Qui poteſt capere, capiat.] De primo genere eunuchorum Dorotheus presbyter Antiochenus vir doctiſſimus tertio exeunte ſaeculo fuit; de quo Euſebius VII. hiſt. 32. τὴν φύσιν δὲ ἄλλως εὐνοῦχος, ὅτῳ πεφυκὼς ἐξ αὐτῆς γενέσεως, ὡς καὶ βασιλέα διὰ τοῦτο οἷόν τι παράδοξον αὐτὸν οἰκειώσασθαι, καὶ τιμῆσαί γε ἐπιτροπῇ τῆς κατὰ Τύρον ἀλυργοῦ βαφῆς. *Ceterum natura eunuchus erat, ex ipſo matris utero ita natus. Unde & imperator tanquam miraculo obſtupefactus, eum in ſuam familiaritatem adſcivit, & baphii, quod Tyri eſt, procurationi praefecit.*

Et ſunt eunuchi qui facti ſunt ab hominibus] Supple: *propter regnum terrenum* h. e. aulae miniſterium. Nam olim eunuchi non ad muſicos uſus, uti nunc fit, ſed ad aulica regum orientis obſequia factitabantur. Inter hos ergo & tertium eunuchorum genus, quod ſequitur, inſtituitur heic comparatio; horum enim τὸ βίαιον ſequentium τῷ ἑκουσίῳ opponitur; tum quod priores regii miniſterii cauſa, poſteriores *propter regnum caelorum* fierent. Quare & heic in priore comparationis membro tale aliquid *propter regnum terrarum* ſupplere decet, quod utpote notiſſimum praetermittitur, & ex illo *propter regnum caelorum* intelligi datur.

Et ſunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum caelorum] Ad vitam aeternam ſcilicet facilius adipiſcendam: qui eſt obvius hujus loci intellectus. Sed nihil vetat, quominus modo traditae interpretationi inhaeream. A regum enim orientalium aula petitur comparatio. Scitum eſt a regibus illis vix alios quam eunuchos (aut ſi non eſſent, eo certe nomine inſignitos) ad aulica obſequia arceſſitos: ſic & Chriſtus non alios quam ſuae voluntatis propoſito εὐνουχισθέντας ad regni caeleſtis h. e. Eccleſiae ſuae (nam regni caelorum nomine ſaepe Eccleſiam intelligi nemo ignorat) miniſteria promoveri voluit: his demum Divini verbi praeconium, ac myſteriorum diſpenſationem, his cetera caeleſtis aulae miniſteria, tanquam auguſtae domus officia, mandanda eſſe Apoſtolis poſtea inſuſurravit (id nos *traditionem* appellamus) nunc vero eiſdem tantum ſubobſcure praedixit: eiſdem, inquam, Apoſtolis, ſeu diſcipulis, quos heic alloquitur, quod ex diſcipulorum objectione ſupra ℣. 10. intelligitur. Profecto enim hic locus tanquam clericae εὐνουχίας vaticinatio habenda eſt, in qua prophetico more praeſens aut praeteritum tempus pro futuro uſurpantur: *ſunt qui ſe caſtraverunt* pro *erunt qui ſe caſtrabunt*, ſuae nimirum voluntatis propoſito ſe continebunt.

Dixi in priore membro ſubaudiri oportere διὰ τὴν βασιλείαν τοῦ κόσμου τούτου, aut hujuſmodi aliquid, quod propter notiſſimam aulae conſuetudinem omiſſum fuerit.

Digitized by Google

rit. Fortaſſe aliquis objecerit, ſi ad aulae morem reſpexiſſet heic Chriſtus, vocem βασίλειον *regium*, non βασιλείαν regnum fuiſſe uſurpaturum. Mihi, ut reſpondeam, ſatis eſt, βασιλείαν τῶν οὐρανῶν ſermone evangelico notare eccleſiam, quae eſt aulae caeleſtis imitatio: quid Chriſtus priore membro ſubaudiendum reliquerit, utrum βασιλείαν an βασίλειον, ſcire non intereſt; nam & βασιλεία ſermone helleniſtico non raro tantundem eſt, quod βασίλειον: ut ecce 2. Paral. XXVI. 21. & Eſth. IV. 12. femininum βασιλεία in Graeca interpretatione ponitur, ubi Heb. eſt בית מלך *beth melech* i. e. *regia*. Sed & Herodoto lib. V. βασιληίη (Jonica reſolutione pro βασιλεία) pro aula regia uſurpatur.

Sunt eunuchi qui ſeipſos caſtraverunt propter regnum caelorum] Id feciſſe αὐτολεξεὶ videtur Melito Sardianus epiſcopus, ſi quidem Rufinianam Euſebii verſionem ſequimur, quae talis eſt: *Melitonem propter regnum Dei eunuchum, & Spiritu Sancto repletum*. In Euſebio tamen V. 24. nihil ejuſmodi legitur; ſic enim ibi Polycrates apud Euſebium: Μελίτωνα τὸν εὐνοῦχον, τὸν ἐν ἁγίῳ πνεύματι πάντα πολυτεύσαμενον. Sed tamen Hieronymus de ſcript. Eccl. Polycratis verba ita interpunxiſſe videtur (nempe hypoſtigme poſt πνεύματι adhibita) ut idem ſignificarent; quippe qui ait: *Et Melitonis in Sancto Spiritu eunuchi, qui ſemper Domino ſerviens poſitus eſt in Sardis*. De Origene res eſt oppido trita, quem narrat Euſebius VI. hiſt. 8. recitata Evangelii verba ἁπλούστερον καὶ ποιμικώτερον interpretatum, id facinus in ſe admiſiſſe. Poſtremo Leontius Phryx Luciani Antiocheni diſcipulus, epiſcopus Antiochenus, Arianis favens, & ann. 358. demortuus (cujus fragmentum ex or. in S. Babylam exſtat in chronico Paſchali pag. 270.) ὁ ἀπόκοπος ſive ἐκτομίας αὐτοχείρ ex re appellatus fuit: uſque adeo nimirum iſtud *ſeipſos caſtraverunt* apud illum valuit, ut niſi ſuis ſe manibus exſecaret, nunquam evangelio ſe feciſſe ſatis arbitraretur.

Qui poteſt capere, capiat] Eruditi ſtatuunt tam hîc, quam praecedente commate τὸ χωρεῖν idem eſſe, quod *praeſtare*. Verum Ignatius epiſt. ad Smyrnenſes pag. 5. videtur accepiſſe vulgari notione. Cum enim dixiſſet angelos non niſi per fidem in Chriſtum ſalutem conſequi potuiſſe; ſubjicit: Ὁ χωρῶν χωρείτω. Interpres vetus: *Qui capit, capiat*. Ergo etiam Chriſtus τὸ χωρεῖν de intellectu accepit, ſed de intelligentia cordis, non mentis, ſive de intelligentia per caritatem illuſtrata, qua fit, ut ne veritati reluctemur, ſed eam in nos ſponte admittamus. Vno verbo tam hîc quam praecedente verſu, & apud Ignatium τὸ χωρεῖν eſt, quod Latini dicebant *Concoquere* (id quod nos etiam vernaculo ſermone uſurpamus) quod de durioribus dicitur, quae non poſſunt concōqui, ut apud Joh. VI. 60. *Durus eſt hic ſermo, & quis poteſt eum audire*, ubi τὸ ἀκούειν eandem ſignificationem habet. Sive potius idem eſt χωρεῖν, quod *glutire*. Familiaris haec phraſis in ſermone noſtro vernaculo, ut cum de rebus haud fide dignis dicimus: *Non ſi può ingbiottire*. Hanc notionem mire firmat idem Ignatius ep. ad Trallianos, ubi negat ſe de rebus caeleſtibus poſſe dicere, μήποτε οἱ δυνηθέντες χωρῆσαι στραγγαλωθῆτε. Vetus interpres: *Ne forte non potentes capere ſtrangulemini*. Haec demum veriſſima eſt τοῦ χωρεῖν ſignificatio.

AD MATT. XIX. 24.

Facilius eſt, ut camelus intret per foramen acus, quam divitem intrare in regnum caelorum.] Vide Buxt. in Lex. Chald. in פיל, ubi idem adagium ſaepe de פיל i. e. *elephante* uſurpatur.

Digitized by Google

AD MATT. XIX. 28.

In regeneratione, cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis & vos super sedes duodecim, judicantes duodecim tribus Israël.] *Judicantium* heic injecta mentio fecit, ut vulgo heic παλιγγενεσία de reditu in vitam acciperetur, & Apostolorum προεδρία, de qua heic, arctioribus extremi judicii finibus concluderetur: quasi vero *judicare* apud Hebraeos non idem saepe sit quod ἁπλῶς *praeesse*; quod vel ex Ps. LXXI. & aliis locis licet colligere, quibus non alio quam *judicandi* vocabulo Christi in hac vita regnum describitur. Equidem ab eorum sententia steterim, qui παλιγγενεσίαν hoc loco vel de Christi ἀναστάσει, vel de baptismi regeneratione (posterius hoc Hilario placuit) interpretantur, quae plane sententia, jam tum Christo regnum suum auspicante, Apostolos ejus assessores facit. Semel autem concessa Apostolis assidendi potestas, non hujus ea tantum vitae curriculo terminatur, sed & ad extremi judicii consessum, & ad alterius vitae praestantius regnum extenditur: ex quo, quam sit haec interpretatio, quam altera, late patentior, plane intelligis. Quin & θρόνων expressa mentio docere potuisset, de episcopalibus cathedris heic esse sermonem, quas a se fundatas Apostoli ad succedentes sibi deinceps episcopos, nec nisi retenta θρόνων appellatione, transmiserunt. Nam mihi quidem videntur Apostoli istorum δώδεκα θρόνων non immemores, eorundem ἐπικλησίαν auctores ipsi ad posteros propagasse. Cum enim non alio ferme quam θρόνου vocabulo hujusmodi praefectura a vetustissimis quibusque Graecis Ecclesiae scriptoribus designetur; non potest appellatio illa non ad Apostolos auctores referri, memores, uti dixi, hujus Christi vaticinationis. Jam vero θρόνοις suis episcopi, & ut magistratus & ut magistri (sive potius *doctores*; nam *magister* proprie idem qui προστάτης) insident. Memini *sellam curulem*, ex qua Romani magistratus jura dicebant, quam Graeci usitatius δίφρον, Dionem alicubi θρόνον appellasse. Sed & Doctorum suus erat θρόνος eorum peculiaris, qui scholae alicui praeessent. Hinc vetus auctor ὑποθέσεως in Panathenaicum Aristidis tradit sub Marco principe Herodem Attici F. σοφιστικὸν θρόνον (vulgo *rhetoricae cathedram*) Athenis obtinuisse, ὁ τὸν θρόνον inquit ἐπέχων τὸν σοφιστικόν. Herodi Hadrianus Tyrius in eo θρόνῳ successit; qui & imperatoris gratia mox τὸν ἄνω θρόνον teste Philostrato obtinuit h. e. *superiorem rhetoricae cathedram* Romani Athenei. Sed & idem Philostratus in 2. de sophist. pag. 593. de Julio Polluce, cujus onomasticon circumfertur, scribit: μελιχρᾷ τῇ Φωνῇ βασιλέα Κόμμοδον θέλξας τὸν Ἀθήνησι θρόνον παρ' αὐτῆ εὕρατο. Sic & Leontium sophistam ad θρόνον σοφιστικὸν Athenis evectum testatur Olympiodorus apud Photium cod. 80. Hujusmodi Athenienses θρόνῳ meminit saepissime Libanius, meminit & Philostratus. Atqui Athenis (ut & alibi) non tantum σοφιστικὸς θρόνος fuit, sed & praecipuarum philosophiae sectarum suus cuique θρόνος fuit, docebaturque ἐπὶ μυρίαις ἐκ βασιλέως δραχμαῖς, auctore Luciano in Eunucho, & Philostrato. Et haec quoque notio in episcopos convenit, quibus & regendi, ut magistratibus, & docendi, ut doctoribus, προεδρία, quae per θρόνον designatur, competit. Utrunque munus *judicandi* verbum apud Hebraeos complectitur.

Digitized by Google

AD MATT. XX. 17.

Et ascendens Jesus Jerosolymam] Vix aliter hisce in libris reperias quam *ascendere Jerosolymam*, descendere in Jericho &c. sic descendere in Aegyptum, ascendere in Judaeam &c. Sic nempe Orientales signate loqui consuevere. Notavi & in Porphyrio natione Syro istam ἀκρίβειαν. Is in vita Plotini cap. 10. Αἰγύπτιος γάρ τις ἱερεὺς ἀνελθὼν εἰς τὴν Ρώμην; nempe quia Aegyptus multo depressior Roma septicolli erat. Ejusdem vitae cap. 19. *ex Sicilia in Phoenicem descendere* dixit eam, opinor, Phoenices partem intelligens, quae κοιλὴ erat Syria, nomine ipso depressionem praeferentem, aut Palmyrenam regionem Euphrati proximam, ubi Longinus substiterit: ἀξιῶ γάρ με (Longinus) ἀπὸ τῆς Σικελίας κατιέναι πρὸς αὐτὸν εἰς τὴν φοινίκην. Porphyrius autem (ex eadem vita) non plana Siciliae, sed Lilybaeum insederat. Eodem opere cap. 3. Plotinum narrat philosophiae amore incensum, itasse ad excellentissimos illius aetatis philosophos, sed κατιέναι ἐκ τῆς ἀκροάσεως αὐτῶν κατηφῆ, *ab iis auscultandis tristem descendisse*: in caenaculis enim, ut opinor, philosophi illi docebant. Maldonatus qui heic ex Gen. XLVI. 29. *ascendere* pro *ire* positum putat, nullus est; nam ibi *ascendere* ad currum refertur.

AD MATT. XXI. 2. 3.

Et statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea &c.] Asinam istam viti alligatam fuisse non dubito. In hoc enim Christi facto impletum est Jacobi vaticinium Gen. XLIX. 11. *Ligans ad vineam pullum suum, & ad vitem fili mi asinam suam*, quomodo & quod sequitur totum de passione est, *lavabit in vino stolam suam, & in sanguine uvae pallium suum*. Vide quae ibi notavimus.

AD MATT. XXI. 8.

Straverunt vestimenta sua in via] Vestimenta sternebant tumultuario opere pro tapetibus, quae honoris caussa viris gravibus substernere moris erat, praecipue viris sapientibus, ut Catoni de provincia decedenti factum narrat Plutarchus, & Libanii oratio declarat πρὸς τὸν νέους περὶ τῦ τάπητος: qua oratione reprehendit facinus juvenum Antiochenorum supra modum lascivientium, qui tapete incedentes paedagogos in sublime jactabant, delapsosque iterum projiciebant, postremo in terram relapsos cachinnis excipiebant.

AD MATT. XXI. 9.

Benedictus qui venit &c.] Participium *benedictus* a Latino interprete frequentissime usurpatum, quamvis ex Graeco εὐλογημένος expressum, a Latinis tamen saltem vulgi auribus non abhorruit. Lapis Romae apud Grut. 875. 3. HIC . SVPER . OSSVA . CINERESQ . TVOS . BENEDICTA . QVIESCIS. Apud Fabrettum pag. 253. num. 45. D . M . FVLVIAE . TROPHIME . BENEDICTAE . M . SERGIVS &c. Apud M. Antoninum I, τῶν εἰς ἑαυτὸν, 17. mulier BENEDICTA nomine occurrit. De Patribus minus miror, quibus hoc vocabulum eo familiarius fuit, quod bibliorum versionem assidue tererent. Tertullianus lib. de Pudicitia, Zephyrinum *benedictum Papam* appellat. Clerus Romanus epist. ad Cyprianum: *Didicimus feceſſiſſe benedictum Papam Cyprianum*. Et apud Cyprianum saepissime.

AD

Digitized by Google

AD MATT. XXI. 41.

Malos male perdet.] Κακοὺς κακῶς ἀπολέσει αὐτούς &c. Itidem apud Lucianum in dialogo Plutonis & Mercurii Pluton captatoribus teſtamentorum maturam mortem imprecans ait: ἥκέτωσαν ἤδη κακοὶ κακῶς ἀποθανόντες· *Veniant huc jam ad inferos mali male mortui*. Ariſtophanes in Pluto (ni fallor) act. 4. Sc. 3. n. 30.

Τοὺς συκοφάντας ἐξολεῖ κακοὺς κακῶς,
Malos male iſtos ſycophantas perdit.

Sophocles Ajace flagellifero 1200.

Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονός.
Malus male inſepultus e terra excidat.

Apud Fleetwod in Sylloge inſcript. pag. 201. 2.

Τίς μοι τὴν Σείρηνα κακῶς κακὸς ἥρπασε δαίμων;
Quis Deus heu Sirena malus male ſurpuit aegro?

Caſſandra apud Euripidem Troade 446.

Ἦ κακὸς
Κακῶς ταφήσῃ νυκτὸς, οὐκ ἐν ἡμέρᾳ.
Nae malus mala
Sepelieris nocte, non interdiu.

AD MATT. XXI. 42.

Hic factus eſt in caput anguli] Ἐγενήθη εἰς κεφαλὴν τῆς γωνίας. Hebraiſmus in veteris Foederis voluminibus valde familiaris. Similem Hebraiſmum in Strabonis ſcriptis codicibus reperit Caſaubonus; nam pro eo quod lib. V. ad finem pag. 249. de Samnitium urbibus bello Marſico in pagos redactis in editis legitur, καὶ γάρ τοι νῦν κῶμαι γεγόνασιν αἱ πόλεις: in ſcriptis reperit: καὶ τοίνυν εἰς κώμας γεγόνασιν αἱ πόλεις.

AD MATT. XXII. 3.

Et miſit ſervos ſuos vocare invitatos ad nuptias, & nolebant venire.] Καλέσαι τοὺς κεκλημένους, *vocare vocatos*, quod interpretantur *ſemel invitatos jam ſecundo vocare*. Sed utut poſſit hoc ſignificare; non dubium tamen eſt, quin οἱ κεκλημένοι ſint ſimpliciter convivae. Lex, ut puto, Attica ex Athenaeo & aliis nota, ſic habet: τοὺς κεκλημένους μὴ εἶναι ἐπὶ τοῖς τριάκοντα: *Convivae plures triginta ne ſunto*. Lynceus Samius in Centauro apud Athenaeum IV. 3.

. . . . . ὁ δειπνίζων τ' ἐμὲ,
Ῥόδιος· ἐγὼ δ' ὁ κέκλημένος, Περίνθιος.
. . . . . *qui me excipit convivio,*
Rhodius: ego conviva ſum Perinthius.

Sed utut ſit vox bene Graeca, verius tamen videtur eſſe petitum ex קְרוּאִים *keruim*, *vocatis* i. e. convivis quod legitur 1. Sam. IX. 13. & III. Reg. I. 41. Graeci priore loco οἱ ξένοι, poſteriore οἱ κλητοὶ habent. Quin & 1. Sam. IX. 22. legitur: Καὶ ἔθετο αὐτοῖς τόπον ἐν πρώτοις τῶν κεκλημένων; ut heic h. e. *dedit eis locum principem inter convivas*. Vbi Heb. eſt integrum קְרוּאִים *keruim*.

AD

AD MATT. XXII. 13.

Ligatis manibus & pedibus ejus, mittite eum in tenebras exteriores] Graece ἄρατε αὐτὸν καὶ ἐκβάλετε εἰς &c. *tollite & ejicite in tenebras exteriores*. Clerus Romanus epistola 31. inter Cyprianicas, *convivium* istud confessionem in persecutione, interpretatur, *tenebras* vero *exteriores* pro excommunicatione accipit. *Et sicut*, inquiunt, *ad convivium vocat, sic habitum nuptiarum non habentem, ligatis manibus & pedibus, extra sanctorum coetum foras jactat*. Quod attinet σκότος τὸ ἐξώτερον, dicitur hoc comparate ad lucernarum jubar, quod noctu discumbentibus affulgebat, ut qui foras ejicerentur, hos in tenebris versari oporteret. Vide dicta supra ad cap. VIII. 12.

AD MATT. XXII. 15.

Vt caperent eum in sermone.] Graece: ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ h. e. ut ex ejus sermone captarent occasionem illaqueandi ejus. Παγιδεύω verbum est Hellenisticum Graecis interpretibus usurpatum 1. Sam. XXVIII. 9. ἵνα τί σὺ παγιδεύεις τὴν ψύχην μου; Ecclesiastis IX. 12. παγιδεύονται οἱ υἱοὶ τῶν ἀνθρώπων. Ceterum huic Matthaei loco similis est alter Lucae XI. 54. ad quem vide. Germana sunt quoque illa ex Proverbiis VI. 2. παγὶς γὰρ ἰσχυρὰ ἀνδρὶ τὰ ἴδια χείλη. & XI. 9. ἐν στόματι ἀσεβῶν παγὶς πολίταις.

AD MATT. XXII. 38.

Hoc est maximum & primum mandatum] Eadem ferme locutio in re dispari apud Tullium V. Att. 4. *Gratissima est mihi tua cura de illo meo primo & maximo mandato.*

AD MATT. XXII. 44.

Sede a dextris meis] Quoties Filius sedere ad Dei dexteram dicitur, de humana natura intelligi potest, qua minor est Patre. Divini scriptores ut praestantissimum locum secundum Deum Christo homini in Caelo assignent, hunc ad Dei dexteram sedere tradunt: tanquam si Deum in sublimi throno sedentem concipiamus, cujus dextrum latus, qui est supremae post ipsum Deum dignationis locus, Christi humanitas occupet. Hinc Act. VII. 55. Jesu, & ad Heb. VIII. Pontifici h. e. Christo homini is locus assignatur, ubi sedere dicitur in dextera τῆς θρόνου τῆς μεγαλωσύνης· ut aperte intelligas, longe sane plus dignitatis in throno majestatis intelligi, quam in ea sede quam Christus insidet. Sic Eusebius I. de vit. Constantini 19. Constantinum adolescentem Diocletiani imp. dextrum latus occupasse ait, qui esset omnium honorificentissimus secundum imperialem sedem locus: ὃ καὶ ἐπὶ δεξιᾷ παρεστὼς, περιφανέστατος ἦν τοῖς ὁρᾶν θέλουσιν. *Ad cujus dexteram assistens, cunctis qui videndi desiderio tenebantur, praestantissimus apparebat.*

AD MATT. XXII. 44.

Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum] Ponendi verba Hebraeis, & τίθημι Hellenistis *efficio* significant. Hinc שׂים in Graeca interpretatione saepe per ποιέω vertitur. Sed & puriori Graeciae τίθημι tantundem significabat. Aeschylus Eumenid. initio.

. . . . . χθόνα
Ἀνήμερον τιθέντες ἡμερωμένην.
Terram horridam cum redderent cultissimam.

AD

AD MATT. XXIII. 10.

Nec vocemini magistri] In Graeco textu ῥαββί. Quod Helleniſtae variis vocabulis reddiderunt. Hoc & verſu 10. Καθηγητὴς, alibi ἐπιστάτης, alibi διδάσκαλος vertitur. Mirum quantum in Rabbi ſive magiſtri titulo ſibi tum vetuſti illi, tum recentiores Judaei placuerint. Sed hoc inter veteres & novos magiſtros diſcrimen invenio, quod hi praenominis inſtar Rabbi appellationem gerunt, tum idem etiam praenomen veteribus pro ſua conſuetudine tribuunt: at vero vetuſti illi circiter aetatem Chriſti praeceptores, (aut ex iis ſaltem Helleniſtae) eam appellationem pro cognomento ſuo nomini ſubjungebant. Id, niſi vehementer fallor, diſerte teſtatur Anatolius Alexandrinus, qui & Laodiceae epiſcopus fuit, in fragmento Paſchalium canonum apud Euſebium VII. hiſt. 32. ubi duos Agathobulos τὼς ἐπίκλην διδασκάλως h. e. *cognomento doctores* ſive *magiſtros* teſtes advocat. Locus ſic habet: μαθεῖν δ' ἔστιν ἐκ τῶν ὑπὸ Φίλωνος, Ἰωσήπου, Μουσαίου λεγομένων· καὶ ὐ μόνον τούτων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἔτι παλαιοτέρων, ἀμφοτέρους Ἀγαθοβούλων τῶν ἐπίκλην διδασκάλων, Ἀριστοβούλου τοῦ πάνυ &c. *Idque ex Philonis, Joſephi, Muſaei verbis licet cognoſcere. Neque ex his dumtaxat, verum etiam ex aliis antiquioribus, duobus Agathobulis cognomento doctoribus, & Ariſtobulo viro praeſtantiſſimo.* De Ariſtobuli titulo vide dicta ad 2. Mach. 1. 10. Sed nihil magis de magiſtri cognomento nos certos facit, quam illud Luc. XVII. 13. Ἰησοῦ ἐπιστάτα, ἐλέησον ἡμᾶς. *Jeſu praeceptor miſerere noſtri*: h. e. Ἰησοῦ ὁ ἐπίκλην ἐπιστάτα. Vide dicta in eum locum.

AD MATT. XXIII. 27.

Sepulcris dealbatis.] Paullo aliter S. Ignatius ad Philadelph. de pravis praedicatoribus ait: ἤτοι ἐμοὶ ταφαί εἰσιν καὶ τάφοι νεκρῶν, ἐφ' οἷς γέγραπται μόνον ὀνόματα ἀνθρώπων. Vetus interpres: *Iſti mihi columnae* (intellige cippos ſepulcrales, qui ταφαι Graecis dicuntur) *ſunt, & ſepulcra mortuorum; in quibus ſcripta ſunt ſolum nomina hominum.*

AD MATT. XXIII. 34.

Ecce mitto ad vos prophetas . . . & ex illis occidetis &c.] Ad hunc locum reſpiciebant Cataphrygae, qui προφητοφόντας appellabant Catholicos. Vetus innominatus auctor qui in Cataphrygas ſtilum acuerat, apud Euſebium V. hiſt. Eccl. 16. ait: Ἐπειδὰν τοίνυν καὶ ΠΡΟΦΗΤΟΦΟΝΤΑΣ ἡμᾶς ἀπεκάλεσαν, ὅτι μὴ τὼς ἀμετροφώνους αὐτῶν προφήτας ἐδεξάμεθα· τούτους γάρ τινάς φασιν, ὥσπερ ἐπηγγείλατο τῷ λαῷ πέμψειν ὁ Κύριος· ἀποκρίνασθωσαν . . . τίς ὑπὸ Ἰουδαίων ἐδιώχθη, ἢ ὑπὸ παρανόμων ἀπεκτάνθη; ὐδείς, &c. *Quando igitur Prophetarum nos interfectores vocant propterea, quod loquaces eorum prophetas non admiſimus (hos enim eſſe affirmant, quos populo Dominus ſe miſſurum promiſerit) reſpondeant . . . quis eorum a Judaeis perſecutionem eſt paſſus, aut ab impiis trucidatus? Nemo certe* &c. Euſebius quoque IV. de vita Conſt. 27. Judaeos appellat προφητοφόντας & κυριοκτόνους *prophetarum & Domini occiſores.*

AD MATT. XXIV. 3.

Acceſſerunt ad eum diſcipuli ſecreto] Hic ubi κατ' ἰδίαν h. e. *ſecreto* Chriſtus diſcipulis arcana eventura tradidit, poſtea Helena Conſtantini Mater eccleſiam aedificavit, teſte Euſebio III. de vita Conſt. 43. ἄνω πρὸς ταῖς ἀκροπολείαις, παρὰ

παρὰ τὴν τῦ παντὸς ὄρυς κορυφὴν ἱερὸν οἶκον ἐκκλησίας ἀνεγείρασα, νεώτε· καὶ ταῦθα λόγος ἀληθὴς κατέχει, ἐν αὐτῷ ἄντρῳ τὰς αὐτῦ θιασώτας μυεῖν τὰς ἀπορρήτυς τελετὰς τὸν ὅλων σωτῆρα· *In ipso montis* (olivarum) *vertice ſacram erigens aedem cum templo. Hic porro ſervatorem omnium Chriſtum arcanis myſteriis diſcipulos ſuos in ipſa ſpecu initiaſſe, verax hiſtoria teſtatur.* Ad quem locum Valeſius teſtem advocat Bedam, qui lib. de locis ſanctis cap. 7. ait: *Tertia quoque ejuſdem montis ad auſtralem Bethaniae partem eccleſia eſt, ubi Dominus ante paſſionem diſcipulis de die judicii locutus eſt.* Verum quo pacto in ſpecu haec acta dicit Euſebius, cum Marcus in hac hiſtoria doceat, eos conſtitiſſe *ex adverſo Templi*? Reſpondet Valeſius ſpecum illam varia habuiſſe foramina, per quae Templum conſpiceretur, cujuſmodi pertuſas ſpecus fuiſſe in Palaeſtina docent itineraria. Ac ne hoc quidem neceſſe eſt, cum potuerit Praeceptor in aditu ſpeluncae conſidere.

AD MATT. XXIV. 29.

Statim autem poſt tribulationem dierum illorum, ſol obſcurabitur &c.] Iſtud Chriſti εὐθέως *ſtatim*, multos primorum Chriſtianorum in eam perſuaſionem adduxit judicii diem in propinquo eſſe, jam jamque poſt Hieroſolymitanam vaſtitatem inſtare: non intelligentes, mille annos eſſe ſicut diem unum, ut 2. Pet. III. 8. legitur, ſive ſecundum Pſalmographum tanquam diem heſternam, quae praeteriit: quod tamen vel ethnicorum philoſophi intellexerunt. Proclus lib. de decem dubitationibus circa providentiam (cujus libri excerpta Fabricius vol. VIII. bibl. Gr. inſeruit) dubitatione octava, qua quaeritur, quare poenae non ſtatim peccata ſubſequantur, ſed ſaepe poſt longum tempus, inter cetera reſpondet, tempus illud poenarum dilatarum longum videri nobis tenuiter intuentibus, ſed ad Providentiae oculum nihil eſſe.

AD MATT. XXIV. 36.

De die autem illa & hora nemo ſcit, neque angeli caelorum, niſi ſolus Pater.] Aliter haec recitat Mich. Pſellus lib. de omnifaria doctrina (quem primus edidit Fabricius bibl. Gr. vol. V.) cap. 125. in hunc modum: περὶ τῆς τελευταίας ἡμέρας καὶ ὥρας οὐδεὶς οἶδε, κατὰ τὴν τῦ εὐαγγελίυ φωνὴν, εἰ μὴ ὁ Πατὴρ καὶ ὁ συναΐδιος ἐκείνῳ υἱὸς, καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἐκ τῦ Πατρὸς ἐκπορευόμενον. Sed apparet ſententiam non verba voluiſſe proferre. Quibus recitatis ubi ex vanis Graecorum demonſtrationibus maximas ſingulorum planetarum periodos enarraſſet: *ſed magna*, inquit, *mundi periodus abſolvitur annis millies ſeptingenties & quinquagies mille, & termille ac ducentis: illo tempore omnium planetarum conjunctio fiet in trigeſimo gradu Cancri vel primo Leonis, ac tum demum univerſali diluvio mundus obruetur.* Λῆροι.

AD MATT. XXIV. 45.

Quis putas (Gr. τίς ἄρα) *eſt fidelis ſervus & prudens &c.*] Heic Matthaei Graecus Interpres τὸ מי *mi* Hebraicum (quod ſaepe eſt *qui* aut *ſiquis*) non tantum per interrogativum reddidit, ſed etiam addidit particulam ἄρα ad majorem energiam. Quamquam alioqui ſenſus videtur eſſe, *Qui eſt fidelis ſervus* &c. ut referatur ad id quod ſequitur verſu ſeq. *Beatus ille ſervus.*

AD MATT. XXV. 41.

Diſcedite a me maledicti] Hebraicum ארור *arur*, Syrorum לוטא *luta* & Helleniſtarum κατηραμένος non habuerunt Latini Chriſtiani, quo melius commutarent, quam vocabulo *Maledictus*, ad imitationem τῦ *Benedictus* expreſſi ex εὐλογημένος.

Ex

Et memini utrunque horum vocabulorum in Latinis titulis reperiſſe. Vtitur & Julia Severi uxor, quippe Syra, apud Spartianum Geta cap. 3. *Maledicte parricida* &c. Vide ibi dicta.

AD MATT. XXVI. 10.

Opus enim bonum operata eſt in me] Ἐργάζεσθαι εἰς τινα ſermone Helleniſtico eſt *alicui largiri*. Sic etiam Eccli. LI. 11. ad Gal. VI. 10. & III. Joh. 5. in quem Johannis locum de hac notione multis diſſeruimus.

AD MATT. XXVI. 13.

Vbicunque praedicatum fuerit hoc evangelium] De libro ne Evangelii intellexit haec Chriſtus, ejus conſcriptionem hîc vaticinatus; an potius de *bono nuntio* adventus regni caelorum? De hoc altero utique, ut ex pronomine τοῦτο intelligi poteſt. Hoc ipſo tamen, quod πολυθρύλλητον fore hujus mulieris factum (obſcurum alioqui abſque Evangelii conſcriptione futurum) affirmat; fore, qui Evangelium litteris tradant, aperte praeſagit. Quod additur εἰς μνημόσυνον αὐτῆς h. e. *in mnemoſynum* (ut utar voce Catulliana) *ſui ipſius*; pulcram habet ſententiam, quaſi dixiſſet: Maria quidem non aliud ſpectavit, quam ut perpetua ſibi ipſi de Chriſto memoria haereret, non ut de ſe ſermones ſereret: tamen hoc ejus recte factum vel hoc praemium manet, ut poſthac ore omnium celebretur.

AD MATT. XXVI. 18.

Ite in civitatem ad quendam.] Illud πρὸς τὸν δεῖνα (quod vulgo nunc ſic ſolent deſignare *ad N.*) Noſter non male vertit, *Ad quendam*. Sed alibi Vulgatus interpres (& quidem ex uſu ſui temporis) pronomine *Ille* utitur ad exprimendum Hebraicum *Peloni almoni*, quod graece eſt ὁ δεῖνα. Vide dicta ad 1. Sam. XXI. 2.

Ad quendam] πρὸς τὸν δεῖνα. Sic etiam Act. V. 8. *Dic mihi mulier, ſi tanti* (εἰ τοσούτου) *agrum vendidiſtis?* Expreſſit enim Petrus pretii quantitatem, quam Lucas nihil penſi duxit.

Ite in civitatem ad quendam] Gr. πρὸς τὸν δεῖνα. Nemo non videt haec verba Chriſti non eſſe, qui procul dubio perſonam deſignavit, ſed Evangeliſtae compendifacientis; neque enim ſcire magnopere attinebat, quid hominis ille eſſet. Sic quandoque hiſtorici verba concionibus inſerunt, quae ſcriptori magis, quam illi, qui loquens inducitur, conveniunt. Memini legiſſe neſcio cujus Poeni ducis in ſenatu Carthaginienſi concionem apud Appianum, qua in concione bellum, quod a Poenis in Romanos gerebatur, Carthaginienſe appellatur, nempe ex uſu Romani ſermonis, & hiſtorici ſcribentis: nam Poenus bellum illud non καρχηδόνιον, ſed Romanum appellaſſe certum habeo. Apud Hom. Od. XXII. 141. Telemachus φαίδιμος υἱὸς *illuſtris filius* (Vlyſſis) dicitur a Melanthio, quem a Procis ſtantem, non eſt veriſimile hoſtem ſuum φαίδιμον appellaſſe. Illud Φαίδιμος ab Homero eſt, non a Melanthio.

AD MATT. XXVI. 23.

Qui intingit mecum manum in paropſide] Locutio intingendi manum inde ſumta, quod veteres inſtrumentis convivalibus (quales hodie ſunt fuſcinulae, acetabula &c.) ad prehendendum & admovendum ori cibum prorſus carebant; manuumque miniſterium ad omnia praeſto erat. Ergo non neceſſe eſt illud, quo τρυβλίον redundabat, ἔμβαμμα fuiſſe. Quidvis coctae dapis, vel ſine juſculo, idoneum erat ad perungendas manus.

Digitized by Google

AD MATT. XXVI. 25.

Tu dixisti] Hebraismus est similis illi Ex. X. 29. בן דברת *chen dibbarta, sic dixisti* &c. LXX. tantum εἰρήκας· at Vulgatus Interpres παραφράζει: *Ita fiet, ut locutus es.*

AD MATT. XXVI. 26.

Cenantibus autem eis] Gr. ἐσθιόντων. Ἐσθίω autem absolute positum cenam significat. Nam jentacula, prandia &c. degustationes dicebantur & erant, non justa comestio.

AD MATT. XXVI. 26.

Hoc est Corpus meum] Etsi nunquam mihi fuit animus controversias attingere; tamen mihi temperare non potui, quin veteris Graeci scriptoris locum haud vulgo cognitum de veritate Corporis & Sanguinis Christi in pane & vino sanctificatis huc afferrem. Is est Hieronymus quidam, cujus φιλοπονία exstat apud Fabricium volumini VIII. bibl. Gr. inserta. Eo in opusculo Hieronymus totus in eo est, ut non aliter quam interno quodam charismatum Spiritus Sancti sensu compertum homini fieri demonstret, se baptismum accepisse; magis adeo ex interno animi Spiritum Sanctum persentiscentis, quam ex externo parentum de suo infantis baptismate narrantium testimonio id certo innotescere. Id vero auctor & in Eucharistiae mysterio locum obtinere tradit. Ὅθεν καὶ πολλοὶ τῶν ἐν κόσμῳ &c. *Unde & plerique laicorum effectus hujus Spiritus Sancti gratiae sentiunt; illi inquam qui sacro assistunt Altari, quique ad Christi mysteria percipienda accedunt; quibus repente lacrimae exiliunt, & gaudio laetitiaque afficiuntur. Unde compertum habet Christianus, se NON SIMPLICEM PANEM VINVMQVE PERCIPERE, SED VERE CORPVS ET SANGVINEM FILII DEI Spiritu Sancto sanctificatum* (ὅθεν καὶ πληροφορεῖται ὁ Χριστιανὸς, ὅ ψιλὸν ἄρτον καὶ οἶνον μεταλαμβάνειν, ἀλλὰ σῶμα ἀληθῶς καὶ αἷμα τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ Πνεύματι ἁγίῳ ἡγιασμένον) . *Non enim unquam aliquid tale sentimus, aut ejusmodi gaudium operationemque aut suavitatem aut vero compunctionem, quoties simplicem panem vinumque in mensa nostra comedimus: etiam si purior sit iste panis ille sanctificato, aut vetustius meliusque vinum illo, quod in Altari offertur.*

AD MATT. XXVI. 27.

Bibite ex hoc omnes] Ἐγκυκλοποσίαν Graeci vocabant, & ἐν κύκλῳ πίνειν, teste Polluce; idque fere ex eodem calice. Critias in Elegiis.

Καὶ τό δ' ἔθος Σπάρτῃ, μελέτημά τι λείμενόν ἐστι,
Πίνειν τὴν αὐτὴν οἰνοφόρον κύλικα.
Hoc Spartae sollemne fuit, mos hic, ut in orbem
Ex uno atque eodem combiberent calice.

Porro has ἐγκυκλοποσίας iidem Graeci δεξιώσεις appellabant ex eo, quia a dextra fiebant: de quo more vide quae ex Athenaeo, Eustathio, aliis affert Potterus Archaeol. IV. 20. pag. 767.

AD MATT. XXVI. 29.

Dico autem vobis: non bibam amodo de hoc genimine vitis usque in diem illum, cum illud bibam vobiscum novum in regno Patris mei] Cyprianus sic refert haec ep. (63) ad Caecilium: *Dico vobis, non bibam amodo ex ista creatura vitis usque in diem illum, quo vobiscum bibam novum vinum in regno Patris mei.* In haud paucis tamen Cypriani scriptis codicibus deest vox *vinum*, teste Baluzio. Idem Cyprianus

Digitized by Google

prianus poſt pauca ſic infert: *Quomodo autem de creatura vitis NOVVM VINVM cum Chriſto in regno Patris bibemus, ſi in ſacrificio Dei Patris & Chriſti vinum non offerimus?* &c. Ex his verbis videtur *VINVM* in Latinum Matthaei irrepſiſſe; nam quam Cyprianus vocem κατ' ἐξήγησιν de ſuo addidit, putarunt librarii ad Matthaei textum pertinere; cum tamen in Matthaeo καινὸν referatur ad γέννημα (nam οἶνος ἀφρενικὸν) niſi forte καινὸν idem ſit quod τὸ καινὸν, *denuo*. Haec non tantum κατὰ τὸ ῥητὸν, verum etiam κατὰ τὸ ῥητὸν Chriſtus implevit; qui admotum ſibi acetum (quod etiam eſt inter genimina vitis) guſtatum, noluit bibere. Sed venio ad locutionem Hebraicam *Geminen vitis*, quod veriſimile eſt Chriſtum Hebraice loquentem appellaſſe בן הגפן *ben haggephen*, filium vitis. Scitum eſt enim quidquid ex aliqua re prodit, illius filium Hebraice appellari. Antiqua certe Graecia, quae in multis hebraizabat, vinum iſto modo circumſcribebat. Anacreon γόνον ἀμπέλου τὸν οἶνον, *fetum vitis vinum*, nuncupavit. Pindari illud Nem. 9. ἑβραϊκώτερον eſt, ubi appellavit βιατὰν ἀμπέλου παῖδα, *violentum* ſive *robuſtum vitis filium*. Eodem ſpectat & hoc Euripidis Alcm. Μελαίνης μητρὸς εὔζωρον μέθυ, *Ex nigra matre* (uvae olim vix aliter quam nigrae erant) *vinum merum*.

AD MATT. XXVI. 30.

Et hymno dicto] Graece eſt heic & apud Marcum ὑμνήσαντες, quod verbum etiam de proſaica laudatione uſurpatur. Quin & nomen ὕμνος in Actis SS. Theodoti & Agathopi eſt gratiarum actio oratione proſa.

AD MATT. XXVI. 37.

Et maeſtus eſſe] Gr. καὶ ἀδημονεῖν. Ἀδημονεῖν Helleniſtis eſt ἐκπλήττεσθαι, ut Eccli. VII. 17. pro eo quod LXX. habent μήποτε ἐκπλαγῇς, Symmachus poſuit ἀδημονῇς. Item Pſ. CXV. 2. pro eo quod LXX. verterunt ἐν τῇ ἐκστάσει μου, Aquila vero ἐν τῷ θαμβεῖσθαι, idem Symmachus tranſtulit ἀδημονῶν. Eaque mihi videtur vera ejus verbi notio hoc ſaltem loco, ut ἀδημονεῖν ſit idem quod ἐξίστασθαι vel ἐκπλαγῆναι. Certe in eodem facto Marco XIV. 33. ἐκθαμβεῖσθαι καὶ ἀδημονεῖν pro una eademque re ponitur.

AD MATT. XXVI. 39.

Tranſeat a me calix iſte] Metaphora ſumpta ab Hebraeorum ceterarumque gentium κυκλοποσία. Apud Hebraeos qui convivio praeerat, praegrandem calicem debitis cum caerimoniis proxime accumbenti tradebat, ille alii; ac ſic deinceps in orbem ex eodem calice bibebatur. Patet hoc ex Chriſti verbis ſupra ℣. 27. *Bibite ex eo omnes*; quod de calice, non item de pane dixit, *comedite ex hoc omnes*, quia hunc particulatim in ſingulos diviſerat; calicem vero, proximo tantum tradiderat ea lege, ut in orbem *tranſiret*. Apud gentiles idem ritus uſurpabatur. Virg. primo Aeneidos extremo:

Hîc regina gravem gemmis auroque poposcit,
Implevitque mero pateram. . .
Dixit & in menſa laticum libavit honorem,
Primaque libato, ſummo tenus attigit ore.
Tum Bitiae dedit increpitans: ille impiger hauſit
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro:
Poſt alii proceres.

Occupavit haec pauciſſimis verbis Calmetus; hic, credo, ex aliquo prius hauſit. In convivio apud Plautum, cum Argyrippus potum poſtularet, reſpondet Demae-

Digitized by Google

netus pater Asin. V. 2. 41. *Da, puere, ab summo* i. e. *ab summo ad imum*. Ergo τὸ παρέρχεσθαι illius calicis circumgestationis verbum peculiare fuit. Quo verbo, qui bibere recusarent, sic usos fuisse suspicor, ut dicerent: *Transeat a me calix*. Eam vero formulam scite Christus ad calicem passionis transtulit. Ceteroqui & hoc notavi, τὸ παρέρχεσθαι verbum convivale & διακονικὸν esse, de iis usurpatum, qui *transeundo* h. e. discurrendo ministrant. Luc. XII. 37. *Praecinget se & faciet illos discumbere & transiens* (παρελθὼν) *ministrabit illis*. Hinc ἄβρας peregrinum vocabulum fluxit, uti ad Judithae librum non absurde conjecimus. At Marcus XIV. 35. pro *calice* ὥρα maluit ponere; tanquam si Matthaeum interpretaretur.

AD MATT. XXVI. 42.

Iterum secundo abiit &c.] πάλιν ἐκ δευτέρου. Non est tautologia, quod quidam putant: sed illud ἐκ δευτέρου positum fuit, quia infra ℣. 44. dicitur: πάλιν προσηύξατο ἐκ τρίτου.

AD MATT. XXVI. 42.

Si non potest hic calix transire a me, nisi bibam illum] Quae dixi ad ℣. 39. clarius hinc elucescunt. Servatur enim eadem metaphora convivalis sive παροιμία. Non potest, inquit, a me ad proxime accumbentem transire calix, priusquam ex illo bibam: Quanquam ἐμφατικώτερος dixit ἐὰν μὴ αὐτὸ πίω, h. e. nisi totum exhauriam calicem passionis. Nam ceteroqui non αὐτὸ sed ἐξ αὐτοῦ πίνειν recte dicebatur, quemadmodum supra ℣. 27. haec phrasis usurpatur.

AD MATT. XXVI. 47.

Cum gladiis & fustibus] Recte interpres reddidit Graecum ξύλον, quod & fustem, & clavam & baculum significat. Lucianus in Demon. ξύλοις συντρίψαι, *fustibus comminuere alicui caput*. Plut. Lyc. de Hercule: δέρμα καὶ ξύλον ἔχων. Lucianus Peregrino de Cynico ait: καὶ πήραν παρήρτητο, καὶ τὸ ξύλον (h. e. βακτηρία *baculus*) ἐν τῇ χειρὶ ἦν.

Ac verisimile mihi fit τὰς μαχαίρας Romanorum militum, ξύλα vero τῶν ὑπηρετῶν non aliorum, quam vigilum templi arma fuisse. Utrosque enim ad prehendendum Jesum submissos fuisse, non temere statuunt.

AD MATT. XXVI. 48.

Dedit illis signum dicens: quemcumque osculatus fuero &c.] Σημεῖον aliter σύσσημον quid sit in militari disciplina, consule auctores rei militaris. Cohors, quam Judas ducebat, assueta militari disciplinae, ut ex compacto ageret, ecquod sibi daretur signum, doceri voluit. Dabantur autem signa non tantum dicto, aut sibilo, sed & facto, in quod conventum hîc dicitur.

AD MATT. XXVI. 54.

Quomodo ergo implebuntur Scripturae, quia sic oportet fieri?] Ὅτι pro διότι haud semel his libris. Qua expositione adhibita verti sic possit: *quomodo ergo implebuntur scripturae? quocirca ita oportet fieri*. Scriptura, quas saepe allegant Evangelistae, multas passionis circumstantias προεσήμαναν, non hoc etiam, quod Scripturas illas impleri necesse sit. Necessitatem istam implendarum vaticinationum, quemadmodum sit accipienda, Theologi ad vivum resecuerunt. Prae quorum disputatis παχύτερον illud quod in Hermippo (sic dialogus ineditus quidam inscribitur nescio cujus Platonici Christiani) movente hanc quaestionem, ac negante ex prophetarum vaticiniis Passionis necessitatem inferri, legitur apud Fabricium

Digitized by Google

Fabricium to. 2. Bibl. Graecae pag. 514. extrema: ἀλλ' ἐγὼ φαίην ἂν ὡς οἰόντ' ἦν καὶ τὸ πάθος μὴ γεγονέναι, καὶ τὺς προφήτας ὐδὲν ἧττον εἶναι προφήτας, εἰ σαφρονεῖν ὅλως ὁ τῶν Ιυδαίων πληθὺς ἠβέλετο, ὅπυγε κἀκεῖνοι δι' αὐτὸ τῦτο σχεδὸν προειρήκασιν, ὅπως τῦ τοιαῦτα τολμῆσαι δεινὰ οἱ Ιυδαῖοι ἀπόσχωνται.

AD MATT. XXVI. 61.

Hic dixit: Possum destruere templum Dei, & post triduum reaedificare illud] Quo falsa est ista testificatio? Primum, quia (quod jam alii notarunt) aliis verbis recitarunt, quam quibus Christus Joh. II. 19. deinde quia sensum perverterunt, quem, si mens non laeva fuisset, facile essent assecuti; neque enim novum erat corpus ναὸν appellari, tum Scripturarum usu ac sermone, tum etiam philosophorum: praeterea ne illud quidem novum, quod ἐγείρω quod Joh. II. 19. Christus usurpavit, de praestanda reviviscentia intelligatur: postremo ne οἰκοδομεῖν quidem, quod hîc adhibetur, alienum est ab ea intelligentia. Lycophron v. 47. de Scylla, quam occiderat Hercules, a Patre Phorcyde suscitata, & immortalitate donata:

. . . . ἣν αὖθις πατὴρ,
Σάρκας καταίθων λοφνίσιν, ΔΟΜΗΣΑΤΟ,
Λέπτυνε δ' τρέμυσαν, ὐδαίαι Θεᾶ·
. . . . *quam rursus pater*
Lampadibus usta carne, suscitaverat,
Proserpinae inferiali non obnoxiam.

AD MATT. XXVI. 64.

Amodo videbitis Filium hominis . . . venientem in nubibus caeli.] *Amodo* est quod Graece hîc ἀπ' ἄρτι, & apud Lucam ἀπὸ τῦ νῦν. Quae particula nonnullos impulit, ut haec ad alia omnia, quam ad extremum judicium referrent, non cogitantes, apud Deum mille annos unius diei instar esse. Sic alibi Hierosolymitani excidii praedictio cum judicio extremo conjungitur, atque ita permiscetur, ut de una eademque re sermo esse videatur; quanquam maximo hiatu temporum unum ab altero disjungendum erat.

Venientem in nubibus caeli] Hauserunt & hoc ab Hebraeis profani, ut deorum suorum παρυσίαν in nube exhiberent. Vide Fabrettum in De col. Trajana. Confer & Aristophanis νεφέλας.

AD MATT. XXVI. 65.

Tum Sacerdos scidit vestimenta sua dicens, blasphemavit.] Familiare hoc Hebraeis fuit, ut audita blasphemia signa doloris ederent, quorum praecipuum scissio vestium fuit: Quod & ethnicos sacerdotes factitasse video, siquid contra deos diceretur. Sacerdotes Ancyrani auditis S. Theodoti martyris in deos blasphemiis vestes scidérunt: sic enim ejus acta apud Ruinartum pag. 247. n. 26. *Talia cum diceret martyr, commota est universa multitudo . . . . sacerdotibus vestes lacerantibus, comas spargentibus, coronas discerpentibus &c.* Apud gentiles enim non minus, quam apud Judaeos vestes in luctu aut dolore scindebantur: id quod ex innumeris patet veterum scriptorum locis. Appianus in Καρχηδ. pag. 46. οἱ δὲ (Carthaginienses) καὶ τὰς ἐσθῆτας ἐπερρήγνυντο. Et 1. τῶν ἐμφυλ. Cinna apud Capuam multa de se conquestus, etiam ἐσθῆτα κατέρρηξε. Et V. τῶν ἐμφυλ. pag. 713. de Sex. Pompeio idem affirmat. Phlegon περὶ θαυμασ. in epistola operi praefixa inter multa doloris indicia illud etiam non omittit: καὶ διαρρήξασα ἑαυτῆς

ἑαυτῆς τάτε ἐνδύματα καὶ τὸ ἱμάτιον. Origo moris ſcindendarum in luctu veſtium a Seneca Troadibus pandi videtur: nempe ut pectus nudaretur ad planctum. *Pateat pectus: jam nuda vocant pectora dextras.*

AD MATT. XXVI. 68.

Prophetiza nobis Chriſte, quis eſt qui te percuſſit] Ex hoc intelligitur in Jeſum obvelatum miniſtros petulanter iſto modo laſciviſſe: quod & diſerte in parallelis Marci XIV. 65. Lucae XXII. 64. locis traditur. Ac mihi ſane videtur ludicri genus apud profanos fuiſſe ejuſcemodi, quo capite obnupto aliquis, quis ſe percuſſiſſet, conjiciens, victor exſiſteret, ac praemium conjectionis conſequeretur. Id forſitan κόττος vocabatur. Nam in veteribus Gloſſis κόττος idem quod *Alea*, ſicuti Κοττιστὴς tantumdem quod *Aleator*. *Alea* vero communiter ad ludos omnes pertinet, in quibus nihil valeret induſtria, ſed tantum caſus: qua quidem notione hodieque Neapoli notiſſima vox *Il Cotto* uſurpatur. Specialiter autem κόττος de iſto percuſſores divinandi ludo fuiſſe in uſu, ex Heſychio poſſumus ſuſpicari, apud quem ſic ſcribitur: Κοττεῖν, τύπτειν, δορατεῖν: ubi tamen poſterius illud δορατεῖν vox nihil eſt, atque obſtetricante manu adjuvanda, ut quem innui (*) morem, adumbret. Hoc ipſum ex eo quoque poſſumus intelligere, quod apud poſteriores ſcriptores Κόσσος (τ duplici in totidem ſibila de more tranſeunte) eſt ῥάπισμα *alapa* (vide Suidam) quo vocabulo paſſim auctores V. & VI. ſaeculi utuntur, ut & verbo κοσσίζειν, quod eſt *alapam infligere*. Id vero καταχρηστικῶς uſurpatum ſuſpicor; nam antea κόττος ſive κόσσος videtur peculiare ejus, quam deſcripſi, ludicrae percuſſionis fuiſſe vocabulum.

AD MATT. XXVI. 73.

Vere tu ex illis es] Ἀληθῶς καὶ σὺ ἐξ αὐτῶν εἶ. Sic etiam Marci XIV. 70. Suetonius Julio cap. 82. *Tradiderunt quidam M. Bruto irruenti dixiſſe* (Caeſarem) Καὶ σὺ εἶ ἐκείνων. h. e. *Et tu illorum es.*

AD MATT. XXVII. 2.

Et tradiderunt eum Pontio Pilato praeſidi] *Praeſes* quanquam commune omnium rectorum eſt vocabulum, proprie tamen de minoribus provinciis dicitur, quibus procuratores iidemque praeſides imponebantur. Sed & provinciae illae *praeſidales* ad ceterarum diſcrimen appellabantur. Lampridius Alexandro: *Provincias praetorias, praeſidales plurimas fecit* &c. De quo vide Salmaſium ad Spartiani Hadrianum cap. 13.

AD MATT. XXVII. 7.

Conſilio autem inito, emerunt ex illis agrum figuli, in ſepulturam peregrinorum] Gr. τὸν ἀγρὸν τῦ κεραμέως hoc eſt *agrum illum figuli*; ſive agrum eo nomine notum, quaſi κεραμεικὸν dixeris. Et quod *in ſepulturam peregrinorum* eum locum deſtinari placuerit, id non temere factum puto: nam & Ceramicum Athenis (alterum

---

(*) Nec aliter Favorinus in ſuo Heſychii codice legit, qui totidem id verbis affert. Atqui pro Δορατεῖν ſcriptum ab Heſychio mihi videtur Δόρατον (facilis enim majuſculi Δ in Α mutatio fuit) quod proxime ab hodierna ſcriptura abeſt. Porro δόρατος active a Polybio ſumitur, ſicuti & δόλιατος paſſim active ab aliis uſurpatur. Itaque τύπτειν δόρατον eſt *percutere eum qui nihil videt*, ſive percutere obvelatum. Nihil verisimilius.

Digitized by Google

terum ſcilicet, qui extra urbem erat) communem fuiſſe ſepulturae locum iis, qui in bello occubuiſſent, tum ex aliis, tum ex Suida diſcimus, qui Meneclem & Calliſtratum ejus rei teſtes advocat. Ceramicum autem a Calchoſthenis figlinis nomen inveniſſe, notat Plinius XXXV. 12. quod magis credo, quam Pauſaniae etymon a Ceramo Bacchi filio. A Ceramo eſſet Κεραμικὸς: at κεραμεικὸς per EI *figulinus* ſignificat, ut κεραμεικὴ κάμινος apud Dioſcoridem lib. V. eſt *figulina fornax*. Quae dixi, eo pertinent, ut non ab re Ceramicum Hieroſolymitanum ſepulturae addixerint; ſed imitatione alterius Athenienſis. Hinc & illa quaeſtio ſolvitur, utrum peregrinorum nomine veniant heic Judaei ἐπιδημοῦντες (quod mavult Grotius) an οἱ ἀλλόφυλοι. Poſteriores iſtos intelligendos cenſeo, quibus Ceramici illius Athenienſis appellatio apprime conveniebat, & quibus ceteroqui de communi ſepulcro proſpiciendum erat, ne agrum Hieroſolymitanum illatione cadaverum longe lateque polluerent.

AD MATT. XXVII. 7. 8.

Emerunt ex illis agrum figuli in ſepulturam peregrinorum. Propter hoc vocatus eſt ager ille Haceldama, hoc eſt Ager ſanguinis, uſque in hodiernum diem.] Imo medio duodecimo ſaeculo adhuc ager ille eadem appellatione infamis erat, ibique peregrini adhuc inhumabantur. Teſtatur hoc charta anni 1143. apud Sebaſtianum Paulum to. 1. Codicis Diplomatici Equitum Jeroſolymitanorum pag. 23. in qua charta reperi Willelmum Patriarcham Hieroſ. Equitibus Hoſpitalariis donaſſe *Eccleſiam quamdam, quae in agro, qui Acheldemach dicitur, ſita eſt, ubi peregrinorum ſepeliuntur corpora, cum tota ejuſdem agri terra*. Pauca ſi in hoc nomine mutes, purum putum Syriacum vetus nomen redibit. Nam ſermone Syro (qui tunc in Judaea vernaculus erat) חקל דמא *chakel-deina*, eſt ille ipſe *Ager ſanguinis*, qui appellatione Syra hîc in Matthaei Evangelio (Syriace primitus exarato) memoratur.

AD MATT. XXVII. 9.

Pretium appretiati quem appretiaverunt] Vtitur eo verbo Tert. de Reſur. carn. c. 9. *cujus paſſiones ſibi appretiat*. Wil. Brito in ſuo Vocab. *Appretiare, pretium determinare* interpretatur.

AD MATT. XXVII. 10.

Sicut conſtituit mihi Dominus] Gr. Καθὰ συνέταξέ μοι Κύριος. Hic, opinor unicus locus eſt, ubi Καθὰ uſurpatur, cujus loco & in LXX. & ſexcenties in N. F. καθὼς ponitur. Contra vero Atticis Καθὰ aut καθὸ in uſu fuit, vetante Phrynicho dici καθὼς. Sed & Manuel Moſchopulus circa tempora captae Conſtantinopoleos clarus in ea, quae illius circumfertur συλλογὴ ὀνομάτων ἀττικῶν, ſic notavit, τὸ καθὰ οἱ Αττικοὶ χρῶνται, τὸ δὲ καθὼς οὐδέποτε, ἀλλ' ἡ Αλεξανδρέων διάλεκτος, καθ' ἣν ἡ θεία γραφὴ γέγραπται. Dixiſſet σπανίως; nam οὐδέποτε falſum eſt, quippe cum Ariſtoteles lib. I. de mundo ſcripſerit: ΚΑΘΩΣ ἄνω γέγραπται.

AD MATT. XXVII. 12.

Cum accuſaretur.... nihil reſpondit.] Legatur Maximi Tyrii diſſertatio 39. εἰ καλῶς ἐποίησε Σωκράτης, μὴ ἀπολογησάμενος. *Rectene hoc fecerit Socrates, quod ſui defenſione ſuperſederit.*

AD MATT. XXVII. 13.

Non audis, quanta adverſum te dicunt teſtimonia?] Gr. Καταμαρτυροῦσιν· quod tum

tum ex ſuperiore commate, tum ex collatione Marci XV. 4. (ubi in eadem hiſtoria iſtud idem κατα μαρτυροῦσιν vertitur *accuſant*) apparet idem eſſe quod *criminantur*. Nec inſcite tamen heic Interpres poſuit *dicunt teſtimonia*. Cic. lib. III. in Verr. cap. 25. *Lollius . . ad teſtimonium dicendum venire non potuit*. Atqui Lollius accuſator erat. Ibid. cap. 37. *Recita teſtimonium publicum Liparenſium.* cap. 38. *Atque haec ex publico Tiſſenſium teſtimonio cognoſcite*. Ac ſaepe alias hac & aliis Verrinis. Id genus teſtimonia quae a delatoribus dicuntur, vulgus forenſe *depoſitionem principalis* appellat.

AD MATT. XXVII. 15.

Per diem autem ſollemnem conſueverat praeſes populo dimittere unum &c.] *Conſueverat*, inquit, *praeſes*; non enim hoc Judaeorum lege aut more, ſed ex Romano jure fiebat. Scimus quinquennalibus aut decennalibus principum, leviorum criminum reos fuiſſe dimiſſos. Qua de re exſtat titulus codicis Theod. *de indulgentiis criminum*. Graeci δωρεὰν appellabant. Gloſſae θεία δωρεὰ, *indulgentia*. Euſebius lib. de martyrib. Palaeſt. cap. 2. de Romano M. τέλος τῆς ἀρχικῆς εἰκοσαετηρίδος ἐπιφάσης, κατὰ νομιζομένην δωρεὰν τῶν ἐν τοῖς δεσμοῖς πανταχῆ πάντων, ἐλευθερίας ἀνακηρυχθείσης, μόνος (Romanus) . . . βρόχῳ περιβληθεὶς . . μαρτυρίῳ κατεκοσμήθη. *Poſtremo cum imperatoris vicennalia jam adeſſent, & ex ſollemni more omnibus ubique vinctis indulgentia publice promulgata eſſet; ſolus . . . fractis laqueo faucibus, martyrio exornatur*. Lege caput VI. ejuſdem libri de Agapio martyre feris objecto, cum interim impius ſicarius, qui una cum Agapio productus fuerat, Maximi ibi tum praeſentis ac natali ſuo ludos celebrantis indulgentia, tanquam Barabbas alter, inquit Euſebius, κατ' αὐτὸν ἐκεῖνον τὸν ἐπὶ τῷ Σωτῆρος Βαραββᾶν dimiſſus eſſet.

AD MATT. XXVII. 23.

Quid enim mali fecit?] τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν; Particula γὰρ nihilo magis heic cauſſalis eſt, quam interdum apud Latinos *Enim*. Livius III. 39. in oratione M. Horatii adverſus decemviros: *Cujus illi* (decemviri) *partis eſſent, rogitare. Populares? quid ENIM eos per populum egiſſe? Optimates? qui anno jam prope ſenatum non habuerint?* Habet, uti vides, his ſimilibuſque locis *Enim* vim adverſativam τῷ *At* reſpondentem. Eadem eleganti notione ſive Latine loquens τὸ *Enim* heic uſurpavit Pilatus: ſive Graece interfatus, τὸ γὰρ eadem ferme notione uſurpavit. Nam & apud Graecos τίς γὰρ tantundem eſt quod *Quiſnam*. Exempla pete ex Budaeo, & ex theſauro Stephanico. Non ergo opus heic fuit viris doctis recurrere ad τὸ σιωπώμενον, cujus a Pilato ratio reddatur.

AD MATT. XXVII. 24.

Videns autem Pilatus, quia nihil proficeret, ſed magis tumultus fieret: accepta aqua, lavit manus coram populo, dicens: innocens ego ſum a ſanguine juſti hujus: vos videritis.] Non haec eo pertinent, ut a Chriſti morte abſtenturum ſe manus ſignificaret, ſed ut Divinam humanamque vindictam a ſe in Judaeos rejiceret, vel ipſis Judaeis conſentientibus, ut v. ſeq. Iſtud igitur Ἀθῷός εἰμι &c. tantundem eſt, quod ὅσιος καὶ εὐαγὴς ſive καθαρὸς, quod apud ſcriptores Atticos de iis dicitur, qui ob caedem patratam non cenſetur manus contaminaſſe. Declarat illud ex lege Solonis, quam Antiphon recitat: ὁ δὲ ἀποκτείνας τὸν ταῦτα ποιήσαντα, ὅσιος ἔστω καὶ εὐαγὴς: quod orator ſic interpretatur καθαρὸς ἔστω τὰς χεῖρας· Ac frequens hoc in legibus Atticis, ut in ea quam laudat Andocides *de myſteriis*,

myſteriis, qui everſorem reipublicae occiderit, eum ὅσιον εἶναι, h. e. purum a caede. Idem ibidem in pſephiſmate eadem habet, quae ſupra ex Antiphonte recitavimus: tum Lycurgus in Leocratem in jurejurando.

Paulus quoque Act. XX. 26. conteſtabatur fratres dicens: *Mundus ſum a ſanguine omnium; Non enim ſubterfugi, quo minus annuntiarem omne conſilium Dei vobis*. Poſtremo in actis SS. Marciani & Nicandri apud Ruinartum pag. 553. n. III. *Tunc Maximus* (praeſes) . . *neque enim ego vos perſequor, ſed imperatorum praecepta: unde alienus ſum ac mundus a veſtro ſanguine. Si autem ſcitis vos bene ituros, gratulor vobis: veſtrum deſiderium compleatur. Haec dicens ſententiam in eos pronuntiat capitalem.*

Accepta aqua lavit manus coram populo dicens: innocens ego ſum a ſanguine juſti hujus.] De ritu hoc quaedam jam viri eruditi dicere occuparunt. Addi & hoc poteſt, quod de feſto Λεοντιχῶν narrat Porphyrius *de antro Nymphar.* qui ad id ſacrum admittebantur, melle pro aqua laviſſe manus, ut a conſiliis factiſque noxiis & exſecrandis puros ſe eſſe oſtenderent.

Innocens ego ſum a ſanguine juſti hujus: vos videritis.] Hanc formulam fuiſſe Romanis judicibus uſitatam, tum maxime, quum hinc rei innocentiam pervidiſſent, illinc vero ſive multitudinis ad mortem poſcentis reum furore, ſive praecepto imperatoris, ſive qua alia neceſſitate ad reum capite damnandum cogerentur, & ex hoc loco didici (quem male alii ad judaicas conſuetudines a praeſide uſurpatas transferre voluerunt) & ex gemino alio Actorum integerrimorum SS. Nicandri & Marciani apud Henſchenium ad XVII. April. pag. 272. Sect. 5. Ibi Maximus praeſes (cujus mite & vere humaniſſimum ingenium paſſim ex Actis emicat: a qua laude nec multum Pilatus aberat, niſi Caeſaris reſpectus mentem tranſverſam egiſſet) cognita Nicandri & Marciani innocentia, poſtquam fruſtra eos ad ſacrificandum verbis placidiſſimis impuliſſet; tandem ſic eos compellat: Ἐμοὶ οὐκ ἐναντιοῦσθε, οὐδὲ γάρ εἰμι ἐγὼ ὁ διώκων ὑμᾶς, ἀλλὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ βασιλέως· ὥστε ἀθῶος εἰμὶ καὶ καθαρὸς ἀπὸ τοῦ αἵματος ὑμῶν. εἰ δὲ οἴδατε ὅτι καλῶς ἀπέρχεσθε, συγχαίρω ὑμῖν. πληρούσθω ὑμῶν ἡ ἐπιθυμία &c. Quae vetus interpres apud Ruinartum Sect. III. ſic reddidit: *Mihi non contradicitis, inquit. Neque enim ego vos perſequor, ſed imperatorum praecepta: unde alienus ſum ac mundus a veſtro ſanguine. Si autem ſcitis, vos bene ituros, gratulor vobis: veſtrum deſiderium compleatur. Haec dicens, ſententiam in eos pronuntiat capitalem. Sancti vero Chriſti martyres quaſi una voce ac lingua dixerunt; Pax tecum, praeſes* (Φιλάνθρωπε) *humane.*

Egeſippus ſive potius Ambroſius in de Excidio Hieroſ. V. 41. poſt Mariae filii carnibus depaſtae facinus, Titum ſic loquentem facit: *Mundus ego ab hoc contagio: tibi me abſolvo, quaecumque in caelo poteſtas es.* Verum haec de ſuo παραφράζει, praeter Joſephi fidem.

AD MATT. XXVII. 27.

Congregaverunt ad eum univerſam cohortem] Pro *cohortem* Graece eſt σπεῖραν. Vox eſt aut Helleniſtica, aut certe Helleniſtarum uſu trita; quum contra ex profanis non alius quam Appiani auctoritas afferatur, apud quem legitur σπεῖρα στρατηγίς pro *cohorte praetoria*. At in libro Judith XIV. 11. & in altero Machabaico VIII. 23. XII. 20. 22. reperitur (quo libro etiam σπειρηδὸν, *catervatim*, bis legitur) & ſepties in N. T. Joſephus quoque pluries eo vocabu-

Digitized by Google

lo (1) utitur. Quid ergo? Helleniſtica ne vox eſt, an Alexandrina? quia Appianus eam uſurpavit, & Heſychius expoſuit (2) τάγμα? ſunt enim ambo Alexandrini. At Heſychius voces Biblicas plurimas ſuo lexico inſeruit: ut non immerito vox Hellèniſtarum peculiaris eſſe potuerit. Quid enim? Julius Pollux, ſi quidem proba vox eſſet, eam ſuo lexico inſeruiſſet: nam ceteros lexicographos (3) recentiores Suidam & Varinum non moror. Ejus autem vocabuli apud Helleniſtas origo ſic ſe habere potuit. Apud Hebraeos חבל *chebel* & *funem* & *catervam* ſignificat. Exemplis ſuperſedeo: vide tamen mihi dicta ad Eccleſiaſtae IV. 12. ubi & obſervavimus, non quemlibet funem *chebel* appellari, ſed funem ex pluribus funiculis (ac ferme tribus) contortum, quales ſpartei funes nautici erant: ex quo & plures homines in unum coëuntes, ac junctι ſimul, חבל *hebel* vocabantur: quo ſenſu Salomon dixit *Funiculus triplex difficile rumpitur*: vide ibi dicta. Atqui & σπεῖρα id ſignificat, *funem* ſcilicet *ſparteum* (4) nauticum. Ex eo factum ut ab Helleniſtis σπεῖραν pro *caterva* accipi, uſuvenerit. Aut niſi vox eſt Helleniſtica; ſaltem antiqua ejus vocabuli ſignificatio fuit, quam etiam Ennius (5) Latine uſurpavit, quae deinde apud ſolos ferme Helleniſtas in uſu fuerit. Multa Helleniſtis cum Latinis priſcis communia, alibi oſtenſum fuit. Praeter Appianum utitur σπείρᾳ inſcriptio apud Grut. 458. 1. ubi σπεῖρα Δαρδάνων, σπεῖρα Β Οὐλπιάνη & σπεῖρα Δ Γάλλων & Πραίφεκτος σπείρας. Sicut & *Praefectus cohortis* haud raro invenitur. Praeterea utitur inſcriptio Severo & filio poſita, quae deſinit

(1) Vide indicem Graecum Joſephi.

(2) Heſychius: Σπεῖρα· πλῆθος, ῥάτευμα, τάγματα ἢ συνοφαί.

(3) Suidas: Σπεῖρα· τάξις στρατιωτική· Deinde Σπεῖραι· πλήθη στρατευμάτων· φάλαγγες· νόμεραι λεγεών. Varinus: Σπεῖρα· σύναξις, πλῆθος στρατευμάτων. Ac ferme hujus vocabuli penultima circumflectitur: etſi alicubi penacutum reperiatur. In Cyrilli & Philoxeni Gloſ. & in vet. Onomaſtico Σπεῖρα reſpondet Latino *Cohors*.

(4) Heſychio Σπεῖραι exponuntur σειραί; Suidae αἱ συνοφαὶ τῆ σχοινίῳ. Plut. in de loquacitate junxit σπείραις καὶ ἀγκύραις *funibus & anchoris*. Τὸ σπεῖρα apud Hom. Euſtathius interpretatur etiam σπείρας δὲ ἂν αἱ νῆες ἔλκονται· Suidas in Σπεῖραι affert hoc adagium: ἐπὶ σπείρᾳ σχοινίου· τὸ ἀναγκαιότατον: quod ibi interpres non intellexit; uſurpatur de rebus maxime neceſſariis, tam ſcilicet neceſſariis, quam ſunt funiculi ad componendum nauticum reſtim.

Etiam Latini veteres idem vocabulum eo ſenſu uſurparunt. Feſtus. *Spira dicitur... & genus operis piſtorii* (quem Cato cap. 77. ſic deſcribit, ut ibi quoque videre mihi videar torti funis ſimulacrum: an idem fuerit *Torta panis* Vulgato interpreti?) *& funis nauticus in orbem convolutus: ab eadem omnes ſimilitudine. Pacuvius: Quid ceſſatis ſocii ejicere ſpiras ſparteas?* Servio *Spira* eſt *volubilitas funium*.

(5) Feſtus in *Spira*. *Ennius quidem hominum multitudinem ita appellat, quum ait: Spiras legionibus nexunt*. Eodem referri poteſt & illud Heſychii: Σπείραμα· πλῆθος. Sed & Nazarius in Panegyrico (citatus ab Aquino lex. milit. ſed ſine loci deſignatione) uſus eſt; & *Spira* urbs Germanica ab eo putatur dicta, quia Conſtantius ei cohortes impoſuit: de quo vide Voſſ. Etym. in *Spira*. Sed hunc locum non ſatis intellexiſſe videtur Feſtus, dum *Spiram* multitudinem interpretatur. In quo ad ſui temporis acceptionem ſpectavit magis, quam ad Ennii locum. At origo *Spirae* pro τάγματι militari ſeu cohorte a re tactica forte manavit, ut indicat illud Ennii: *Spiras legionibus nexunt*. Vbi metaphora eſt a *Spira*, quatenus funem contortum ex tribus funiculis notat, in quo ſinguli ſpiratim torquentur. Itaque in campeſtribus exercitamentis cohortes ita ſeſe implicabant, ut eum funem imitarentur: idque dabant operam campidoctores, ut ad id tirones ſe compararent. Id etiam notat adverbium σπειρηδόν (quaſi dicas *cohortatim*) quod afferri in lexicis ſine exemplo conqueritur H. St. Reperitur autem 2. Mach. V. 2. & XII. 20. διατάξας... σπειρηδόν. Itaque ubi ab initio campeſtre προγύμνασμα (*proludium*) a funis ſimilitudine ductum notaviti; poſtea translata vox fuit ad quodlibet militare τάγμα.

Digitized by Google

nit DONVM DEDERVNT SPIRAE. Eam (1) huc adſcribere non poenitebit.

PRO · SALVTEM · ET · VICTORIAS (ſic)
DD · NN
IMPP · SEVERI · ET · ANTONINI · AVGG.
ET · IVLIAE · AVG · MATRI · AVGG. TOTIVSQ.
DOMVS : DIVINAE · EORVM
EX · CONCESSV · IN · PRAEDIIS · SVIS · SACRARIVM
DEI · LIBERI · CVM · AEDICVLA · ET · COLVM
NIS · SVIS · INPENDIS · MARMORA · NVNC (ſic)
ET · AREAM · ET · ORTVLVM · SVPER · NYM
PHIS · QVI · LOCVS · APPELLATVR · MEMPHI
DONVM · DEDERVNT · SPIRAE

AD MATT. XXVII. 29.

Plectentes coronam de ſpinis] De hac ſpinea corona, & quali ex ſpina contexta fuerit, diſſerit Iſ. Voſſius ad Barnabae epiſtolam.

AD MATT. XXVII. 30.

Acceperunt arundinem & percutiebant caput ejus] Punctim opinor, non caeſim percutiebant: id quod & arundinis natura ad κέντησιν aptiſſima, ſecus vero ad πάταξιν, notat; & in primis Graeca locutio ἔτυπτον εἰς τὴν κεφαλὴν, (alioqui ἔτυπτον κεφαλὴν dictum fuiſſet; nec alias cum praepoſitione reperi praeter quam apud LXX. Ex. VII. 17. ἰδὺ ἐγὼ τύπτω τῇ ῥάβδῳ . . . . . ἐπὶ τὸ ὕδωρ. nam Prov. XXVI. 22. τύπτω cum εἰς *deſcendendi* ſignificationem habet) h. e. ἐκέντουν τὴν κεφαλὴν. Caput autem latiſſime ſumitur, ut non verticem tantum, ſed & faciem & oculos pupugiſſe mihi calamis videantur; omnino qualis Metrae martyris Alexandrini κέντησις fuit, quam Dionyſius Alex. apud Euſebium VI. hiſt. 41. deſcribit: ξύλοις τε παίοντες τὸ σῶμα, καὶ καλάμοις ὀξέσι τὸ πρόσωπον καὶ τὰς ὀφθαλμὰς κεντοῦντες. *Fuſtibus corpus ejus verberantes, tum & acutis arundinibus vultum oſculoſque pungentes.*

AD MATT. XXVII. 33.

Quod eſt Calvariae locus] Hic locus accurate explicatur ad Joſ. XIII. 9. 16. 25. pag. 123. Ibi vide.

AD MATT. XXVII. 34.

Et dederunt ei vinum bibere] Graece ὄξος *acetum*. Vinum pro aceto, & hoc pro illo promiſcue uſurpata fuiſſe, arguit non tantum Marci Evangelium, quod hoc loco οἶνον habet, & latina hujus loci interpretatio, verum etiam illa Vlpiani ἀκρίβεια l. 9. *de trit. vin. vel oleo leg.* definientis, quandonam vini nomine acetum contineatur. Nam ex Sabini ſententia, acetum, quod *vini numero pater familias habuit*, ait *vini appellatione* contineri, ac vino legato etiam tale acetum legatum intelligi: viciſſim autem *ſi acetum quis legaverit*, inquit, *non continebitur legato acetum, quod vini numero teſtator habuit*. Certe acetum in poculen-

(1) Exſcripſit hunc lapidem, Romae anno 1748. repertum trans Pontem Milvium, Franciſcus Seraus, in Academia Neap. Profeſſor, vir ad omnem litteraturae, honeſtatiſque ſpeciem compoſitus, mihique vetere amicitia conjunctiſſimus.

Digitized by Google

tis numeratum idem Vlpianus tradit l. 3. §. 5. *de penu legata*. Eupolis apud Pollucem VI. 10.

Οἶνος παρόντος, ὄξος ἠράσθη πιεῖν.
Vino praesente acetum cupiit bibere.

Is potus militaris maxime in expeditionibus'. Spartianus Pescennio: *Jussit vinum in expeditione neminem bibere, sed aceto universos esse contentos*. In Vulcatii Gallicani Avidio Cassio: *Praeterea lardum ac buccellatum atque acetum, militem in expeditione portare prohibuit*. Et quod acetum in poculentis esset, hinc *posca* veteribus (nam quae nos poculenta, olim poscula dixere) est appellata, quod est ὀξύκρατον, *acetum aquae mixtum*, militum, servorum, captivorum, vinctorum, ac miserorum omnium potus usitatissimus. Georgius Monachus Manassi Judaeorum regi vincto ὕδωρ ὀλίγον σὺν ὄξει ἐν μέτρῳ potui cessisse narrat. Damnatis autem acetum non aliam ob caussam propinabatur, quam quia hoc ad sitim, quae in suppliciis maxima esse solet, restinguendam valebat.

Ceterum cur Marcus acetum οἶνον appellarit, & haec caussa afferri potest. Attici solum acetum ἡδυσμάτων nomine dignabantur, teste Athenaeo lib. 2. Cyrenaei quoque (ut Orion in Etymologico tradit) ipsum ἧδος, alii γλυκάδιον nuncupabant. At Nicandri Scholiastes docet ὄξος κατ' εὐφημισμὸν appellari γλυκάδιον, sicut χολὴν γλυκεῖαν, & εὐώδεα πίσσαν. Helladius apud Photium ὄξος Athenienssibus μέλι appellatum, est auctor: eadem ratione videlicet, qua simia, turpissima bestiarum, καλλίας iisdem dicebatur. An similis εὐφημισμὸς fecit, ut acetum hoc, quod noxiis propinabatur, οἶνος nuncuparetur?

AD MATT. XXVII. 37.

Caussam ipsius scriptam] Αἰτίαν, quae dicebatur ἔλεγχος καὶ ἀναγραφή, ut est in veteribus Glossis. Quam Matthaeus caussam, Johannes XIX. 19. *titulum* h. e. *elogium* appellavit; vide ibi dicta: cur autem is titulus αἰτία diceretur, nemo Johanne melius exposuit. Nam cum Pilatus hunc titulum praefixisset ΙΗΣΟΥΣ Ο ΝΑΖΩΡΑΙΟΣ Ο ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΤΩΝ ΙΟΥΔΑΙΩΝ; *dicebant Pilato Pontifices, noli scribere: Rex Judaeorum: sed quia ipse dixit: Rex sum Judaeorum*. Quasi si dixissent hanc esse αἰτίαν cruci inscribendam: *Jesus in crucem agitur ob hanc caussam, quod sibi regis Judaeorum nomen arrogavit*. Vide etiam Joh. XIX. 12. ubi Christus non ob aliam caussam puniendus dicitur, quam quod se regem fecerit. Pilatus autem nihil mutare voluit, eo quod brevissimae hujusmodi tabellarum inscriptiones esse solerent, & interdum χλευαστικῶς conceptae, ut hîc, & in nonnullis a Grotio ad hunc locum recitatis.

AD MATT. XXVII. 39.

Moventes capita sua &c.] Confer scripturae loca heic in Synopsi notata, quibus capitis motus modo insultantis est, modo subsannantis, aut exultantis de malo alieno. S. Joh. Chrysostomus initio lib. 4. de sacerdotio: Πρὸς ταῦτα ἐγὼ κινήσας τὴν κεφαλὴν, καὶ μειδιάσας ἠρέμα, ἐθαύμαζόν τε αὐτὸν τῆς ἁπλότητος, καὶ πρὸς αὐτὸν ἔλεγον. Quo loco *movere caput* nihil aliud, quam festivam irrisionem, complectitur. Sane Ps. XXI. 18. quo motus iste capitis tanto ante praedictus fuit, ea oscillatio derisioni tribuitur; uti etiam Ps. CVIII. 25. & alibi saepe. At apud Homerum movere caput indignantis est ac minitantis. Vide dicta ad Thren. II. 15. 16.

AD

Digitized by Google

AD MATT. XXVII. 45.

A sexta autem hora tenebrae factae sunt super universam terram usque ad horam nonam.] σκότος ἐγένετο. De tenebris quidem metaphoricis aliquo moriente obortis, non nove hoc dictum: quippe cum Aristides to. 3. p. 156. Aristophanis de Aeschylo dictum referat, σκότον εἶναι τεθνηκότος αὐτῷ: at de veris tenebris (quibus tamen heic illae aliae μυχικώτεραι adumbrantur) & nove dictum & nove factum.

AD MATT. XXVII. 48.

Spongiam implevit aceto.] Acetum potio usitata fuit servis, captivis, vinctis, & omnibus miseris. Confer paullo superius dicta ad XXVII. 34. maxime Vlpiani locum. Georgius Syncellus de Judaeorum rege Manasse: καὶ ἦν δεδεμένος ἐν οἴκῳ φυλακῆς, καὶ ἐδίδοτο ἐκ πιτύρων ἄρτος βραχὺς, καὶ ὕδωρ ὀλίγον σὺν ὄξει ἐν μέτρῳ πρὸς τὸ ζῆν αὐτὸν μόνον.

AD MATT. XXVII. 49.

Ad finem hujus versus olim infindebantur ex Joanne haec verba Ἄλλος δὲ...] Vide Millium ad hunc Matthaei locum, ac simul, quae ex Assemano recitavimus in Kalendar. marmoreum ad X. Jun. Cap. V. de Evangelio Barnabae.

AD MATT. XXVII. 50.

Clamans voce magna emisit spiritum] ἀφῆκε τὸ πνεῦμα, pro quo Libanius de impio Juliano παραβάτῃ dixit cap. V. τὺς θεὺς ὁρῶν ἤδη, παρ' ὃς ἔμελλεν ἥξειν, ἀφῆκε τὴν ψυχήν· *Deosque ad quos ire pergebat jam intuens, emisit animam.*

Clamans voce magna, emisit spiritum] Quid clamaverit, Lucas XXIV. 46. narrat, ubi in haec verba clamasse tradit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Imitatur hoc, ut alia multa, Porphyrius in vita Plotini, de cujus exitu haec habet: καὶ φήσας πειρᾶσθαι τὸ ἐν ἡμῖν Θεῖον ἀνάγειν πρὸς τὸ ἐν τῷ παντὶ Θεῖον . . . ἀφῆκε τὸ πνεῦμα. *Anniti se dicens, quod in nobis divinum est, ad divinum ipsum quod in universo viget, redigere . . . his verbis emisit spiritum:* draçone interim sub lecto pererrante, ac mox se in foramen abdente: ne sine ostentis interiisse nimirum videretur.

AD MATT. XXVII. 51.

Et ecce velum templi scissum est in partes duas] Quaesitum fuit, hoc καταπέτασμα, de quo hîc Matthaeus, interius ne velum sit, quod adytum a Sancto dispescuit, an exterius foribus τῦ ναῦ oppansum. Et Grotius quidem hîc, Philone & LXX. auctoribus, plane persuadet, nomine καταπετάσματος absolute positi interius aulaeum venire. Quibus accedit, quod τὸ καταπέτασμα Hebraico vocabulo פָּרֹכֶת *pharocheth* (qua voce notat Moses τὸ ἀνάμεσον illud velum: nam illud alterum prae foribus appensum מָסָךְ *masach* appellat, quod modo ἐπίσπαστον, modo κάλυμμα aut κατακάλυμμα LXX. reddere consueverunt) κατὰ πόδα respondet, utrunque enim *expansum* significat. Et quoniam tum σκηνὴ Mosaica, tum Salomonicus ναὸς mundi universi significationes habuit, ex epist. ad Heb. Philone, Josepho & aliis; ita ut adytum notarit caelum illud sacratius ac νοητὸν (quod τρίτον aut *caelum caeli* appellabatur) reliqua vero pars mundum aspectabilem: videndum quid καταπέτασμα istud ἀνάμεσον designaverit. Omnino videtur firmamentum adumbrasse, quod Hebraice συνωνύμως appellabatur רָקִיעַ *rakia* h. e. *expansum*. Et par utriusque expansi officium fuit; ut sicut *Rakia* caelum νοητὸν a reliqua mundi parte, sic *Pharocheth* penetrale a reliquo

Digitized by Google

quo ναῷ ſemoveret. Fuit & in vetere Eccleſia καταπέτασμα; quod quidem alio nomine ἀὴρ dicebatur (auctore Germano in hiſt. Eccl. p. 153. τὸ καταπέτασμα ἤγουν ὁ ἀὴρ &c. Vide Sviceri theſ. & Meurſii Cangiique gloſſaria in utraque voce) non aliam, credo, ob cauſſam, quam quia aër ex veterum auctoritate pars firmamenti fuit, cujus firmamenti illud καταπέτασμα (quod apud veteres Chriſtianos τὰ ἅγια a vulgi oculis ſemovebat) adumbrationem continebat. Ergo ſi καταπέτασμα inſtar firmamenti fuit, ejuſdem veli ſciſſio aditum nobis per Chriſti mortem in Caelum illud auguſtius patefactum ſignificat. Jam enim illud μεταξὺ χάσμα μέγα ἐστηριγμένον (quod Luc. XVI. firmamentum ſignificare videtur; Helleniſtis enim tum στερεῖν tum στερίξαι & *firmare* & *expandere* ſignificat, quia maſſa ſubigendo expanditur) quod antea commeationem ultro citroque prohibebat, diſceſſione facta, poſt Chriſtum anteſignanum & ceteros quoque Caeli cives in caeli adytum admiſit.

AD MATT. XXVII. 52.

Corpora Sanctorum qui dormierant] Locutio trita in vetere Codice *dormire cum patribus ſuis*. Et in Novo Foedere paſſim. Nec ſecus ethnici ſcriptores. Inſcriptio Romae apud Reineſium pag. 1030.

Καὶ λέγε Ποπιλίην εὕδειν ἄνερ· ἐ θεμιτὸν γὰρ
Θνήσκειν τὺς ἀγαθὺς ἀλλ' ὕπνον ἡδὺν ἔχειν.

Callimachus:

Τῇδε Σάων ὁ Δίκαιος Ἀκάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται· θνήσκειν μὴ λέγε τὺς ἀγαθύς.

AD MATT. XXVII. 61.

Habetis cuſtodiam? ite cuſtodite, ſicut ſcitis] Graecum ἔχετε quum ſit ambiguum, poſſitque tum indicativi, tum imperativi modi eſſe; hinc duplex eſt orta verſio, aliis Vulgatum *Habetis* ſequentibus, alii verti jubentibus *Habete*. Illud qui retinent, ſic ferme exponunt: Vos ipſi habetis milites templi praeſidiarios, ipſis utimini. At qui Romanos milites a Praeſide datos volunt, malunt reddere imperativo modo, *Habete* h. e. accipite. Mihi τὸ *Habetis* eſſe retinendum ſic videtur, ut tamen non templi cuſtodes milites heic ſint intelligendi, ſed Romani vigiles, quos dum exhibebat praeſes, dicebat *Habetis cuſtodiam* &c. Re enim vera τὸ *Habes* & *Habetis* verbum peculiare eſt tradentis aliquod ac repraeſentantis, idemque eſt, quod *ecce tibi*, ecce vobis cuſtodiam, quam *petiſtis*. Veluti ſiquis annumerata Judae pecunia dixerit: *Habes triginta argenteos, fac quod ſpopondiſti*. Eodem verbo utimur in fine narrationis, ut Columba apud Anacreontem: Ἔχεις ἅπαντα . . . . .

Sicut ſcitis] Elegans eſt ſermonis idiotici laconiſmus. Ite, inquit, facite, quod vos ipſi faciendum monuiſtis: ſive potius: facite id, cujus vos conſcii eſtis.

AD MATT. XXVIII. 1.

Veſpere autem Sabbati quae luceſcit in prima Sabbati] Locus viſus eſt hactenus omnium difficillimus; cum meo judicio ſit planiſſimus. Ac primum in eo, *Veſpere Sabbati* (ὀψὲ τῶν σαββάτων) nihil difficultatis haeret. Jam pridem enim aliquot docti viderunt, τὸ ὀψὲ (quod *ſero* aut *veſpere* reddi ſolet) interdum tantundem eſſe quod *Poſt*. Deinde *Sabbata* numero multitudinis (ſic enim Graece hîc legitur) ſunt ſeptem hebdomadae dies. Ergo *Poſt Sabbata* hic vertas licebit, h. e. exacta hebdomada tota. Sequitur,

Digitized by Google

Sequitur, τῇ ἐπιφωσκούσῃ εἰς μίαν σαββάτων h. e. (si quidem verbum verbo appenderis) *Lucescente in primam Sabbati*, sive, *Lucescente in diem Dominicum*. At hîc jure quaeras in participio ἐπιφωσκούσῃ quid lateat. Vulgo volunt omnes, latere ἡμέρᾳ, quasi dicas *Ea die quae lucescit in prima Sabbati*. At si hoc in animo habuisset Evangelista; dixisset potius μιᾷ σαββάτων ἐπιφωσκούσῃ, *Prima Sabbati lucescente*. Mihi contra non est dubium, quin subaudiatur potius νυκτί (*nocte*): ea, inquit, *nocte quae lucescit in diem Dominicum*. Cur vero sic existimem, plures causae suppetunt.

I. Sequitur, *Venit Maria* &c. Atqui nocte extrema iter illud paratum fuisse, ceteri Evangelistae docent.

II. Ex verborum proprietate. Nam sicuti dies *advesperascere* dicitur (Prov. VII. 9. *Advesperascente die*) ubi proximus nocti fit, sic recte nox *lucescere* aut *illucescere* (ἐπιφώσκειν) dicetur appropiquante aurora.

III. Illud εἰς terminum, quo evaditur notat; Nimirum, *Nocte lucescente in diem Dominicum*, idem est atque *Ea nocte quae in diei Dominici lucem desinit*. Id vero Latini more suo dixissent; *ea nocte cui dies Dominicus illucescebat*. Sic enim Suetonius in Julio: *Ea vero nocte, cui illuxit dies caedis, ipse sibi visus est volitare.*

IV. Postremo τὸ ἐπιφώσκειν, & *lucescere* aut *illucescere* simili prorsus phraseologiâ huic, quam Matthaeus adhibuit, usurpatum de nocte passim ab ecclesiae scriptoribus & in Christianorum titulis reperio. Ac pulcherrimum est epigramma illud, cujus notas astrologicas explicat V. Cl. Franc. Blanchinus in prolegomenis to. 2. Anastasiani pag. LXVIII. Id vero anno 364. scalptum fuisse consules produnt.

PVER NATVS A Ω
DIVO IOVIANO AVG ET
VARRONIANO COSS.
ORA NOCTIS IIII
IN..VXIT VIII. IDVS MADIAS
DIE SATVRNIS LVNA VIGESIMA
SIGNO..API..ORNO NOMINE SIMPLICIVS

Versu quarto uti vides, aperte legitur, *Hora noctis IIII.* (quae) *inluxit VIII. Idus Majas*.

Eamdem locutionem imitatur inscriptio Romana apud Fleetwood pag. 379. 1. *Objit bonae memoriae Caesaria MEDIVM NOCTIS DIE DOMINICA INLVCESCENTE VI. idus Decembris quadragies & sexies post consulatum Basilii Junioris V. C. consulis. anno duodecimo regni Childeberti regis, indictione quinta*. Is est annus Christi 587. Haec inscriptio celebratissima est, quae epitaphium *S. Caesariae* seu Casariae vulgo vocatur, & in quodam sacello prope Avenionem exstare dicitur. Ea ab aliis aliter intellecta fuit: de qua inferne (*) videbis.

Nihil

(*) Ex postconsultatu Basilii & ceteris characteribus intelligitur, hoc elogium ad annum 587. pertinere. At eo tamen anno dies Dominicus in VII. Idus Decembris non in VI. incidebat; Quo anno VI. Idus Decembris dies Lunae fuit. Nec tamen continuo erroris scalptorem accusaverim, quasi qui VI. pro VII. scripserit. Imo potius sic ea epigraphe distinguenda erit, ut (contra quam vulgo distinguunt) τὸ DOMINICA per ὑποσιγμὴν ab INLVCESCENTE dirimatur; nec enim moriente Caesariâ dies Dominica illucescebat; imo potius jam jam in Lunae diem mox a media nocte (more Romano scil.) auspicantem definebat. Ergo Caesaria die Dominica hoc sensu abiit, quia paullo ante mediam

Nihil quoque illuſtrius eo Hiſt. Miſcellae loco eſt, quo Nicephori Imp. initia conſignantur extremo lib. XXIII. *Sequenti autem anno, qui eſt primus annus Nicephori, prid. Kal. Novembris, ind. XI. quarta noctis hora, QVAE FERIA SECVNDA LVCESCIT, idem Nicephorus . . . tyrannidem adverſus Eirenem piiſſimam concitavit.*

Jam vero proderit ex Epiphanio haurire: qui in Expoſitione fidei Catholicae cap. 22. aperte τὸ ἐπιφώσκειν de nocte uſurpavit his verbis: Ἔν τισι δὲ τόποις τὴν (ſupple νύκτα) μετὰ τὴν πέμπτην (ſupple ἡμέραν) ἀγρυπνοῦσιν, ἐπιφώσκουσαν εἰς τὸ προσάββατον καὶ (ἀπὸ κοινοῦ ſupplebis, ἐπιφώσκουσαν εἰς) τὴν κυριακὴν μόνας. Pulcherrimus ſane locus, in quo eadem quoque conſtructio (ἐπιφώσκειν εἰς) quae in Matthaeo eſt, cernitur. Quem locum ſic κατὰ πόδα vertes. *Quibuſdam in locis in ea tantum nocte, quae feriam quintam ſubſequitur, & illuceſcit in Anteſabbatum, nec non in ea quae in Dominicam illuceſcit, pervigilant.* Maneat igitur, apud Matthaeum illud ἐπιφωσκούσῃ non de die uſurpari, verum de nocte, quae luceſcere inceptura erat.

Huc pertinet & Lucae locus XXIII. 54. *Et dies erat paraſceves, & Sabbatum* (ἐπέφωσκε) *illuceſcebat*. Vbi videtur praeſens pro paullo poſt futuro accipi more Hebraeorum, ut *Scio quia Meſſias venit*, pro eo quod eſt, Meſſiae adventus imminet. Sic etiam: *Dies* (inquit) *erat paraſceves, ac prope aberat ut ea nox inciperet, quae illuceſcit in Sabbatum.*

Verum (quid diu moror?) hic Lucae locus admonet ut *Illuceſcere* apud Judaeos Helleniſtas de νυχθημέρῳ (noctidui) Hebraici (quod a planetae occaſu numerabatur) initio accipiendum videatur. Rem paucis expediam. Initio in gente Hebraea, ſicuti & apud Homerum, dies naturalis id tantum ſpatii complectebatur, quo Sol ſupra noſtrum hemiſphaerium commoratur. Itaque ubi νυχθήμερα ſignificanda eſſent, tot dies totque noctes (veluti XL. dies & XL. noctes) numerabantur. Sic paſſim in hiſtoria diluvii, &, ut ibi notavi, apud Homerum quoque. Itaque quandiu mos tulit, ut *Diei* vox ab ortu planetae ad ejuſdem occaſum acciperetur, ejus diei initium *illuceſcendi* verbo recte ac proprie deſignabatur. At vero poſtquam *Diei* vocabulo ſubjici notio artificialis coepit, ita ut pro horis XXIV. acciperetur; tunc Babyloniis quidem, ab ortu ſideris ſua ἡμερονύκτια auſpicantibus, ejuſdem verbi *Illuceſco* uſus recte ac proprie procedebat (cur enim *Illuceſcere* de ἡμερονυκτίῳ initio non uſurparent, cum re vera apud eos idem eſſet lucis ac totius ἡμερονυκτίου exordium?) at Judaeis qui idem ſpatium a nocte numerarent, non videbantur eo verbo exordia τῷ νυχθημέρῳ recte deſignaturi fuiſſe. Et tamen ſive ut aliis nationibus ſtilum attemperarent, ſive καταχρηστικῶς loqui placuiſſet; certe Judaei Helleniſtae τὸ ἐπιφώσκειν de νυχθημέρῳ (quod apud eos a nocte incipit) exordio uſurpare coeperunt. Itaque *Sabbatum* (ἐπιφώσκειν) *illuceſcere* dixerunt de ejus noctis initio, quae cum die Sabbati ſequentis

diam noctem (quae media nox Dominicae terminus, & diei Lunae initium fuit) occubuit. Quocirca poſt INLVCESCENTE ſupplendum eſt IN, terminalis particula; qua in hoc loquendi genere uti ſolebant. Sic ergo leges: *Obiit . . Caeſaria medium noctis* (*pro media nocte*) *die Dominica, inluceſcente* (in) *VI. Idus Decembris*. Ceterum ex iis, quae mox in ſimilem Lucae locum obſervabimus, *Illuceſcendi* verbum de diei artificialis (ex 24. horis conſtantis) inceptione uſurpari ſolebat: qui dies artificialis (ſive νυχθήμερον) apud Judaeos ab occaſu Solis, apud Romanos a media nocte procedebat. Vide ad mox ſubjiciendum Lucae locum.

Digitized by Google

tis ſolidum ἡμερονύκτιον abſolvit. Quod ſiquando iisdem accuratius loqui curae erat, tunc ἐπιφώσκειν εἰς . . . uſurpabant. Veluti nox quae Sabbato praeit, ea ἐπιφώσκειν εἰς τὸ προσάββατον Epiphanio dicta fuit. Item nox quae diei dominico antecedebat, ea Matthaeo ἐπιφώσκειν εἰς μίαν σαββάτων dicebatur. In quibus locutionibus praepoſitio εἰς (τῶ ל Hebraico reſpondens) eam vim habet, ut ea nox *imputanda* ſive Sabbato, ſive Dominico diei ſignificetur. Vt hîc apud Matthaeum: *Exacta*, inquit, *hebdomada, ea nocte, quae primae Sabbati imputatur, venit* &c.

Ceterum qui Lucam idcirco noctem Sabbato praeviam dixiſſe ἐπιφώσκειν volunt, quod ea nocte ſollemne Judacis eſſet lucernas accendere, toto aberrant caelo: nam (ut omittam quod in ſuperioribus exemplis tum Epiphanii tum marmorum ἐπιφώσκειν & *Illuceſcere* de quibuslibet noctibus uſurpatur) Matthaeus de ea nocte τὸ ἐπιφώσκειν poſuit, quae extra Sabbati νυχθήμερον erat (jam enim occidente Sole Sabbatum deſiverat) proinde ea nocte nullus apud Judaeos lucernarum uſus fuit.

Itaque ne dubita, quin ea locutio non aliter ſit intelligenda, quam, quo modo interpretati ſumus. Nam primum ab utroque Evangeliſta τὸ ἐπιφώσκειν de nocte non de die accipitur: ab Luca de nocte illuceſcente in Sabbatum, a Matthaeo vero de illuceſcente in Dominicam. Deinde cur *Illuceſcere* de noctis initio uſurpaverint, ea cauſa eſt. Nam quia Dierum naturalium initia *Illuceſcendi* verbo recte olim deſignabantur, hinc ubi eo ventum fuit, ut *Diei* vocabulo artificialem horarum XXIV. notionem ſubjicerent, ejuſque ſpatii initium ab veſpera inchoarent; vetus tamen apud Judaeos conſuetudo manſit, ut ad ejus ſpatii exordia deſignanda uſitato *Illuceſcendi* verbo uterentur: niſi quod praepoſitionem opportune ſubjicerent, qua ſignificarent, noctem illam illuceſcere in ſequentem diem h. e. diei ſequenti eſſe imputandam. Confer ſuperiorem Caeſariae titulum: quem tamen ex more Romano explicavimus, quo dierum artificialium initia a nocte media procedebant. Romanorum conſuetudinem adoptavit Eccleſia.

AD MATT. XXVIII. 16.

Vbi conſtituerat illis Jeſus] ὃ ἐτάξατο αὐτοῖς ὁ Ιησῦς: *Vbi condixerat illis Jeſus*. Χώρα τεταγμένη Xenophonti *locum conditum* ſignificat. Sic etiam τεταγμένη ἡμέρα, ὥρα, χρόνος &c.

AD MATT. XXVIII. 19.

Docete omnes gentes, baptizantes eos.] Cyprianus hunc locum afferens extrema ad Caecilium epiſtola, habet eleganter *tingentes eos*: nam Latinis *tingere* dicebatur, quod Graecis βαπτίζειν. Illud πάντα τὰ ἔθνη Judaeos non minus, quam gentiles complectitur; nam illi quoque hujus lavacri neceſſitate tenebantur, uti patet ex Joh. III. 5. Ergo cum Judaei per baptiſmum (quod apud ipſos Judaeos novae profeſſionis in proſelytis Sacramentum fuit) aeque ac gentiles in Eccleſiam recipiendi eſſent; aequatis jam Iſraëlitarum gentiliumque juribus, etiam inter Iſraëlitas & גוים *goiim* ſive לאמים *leummim* h. e. τὰ ἔθνη diſcrimen auferetur. Ita Judaeorum ſuperbia retunditur, in Iſraëlitico nomine nimium ſibi placentium; in tantum, ut Ethnicorum loco habeantur a Chriſto. Vide haec ad Joh. III. 5. fuſius expoſita.

Vt autem non eſt dubitandum, quin eo, quo dixi, ſignificatu Chriſtus τὰ ἔθνη hic intellexerit; ita mirari ſubit, quae Petrum religio inceſſerit, ne Cornelium

Digitized by Google

tingeret, Act. cap. X. An πάντα τὰ ἔθνη ad Judaeorum varias tribus & familias ſive in Palaeſtina ſive ἐν διασπορᾷ poſitas retulit? Hammondus quidem hîc ἔθνη de Judaeis intellexiſſe Chriſtum affirmare non refugit: quod eſt falſiſſimum. Satius eſt dicere forſitan Apoſtolos ad vim horum verborum non attendiſſe, quibus alterum Chriſti mandatum alte inſederat, *In viam gentium non abieritis*; quod in priore legatione dictum, in hac altera retractatur, ſed Apoſtolis incogitantibus. Poteſt & hoc reponi, (idque mihi magis arridet) putaſſe Apoſtolos τὸ μαθητεύειν notione Judaica ſive Helleniſtica accipiendum eſſe, apud quos ex *Thalmid* (*diſcipulus*, μαθητὴς) erat verbum *thalmed*, μαθητεύω *diſcipulum h. e. proſelytum facio*. Putarunt ergo gentiles ea conditione tingi poſſe Chriſtiano baptiſmo, ſi prius Judaeorum proſelyti fierent: Μαθητεύσατε inquit πάντα τὰ ἔθνη, βαπτίζοντες αὐτοὺς &c. Quod in eam partem acceperunt, quaſi ſi dixiſſet, Ex omnibus nationibus proſelytos facite, eoſque tingite Chriſtiano baptiſmate. Et quidem ex innumeris Actorum locis datur intelligi, hanc opinionem prius quidem Apoſtolos cum Judaeis omnibus habuiſſe communem, poſtea, ubi per ὀπτασίαν Petro oblatam dedocti fuiſſent Apoſtoli, tamen perſtitiſſe ceteros in ſemel concepta opinione, ita ut diſcutienda res fuerit in Hieroſolymitano Concilio. Eandem opinionem ſua etiam num aetate graſſantem refellit Ignatius, ubi ait non Chriſtianiſmum in Judaiſmum, ſed hunc in Chriſtianiſmum credidiſſe. Cujus verba attuli ad Joh. III. 5.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONES

AD QVAEDAM MATTHAEI LOCA

DISSERTATIO I.

AD MATT. IV. 2.

DE JEJVNIO

ET *cum jejunaſſet quadraginta diebus & quadraginta noctibus*] Vulgare jejunium Hebraeorum diurnum tantum fuit, non item nocturnum, quippe ad veſperam ſolvebatur. Iſaias cap. LVIII. *affligere per DIEM animam ſuam*, ſic demum jejunium περιφράζει. I. Sam. XXXI. 13. & I. Par. X. 12. ſepulto Saule *jejunaverunt ſeptem diebus*: nihil porro de noctibus additum, quarum initio ſoluta jejunia credendum eſt. Idcirco Matthaeus hîc, ut nocturnum pariter fuiſſe jejunium oſtenderet, inſuper addidit *noctibus*. Hoc genus jejunii ὑπέρθεσιν Chriſtiani veteres appellabant, quam jejunandi rationem Paſchali hebdomade alii aliter uſurpabant. Irenaeus apud Euſebium V. hiſtor. 24. Οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτὺς νηστεύειν, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ καὶ πλείονας· οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινάς τε καὶ νυκτερινὰς συμμετρῦσι τὴν ἡμέραν αὐτῶν. *Quidam enim exiſtimarunt uno die ſibi eſſe jejunandum* (ipſo nempe Paſchali die, quemadmodum feriam VI. majoris hebdomadae vocabant) *alii duobus* (puta Paraſceve & Sabbato Sancto) *alii pluribus: nonnulli etiam quadraginta horis diurnis ac nocturnis computatis, diem ſuum* (ſive potius *jejunium*, opinione Valeſii, νηστείαν reſcribentis pro ἡμέραν) *metiuntur*. Et iſtas 40. horas ſive in memoriam totidem horarum, *quibus ablatus eſt ſponſus*, uti loquitur Tert., ſive 40. dierum ac noctium, quas jejunavit Chriſtus, jejunio tranſactas putant. Atque ὑπερθέσεως vocabulo utitur Cyrill. Hier. catech. 18. ἔκ τε τῆς ὑπερθέσεως τῆς νηστείας τῆς παρασκευῆς &c. Vtitur & Dionyſius Alex qui eadem opera inter ὑπέρθεσιν & νηστείαν diſtinguit epiſt. ad Baſilidem. Οἱ μὲν πάσας ὑπερτιθέασιν ἄσιτοι διατελοῦντες, οἱ δὲ δύο, οἱ δὲ τρεῖς, οἱ δὲ τέσσαρας; οἱ δὲ ἡδέμιαν. καὶ τοῖς μὲν πάνυ διαπονηθεῖσιν ἐν ταῖς ὑπερθέσεσιν, εἶτα ἀποκαμοῦσι καὶ μονονυχὶ ἐλλείπουσι, συγγνώμη τῆς ταχυτέρας γεύσεως· οἱ δέ τινες οὐχ ὅπως οὐχ ὑπερτιθέμενοι (en diſcrimen inter ſuperpoſitionem & jejunium) ἀλλὰ μηδὲ νηστεύσαντες &c. Epiphanius in Expoſitione fidei Catholicae ait fideles Paſchali hebdomade ſolo pane & aqua ad veſperam veſci, tum & hoc addens: ἀλλὰ καὶ οἱ σπουδαῖοι διπλᾶς καὶ τριπλᾶς καὶ τετραπλᾶς ὑπερτιθέασι, καὶ ὅλην τὴν ἑβδομάδα τινὲς ἄχρι ἀλεκτρυόνων κλαγγῆς &c. Plura de ὑπερθέσει (1) vide apud

(1) Vox ὑπέρθεσις & ὑπερτίθημι, de quibus hactenus dixi, inde nata, quod ὑπὲρ μίαν, δύο, ἢ πλείους ἡμέρας cibum ſumere in more haberent, i. e. poſt unum, duos pluresve dies, cibo ſuperſederent. Sic enim veteres loquebantur. Socrates IV. 23. de monachor. jejunio: ἀπεχόμενοι οἴνου καὶ ἐλαίου, μόνον τε ξηρὸν ἄρτον, καὶ αὐτὸν ποτὲ μὲν ΥΠΕΡ μίαν ἡμέραν ποτὲ δὲ ΥΠΕΡ δύο, ἔνι δὲ καὶ ΥΠΕΡ πλείους ἐσθίοντες. *A vino quidem & oleo abſtinentes, ſolo autem pane, interdum poſt diem ſolidum, interdum poſt biduum, poſt plures nonnunquam dies victitantes*. Et quidem SICCVS & ASSVS ſignificant etiam μόνον. At quia ASSVS etiam *torridum* ſignificat; hinc aevo poſteriore vox TORRIDVS pro *carens* uſurpabatur. Nec certe aliter (niſi vehementer fallor) poteſt Coelii Apicii locus I. 1. intelligi, ubi inter cetera, quae praeparari jubet ad *Conditi paradoxi* compoſitionem, addit & modum certum *dactylorum oſſibus torridorum* i. e. exemptis oſſibus. Nec enim audiendus ibi eſt Humelbergius, vir ceteroqui doctiſſimus, qui interpretatur palmulas, *quae in oſſibus aruerunt*; quod nihil eſt. At meam interpretationem firmant ea, quae ſequuntur, ubi eoſdem dactylos vino molliri jubet, *ut tritura lenis babeatur* i. e. ut facilius in mortario comminuantur: ad eam autem

Valeſium ad Euſeb. V. 24.

Ceterum hic me ſubmonet locus, ut de Judaeorum Chriſtianorumque jejunio aliqua in commune adnotem. Jejunium autem quale a Synagoga accepit Chriſti Eccleſia, duo maxime complectebatur, ἀγυσίαν ad certum uſque tempus, tum vero ciborum ποιότητα in ſolvendo jejunio.

Ad ἀγυσίαν quod attinet, ea uſque ad veſperam definiebatur, uti liquet ex I. Sam. XIV. 24. 2. Sam. I. 12. &c. In quo Judaei adeo religioſi fuere, ut ante exortum veſperuginis de ἀποστασμῷ cogitare nefas ducerent: quo ſpectat illud Hieronymi lib. 2. adv. Jovinianum: *Petrus Apoſtolus non expectans ſtellam more Judaico, ſed hora ſexta in ſolarium pranſurus aſcendit*. Eo etiam Athenaeum reſpicere ingenioſe conjecit Caſaubonus, cum ait lib. IV. c. 14. ὥσπερ νηστίαν ἄγοντας, καὶ περιμένοντας τὸ ἀνατέλλον ἄστρον, ὃ φασι μὴ φαίνεσθαι τὴν χρεὼν ταύτην φιλοσοφίαν εὑρόντες, νόμιμον εἶναι μηδενὸς γεύεσθαι. *Tanquam jejunantes, & exſpectantes exortum ſtellae, quae quandiu non illuxerit, quidquam guſtare nefas eſſe ajunt ii, qui utilis hujus inſtituti auctores fuere*. Chriſtianos quoque antiquos veſpera jejunium definiſſe, nemo neſcit. Illa vero ἀγυσία ejuſmodi fuit, qualem nunc ſumpturi Euchariſtiam Chriſtiani ſervant, itaut quaevis vel minima potus cibive particula jejunium frangeret; uti perſpicue docet illud I. Sam. XIV. 43. *Guſtans guſtavi in ſummitate virgae . . paullum mellis, & ecce ego morior*: Et ex Jonae III. 7. *Non guſtent quidquam . . . & aquam non bibant*. Nec aliter fert hodiernus Graeciae uſus. Priſcae illius jejunantium ἀγυσίας in ſumturis Euchariſtiam veſtigium manſit. Nam poſtquam juſtiſſimis de cauſſis placuit, ut a jejunis Euchariſtia ſumeretur (nam Eccleſiae naſcentis initio aliquando & caenati communicabant, reputantes caenatis Chriſtum porrexiſſe Euchariſtiam); non aliud jejunii genus requiſitum fuit, quam quod vulgo in νηστείαις ab ebus obſervaretur. Necdum enim diſcrimen illud exortum fuerat inter naturale jejunium (uti nunc vocant, quod a communicaturis adhibetur) & eccleſiaſticum. Inaudita tum illa vocabula, quando non minor ἀγυσία eſurialibus feriis obſervabatur. Vbi poſtea, deferveſcente caritate, jejuniorum diſciplina elanguit, nemo ut ob aquae hauſtum, aut modicum cibi fruſtulum fracti jejunii accuſaretur: Euchariſtiae tamen reverentia in communicaturis prior diſciplina manſit; itaut proximis tandem ſaeculis inter naturale & eccleſiaſticum jejunium celebre diſcrimen eruperit. Vide Thomaſſinum *de jejunio*, ubi probat aquae potum fregiſſe jejunium. Eodem pertinet illud, quod paullo ante ex Athenaeo protuli, μηδενὸς γεύεσθαι. Apud Ovidium V. Met. ſolutum jejunium dicitur, quum nihil aliud quam ſeptem mali punici grana apud inferos guſtata fuiſſent.

Non ita fata volunt, quoniam jejunia virgo
Solverat . . . .

Jam quod ad ciborum ποιότητα pertinet; a priſcorum hominum ἀφιλίᾳ delectus ille manavit. Hinc ἀποσία (quo vocabulo eleganter Euſebius (2) utitur) interdictum; quia rarus admodum apud veteres vini uſus: id quod pluribus docere poſſem, ſi id agerem. In pluribus orbis partibus ſero admodum plantari vineae ac vina condi coepere: in cultioribus regionibus, quibus vini uſus antiquior, tamen, uti dixi, ditiorum tantum menſis adhibebatur. Hinc & Xerophagia; quia pane (3) *ſicco* ſive *arido* h. e. ſolo, aut incoctis cibis ſimpliciores homines victitarent. Carnibus non tantum ante diluviani homines ſe abſtinebant, ſed & diu poſt diluvium; nam veteres (profanos intelligo, cum certum ſit Dei foederatos poſt diluvium carnibus veſci coepiſſe ex Geneſis hiſtoria) uti teſtatur Plato in VI. de legibus, σαρκῶν ἀπείχοντο, ὡς οὐχ ὅσιον ἐν ἐσθίειν, οὐδὲ τὰς τῶν θεῶν βωμοὺς αἵματι μιαίνειν. *A carnibus abſtinebant, nefas ducentes animalibus veſci, aut eorum ſanguine Deorum altaria polluere*. Idem teſtatur Dicaearchus apud Porphyrium, aliique. Sus prima in cibum ceſſiſſe dicitur. Piſces aut in opſonium adhibiti a jejunantibus, quod id opſonii genus antiquis maxime

---

autem comminutionem neceſſaria prorſus offium detractio fuerat. Ergo, ſi me audis, dactyli OSSIBVS TORRIDI ſunt *oſſibus privati*, quique eidem Apicio (VIII. 7. ubi de condimentis *in porcellum bortulanum*) *dactyli exoſſati* vocantur.

(2) Euſebius or. de laud. Conſtit. cap. 17. σοφῶν δ' ἀποχαῖς ἀσιτίαις τε καὶ ἀποσίαις πολυμίροις πρεσυμώτατα διαπαρτερεῖν. *Ciboque & vino ad multos dies libentiſſime abſtinere*.

(3). Aridum idem quod *ſolum*. Plat. Rud. *Arido argento eſt opus*. Sic etiam *Aſſum* idem quod *toſtum* & *ſiccum*, ac proinde *ſolum*: unde *Aſſa vox* & *aſſae tibiae*. Servius (apud Voſſ. in ASSVM) *maceries de aſſis ideſt ſiccis lapidibus*. Vide ſupra adn. 1.

Digitized by Google

maxime vulgare & usitatum fuit ; in tantum ut ὄψον & ἰχθὺς duo sint Graecis unius rei synonyma. Etiam in Evangeliis ὄψον & ὀψάριον ea notione haud semel legitur. Strabo piscosum mare εὔοψον appellare solet. Archestratus apud Athenaeum

Ἄλσος εὔοψον ὀφέδρα χαρίεν ἐστὶ Κάρυστος,

Hinc illud Ausonii Mosella :

Stridentesque focis opsonia plebis Moselae.

ad eam, quam dixi, Graeci vocabuli notionem videtur alludere. Varro quoque III. de R. R. 17. *Cum neque everriculo illi in litus educere possent vivam sagmam plebejae caenae pisces*. Vilitas hujus opsonii ex eo manabat, quod cuivis libera erat captura piscium : unde est illa Israëlitarum expostulatio Num. XI. 5. *Recordamur piscium, quos comedebamus in in Aegypto GRATIS*. vide ibi dicta.

Altero Christi saeculo gentiles (Christianos an Judaeos imitati ? hos verius, quia & proni ad Judaicos ritus fuisse ex multis veterum testimoniis reperiuntur) religionis caussa aliquoties a carne abstinebant, & vilibus vescebantur. Spartianus Did. Juliano cap. 3. *Saepe autem nulla exsistente religione, oleribus leguminibusque contentus sine carne caenaverit.* Hoc dicit quia saepe religionis ergo sic caenabant. Lege quartum Porphyrii librum περὶ ἀποχῆς.

DISSERTATIO II.

AD MATT. XXIII. 14.

DE QVAESTV PHARISAEORVM.

Vae vobis Scribae & Pharisaei hypocritae quia comeditis domos viduarum, orationes longas orantes] Hinc apparet, Pharisaeos ex assiduitate precum earundemque prolixitate & auram & quaestum captasse. Hinc illius quoque rei caussam percipimus, quid sit, quod antiqui tradunt, Judaeos, in proseuchis, ad quas precandi caussa coibant, stipem rogasse. Prodidit hoc Cleomedes lib. 2. κυκλικῆς θεωρίας, Epicuri dictionem reprehendens, *quippe qui ex media proseucha & ex ibidem stipem petentibus Judaicas nescio quas locutiones* haustas usurparet : τὰ δὲ ἀπὸ μέσης τῆς προσευχῆς, καὶ τῶν ἐν αὐτῇ προσαιτούντων, Ἰουδαϊκά τινα. Prodidit & Juvenalis Sat. III. ubi proseucharum infinita multitudine etiam nemora occupata expostulans, ait : *Et ejectis MENDICAT silva camoenis*. Tum & Sat. VI. 542.

Arcanam Judaea tremens MENDICAT in aurem
Interpres legum Solymarum & magna sacerdos
Arboris, & summi fida internuntia caeli :
Implet & illa manum, sed parcius, aere minuto.

De Massilianis semijudaeis notat Epiphanius, haer. 80. n. 3. in proseuchis illos manus ad stipem porrexisse. Hinc Scholiastis Juvenalis hallucinatio detegitur, qui cum de Judaeis in proseuchis opem petentibus inaudisset, putavit proseuchas loca illa omnino notare, in quibus mendici πτωχεύουσι, quasi vero *proseucha* non tam a precando deo, quam rogandis divitibus nomen invenerit. Verum quid caussae est quin in utrunque Juvenalis locum pauca commenter ? sunt enim aliquammulta, in quibus ab illius poëtae enarratoribus dissentio. Prior locus ex Sat. III. 12.

Hic ubi nocturnae Numa constituebat amicae,
Nunc sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judaeis; quorum cophinus foenumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat silva Camoenis.
In vallem Aegeriae descendimus &c.

Hic ubi noct. Numa const. am.] Lucum Aricinum intelligit, ubi Numae cum Aegeria colloquia fuere, (quod patet etiam ex ultimo versu) quem lucum Jadaicis proseuchis frequentatum conqueritur.

Nunc sacri fontis] προσευκτήρια ad amnium ripas aut rivulorum constituta poëta designat, cujusmodi illud fuit Act. XVI. 13. vide ibi dicta.

Nemus] Proseuchae istae *nemorenses* Theodosio (cujus aevo vix ullum erat inter has & synagogas appellationum discrimen) appellantur *synagogae quae in solitudine*. L. 22. C. Th. de Judaeis.

Et delubra] Non deorum delubra cum interpretibus intelligo (quae Judaei cane pejus & angue averssabantur) sed Judaeorum structilia προσευκτήρια. Duum enim generum Judaei habuere, unum cespititium in nemoribus aut ripis, ut modo diximus, alterum opere coementitio factum, ut illa Samaritanorum proseucha apud Epiphanium in haeresi

Massa-

Maſſalianorum, & alibi. Quo enim alio nomine homo ethnicus, quam delubrorum appellatione iſtorum προσευκτήρια deſignaret?

Locantur] Non *habitanda locantur*, (quae heic eſt omnium interpretum hallucinatio) ſed aedificanda. Romani enim in Judaeorum religionem propenſiores, in eorum gratiam ſuis ſumptibus proſeuchas redemptoribus exſtruendas locabant: idque demum poëta inſectatur.

Judaeis] i. e. in eorum gratiam. Locus geminus planeque germanus eſt Livii XXVII. extremo cap. 10. *Cetero* (auro) *uſi ſunt ad veſtimenta praeſenti pecunia locanda exercitui, qui in Hiſpania bellum . . gerebat.*

Quorum cophinus foenumque ſupellex] Idem Sat. VI. de iisdem Judaeis: *Cophino foenoque relicto*. In quem locum vetus Scholiaſtes nugatur in hunc modum: *Supellectile quod his pulmentaria ſua & calidam aquam die ſabbati ſervare conſuerunt*; fotu ſcilicet quia ignem non licebat accendere. Λάθοι. Inaudierat profecto Satiricus de operibus lateritiis, quibus olim Iſraël in Aegypto premebatur, quando, ut ait Pſalmiſta, *manus ejus in cophino ſervierunt*, & paleis ſive foeno quibus ad fabricandos lateres utebantur, uti ſacra narrat hiſtoria: id quod jam ante Cunaeus viderat, & ante hunc Lyranus, ſi probe memini. Facit huc illud Sidonii VII. 6. *Ut Aegyptius Pharao incedat cum diademate, Iſraelita cum cophino*. Facit & illud Martialis lib. V.

Dum te poſſe negas, niſi lato Gellia clavo
Nubere: nupſiſti Gellia ciſtifero.

Ideſt Judaeo; nam lib. VII. eandem Gelliam accuſat:

Nec recutitorum fugis inguina Judaeorum.

Omnis enim populo] Cave populum Romanum intelligas, cui Judaei penſionem (pro locatione ſcilicet) ſolvere ſint coacti; nihil enim heic viderunt, qui ſic putarunt. Totius querimoniae συνέχεια poſtulat, ut populus Judaicus ſit omnino capiendus; eſt enim in gentem togatam ἰουδάζουσαν haec tota invectiva.

Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt Arbor] Ne heic quidem quidquam viderunt adhuc viri doctiſſimi, qui neſcio quid garriunt, de Judaeis equum ad arborem alligantibus, eoque nomine penſionem populo Romano ſolventibus. Vide Lubinum. Atqui quum in Judaeorum Aegyptiaca hiſtoria (quantum ex cophini foenique mentione intelligitur) Noſter minime hoſpes eſſet; ne illud quidem ignoravit pro Aegyptiacis ſervitiis nullam ei populo mercedem fuiſſe repenſam, ut eſt in divina hiſtoria. Eo demum ſpectans poëta, ea verba poſuit *mercedem pendere juſſa eſt*, quam nimirum olim Aegyptii non ſolviſſent.

Arbor] Tum hoc, tum quod Sat. VI. 543. *ſacerdotem arboris* Judaicam nationem appellat, poteſt eo pertinere, quod videntur Judaei (memores illius Ilicis Mambre, de qua in Abrahami hiſtoria) ſub annoſis arboribus coetus egiſſe, quod genus proſeuchas caeſpititias ſupra appellavimus. Nec temere illud eſt, quod in vetere inſcriptione apud Grut. 651. 11. legitur: P. CORFIDIO. SIGNINO · POMARIO · DE · AGGER · A · PROSEVCHA &c. Mitto enim quaerere, utrum Corfidius iſte Judaeus fuerit, quod Scaligero & Druſio placuit; an vero illud A · PROSEVCHA meram loci deſignationem complectatur, ut hoc alterum quod ad adſcriptum elogium Gudius citat: POMARIVS · DE · CIRCO · MAXIMO. ANTE · PVLVINAR · At certe hoc ſaltem ex Corfidiano marmore conſtat, proſeuchas ferme in viridiariis poſitas; id quod heic Juvenalis de hortis Aricinis conqueritur. Poſtremo poteſt uterque Aquinatis poëtae locus, quo de arbore mentio, ad ſcenopegiam pertinere, quo tempore Romae Judaei ſub ramis arborum degebant.

Et ejectis mendicat ſylva Camoenis] Vetus Scholiaſtes ad illud Satiriei eâdem Sat. III. 296. *In qua te quaero proſeucha*: tres affert de proſeuchae notione opiniones, quarum prima ea fuit: *Quidam*, inquit, *nomen loci dicunt ad convivium conſtitutum, ex gaudio dictum*: alteram ſic proponit: *Alii locum, in quem convenire ſolebant mendici ad ſtipem petendam*: *alii tabernam, in qua pauperes vivant*: προσεύχεσθαι enim Graece orare dicitur: poſtremo tertiam in hunc modum: *Et Proſeucha locus Judaeorum, ubi orant*. Ea Scholiaſtis notatio tranſverſos egit viros doctiſſimos, putantes proſeuchae nomine venire ſaepe pontes aliave loca, quo mendici ad ſtipem petendam convenirent, quod nulla auctoritate nititur. Ad Scholiaſtem quod attinet, is vera dixit, ſed in eo labitur magiſtellus, quod quae conjunctim eſſent veriſſima, ex iis plures quaſi diverſas proſeuchae ſignificationes conflavit. Proſeucha nihil aliud fuit, quam locus, ubi Judaei orarent, ab exorando Deo, non vero a ſtipe roganda appellationem nacta: etſi non eſt negandum ibidem Judaeos & ad ſtipem porrexiſſe manus, & agitaviſſe convivia ſeu agapas; quorum poſterius ex Act. XX. 7. 11. poteſt intelligi; prius vero iliud tum ex adſcripto Cleomedis loco, tum vero ex Epiphanio in haer. Maſſalianorum. Hos ibi narrat Epiphanius bonis ſe abdicaſſe, eoſdemque ſocordiae deditos in proſeuchis ſuis ſtipem corrogaſſe: Ἀκάλυπτοί δέ εἰσι, inquit n. 3. καὶ ἐκτείνουσι χεῖρας μεταιτεῖν, ὡς ἄβιοτοι καὶ ἀκτήμονες· ſoluti porro ac

vagi

vagi sunt, & manus ad stipem porrigunt, quippe victu ac possessione carentes. Martialis XII. 57. *A matre doctus nec* (cessat) *rogare Judaeus.* Quemadmodum vero proseuchas non a victu quaeritando, sed a divinis precibus nomen consecutas, modo dictum fuit; indidem & Massalianos praecipuos proseucharum propagatores dictos esse credendum est; non ex eo quod opem humanam peterent. Sunt enim Massaliani Syriaco sermone מצלין *metsalin, precantes*: unde & εὐχομίνους eos Epiphanius ibidem n. 1. interpretatur, at Theodoritus IV. hist. Eccl. 11. εὐχίτας. Ex hactenus notatis potest lux affulgere Judae γλωσσοκόμῳ, de quo ad Joh. XII. 6 plura notavimus: nam apostolus ille, ut erat φιλοκτήμων, pharisaeorum morem in eo secutus videtur; ut de collatitia stipe valde sollicitum se praeberet, nec solum ultro oblata in arcam conjiceret, sed γλωσσόκομον etiam, uti fit, divitibus ostentaret.

Sed & in altero Juvenalis loco Sat. VI. idem mos tangitur, in quam pauciora notabimus, propterea quia satis multa jam nonnulla etiam quae ad alterum hunc pertinebant) in priorem locum conjecimus. Ergo Sat. VI. 541. sic habet:

Cum dedit ille locum: cophino foenoque relicto
Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem,
Interpres legum Solymarum & magna sacerdos
Arboris, & summi fida internuntia Caeli.
Implet & illa manum, sed parcius: aere minuto
Qualiacunque voles, Judaei somnia vendunt.

Cum dedit ille locum] Quis? Iliacus sacerdos. At vetus poëtae Scholiastes Gallum intelligit. *Cum Gallus sacerdos*, inquit, *ac lustrator abscesserit; Judaea mulier advenit; quae in aurem susurrando, sub obtentu religionis aliquid petit.* Cetera quae porro addit de pensionibus, quas Judaei solverent, non adscribo, quae jam supra refutavi. Ceterum danda est grammatico venia, quod Gallos cum Iliacis confudit, nam multa Cybele cum Iside (nec desunt qui ex duabus unam facerent) Gallique cum Iliacis habuere communia; illudque inter cetera, quod utrique stipem corrogarent. De Iliacis facit heic fidem Juvenalis (ut infra docebitur ad illud *Implet & illa manum*) qui ob eam causam Iliacis Judaeos adnexuit, quod utrique victum religionis obtentu quaeritarent. De Gallis autem res est pervulgata. Ovidius IV. Fast. ubi de Berecynthia:

Dic, inquam, parva cur stipe quaerat opes?
Contulit aes populus, de quo delubra Metellus
Fecit, ait, dandae mos stipis inde manet.

Apulejus VIII. Met p 255 *Deamque Syriam circumferentes, mendicare compellunt.* Athenaeus XII. p. 541. de Dionysio juniore: *Matri Deum stipem emendicando cogens, ac tympana pulsans cum morte vitam commutavit* Ennius in Telamone:

Et inertes & insani & quibus egestas imperat.

eaque causa fuit, cur id genus sacerdotes haud magna dignatione essent; quibus Judaeos annumerat Juvenalis.

Arcanum Judaea tremens mendicat in aurem] Judaeam mulierem vulgo intelligunt. Malim Judaeam pro Judaeis (nam & infra *Judaei somnia fingunt*) sic positam; ut solet Graecia pro Graecis usurpari, & cetera in eundem modum.

Implet & illa manum] Suam scilicet aere collatitio. Vellem docuissent interpretes, quo illud & sive *etiam*? Nimirum quia & Iliaci, (de quibus supra) stipem rogantes, manus implebant suas; qui mos, ut pote tum notissimus, satis, heic monosyllabo & designatur.

Sed parcius] quam Iliaci: eoque nomine Judaeos illis viliores haberi vult.

Qualiacunque voles, Judaei somnia vendunt] Quod postremo de somniis habet Juvenalis, id cum Strabone lib. XVI pag 761. commune habet: Ἐγκοιμᾶσθαι δὲ καὶ αὐτὰς ὑπὲρ ἑαυτῶν, καὶ ὑπὲρ τῶν ἄλλων ἄλλας τὰς ἐνυπνίους. Quo quidem Judaeos pro se ac pro aliis captasse indormiendo somnia significat, quos pulchre ἐνυπνίους appellat; talem enim δωρεὰν sibi ex Joëlis vaticinio pollicebantur. Vide dicta ad Joël. II. 28.

DISSER-

DISSERTATIO III.

AD MATT. XXIII. 15.

DE ZELO PHARISAEORVM.

Vae vobis Scribae & Phariſaei hypocritae, quia circuitis mare & aridam, ut faciatis proſelytum unum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehennae, duplo quam vos] Idem in Judaeis partium augendarum ſtudium notaverat Horatius extrema libri I Sat. 4.

. . . . . *Ac veluti te*
Judaei cogemus in hanc concedere turbam.

Nam Romae & alibi nullum non movebant lapidem, ut ethnicos in ſuam religionem pertraherent: id quod iis ex ſententia proceſſiſſe, declarant illa aliquot hominum millia Judaica religione imbutorum ſub Tiberio apud Tacitum II. Annal. 85. declarant ſatyricorum poëtarum loca; & alia bene multa, quae heic ſemel omnia, in quae quidem legendo aut recordando incurrerim, per Romanorum principum aetates diſpoſita, congeſſimus.

Vt ab Auguſto ordiar; quis ignorat, quae ille princeps in Judaeos beneficia contulerit, quae Philo de legatione ad Cajum pluribus enarrat: illudque in primis quod vetuerit necubi interdiceretur Judaeis, *ne in ſynagogas* (εἰς τὰ συναγώγια) *convenirent; neque enim bi ſunt conventus ebrioſorum hominum & ad turbandam pacem conjuratorum, ſed ſcholae temperantiae atque juſtitiae*, quae quidem argumento ſunt Romanos id temporis fuiſſe in eam religionem propenſiores. Multo vero id magis ex Horatii Sat. 9. lib. 1. dialogiſmo intelligitur:

. . . . *Hodie triceſima ſabbata: vin' tu*
Curtis Judaeis oppedere? nulla mihi inquam,
Religio eſt. At mi. ſum paullo infirmior: VNVS
MVLTORVM.

Ex quibus diſcimus ſub illo Principe ſaltem τοὺς πολλοὺς Romanorum in Judaeorum προσευκτήρια cum eis precaturos coiviſſe. Non enim hujus loci enarratoribus, quotquot ſunt, fides adhibenda, qui *oppedere* heic *irridere*, vel ipſo Horatio reclamante (*) exponunt. Accedit & Ovidianum illud:

. . . *Nec*

(*) Si *oppedere* heic eſt *irridere*; tota dialogiſmi συνέχεια fatiſcet. Quorſum enim Ariſtio ſic interroganti, negaſſet Horatius, talem ſibi *religionem* inceſſere? an poteſt eſſe quaequam in irridendis ſacris religio? Deinde qua fronte Ariſtius, teneri ſe ea religione repoſuiſſet? Quo illud: *ſum paullo infirmior unus Multorum*? Non enim οἱ πολλοὶ Judaicis ſacris illudebant, quin potius eiſdem mirifice favebant, ob eamque cauſſam ut *infirmiores* ab iis, qui ſapientiores videri vellent, traducebantur. Ergo *oppedere* non eſt dubitandum, quin cum Judaeis *comprecari* ſignificet: ſiquis vero ei verbo μυκτηρισμὸς ineſt (ineſt autem pluribus) is non ad Ariſtium compellantem, ſed ad ſcribentem poetam & omnia ſatyrico aceto perfundentem, eſt rejiciendus. In pugna procorum cum Vlyſſe Od. Ω. proci tum maxime cum Vlyſſi ſuccenſent ac male precantur, vix aliter illum quam cum honorifico aliquo ἐπιθέτῳ nominant: id autem ἐπίθετον cum a procis ſuccenſentibus non ſit verifimile uſurpatum, ad poetam ſcribentem eſt unice referendum. Et heic ergo pro eo, quod Ariſtius συνέχεσθαι dixiſſet, Horatius Judaeis paullo infenſior *oppedere* repoſuit. Re enim vera quod in Judaeis precantibus ceteri *murmurare* (ut apud Juven. Sat. VI. *Arcanum Judaea tremens immurmurat aurem*) uſurpabant, id minus urbane Horatio *pedere* dicebatur, ut & *oppedere* de iis, qui verba praeeuntibus reſpondebant. Id vero totum ex Ariſtophanis Nubibus Venuſinus expreſſit, apud quem τὸ ἀνταποπαρδεῖν h. e. *oppedere* pro eo quod eſt *venerari* uſurpatur, ſic tamen ut totus ille vocis ἀνταποπαρδεῖν jocus non tam ex Strepſiadae, quam ex comici perſona ſit intelligendus. Nam Act. 1. Sc. 4. cum precanti Socrati deae Nubes adtonuiſſent; Strepſiades ad haec venerabundus ait:

Καὶ σέβομαί γ' ὦ πολυτίμητοι (Νεφέλαι) καὶ βάλλομαι ἀνταποπαρδεῖν
Πρὸς τὰς βροντάς. ἄστις αὐτὰς τετριμαίνω καὶ πιφόβημαι.
Et veneror vos, Nubes ſanctae, voloque oppedere veſtris
Tonitrubus: adeo ipſa horreo trepidus attonituſque paveſco.

Vbi & luditur in βροντῆς & πορδῆς ſimilitudine, de qua eadem ſcena Comicus:

Ταῦτ' ἄρα καὶ τὼ πόμαιν' ἀλλήλοιν βροντὴ καὶ πορδὴ ὁμοίω.

Atque hinc crepitus & tonitrus nomina ſono aequantur eodem. Non eſt autem dubitandum, quin adeo Νεφέλας non irrideret Strepſiades, ac potius veneraretur.

Digitized by Google

. . . Nec te peregrina morentur
Sabbata

Nec non:

Nec te praetereat Veneri ploratus Adonis,
Cultaque Judaeo ſeptima ſacra viro.

Sub Tiberio quam altas Judaica ſacra radices egerint, praeter Perſium mox producendum, declarat hoc, quod apud Tacitum II. Annal. 85. legitur: *Actum & de ſacris Aegyptiis Judaiciſque pellendis: factumque patrum conſultum, ut quatuor millia libertini generis EA SVPERSTITIONE INFECTA, quis idonea aetas, in inſulam Sardiniam veherentur, coërcendis illic latrociniis, & ſi ob gravitatem caeli interiſſent, vile damnum: ceteri cederent Italia, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.* Ex qua narratione cognoſcitur eos, quos Senatus pepulit, magnam partem non origine, ſed religione Judaeos fuiſſe, ſeu proſelytos; non enim Hebraei ex Hebraeis, ut S. Pauli vocabulo utor, ſed qui ad Judaica ſacra tranſitum facerent, ii recte *ea ſuperſtitione infecti* dicebantur. Eo ſpectat quod Seneca epiſt. 109. cum ſui facti rationem redderet, cur ad carnium, a quibus jamdiu abſtinuerat, eſum rediiſſet, ait: *Quaeris quomodo deſierim* (abſtinere a carnibus)? *In Tiberii Caeſaris principatum juventae tempus inciderat. Alienigena tum ſacra movebantur, & inter argumenta ſuperſtitionis ponebatur animalium quorundam abſtinentia. Patre itaque meo rogante . . . ad priſtinam conſuetudinem redii.* Vides ut illud Senatus conſultum non Judaeos tantum ſed ceteros etiam ea religione imbutos ſpectarit, itaut Senecae quoque timendum fuerit. Veriſſimum eſt enim, quod Chriſtus heic ait Judaeos *circuiſſe mare & aridam ut faccrent proſelytum unum*; ac maxime Romae moleſtiſſimis perſuaſionibus obvium quemque in ſuas partes coëgiſſe, quod pulcherrime notat Horatius extrema libri I. Satyra IV.

. . . . Ac veluti te
Judaei cogemus in hanc concedere turbam.

Ergo, ut ad Taciti locum redeam, de Judaeis, juxta ac Romanis judaiſmo imbutis, imo de his multo magis accipiendum arbitror, contra quam hactenus ab eruditis factum: unde πᾶν τὸ Ἰουδαῖον apud Joſephum XVII. 5. omnes Ἰουδαίζοντας ſignificat; ſic enim ait: Κελεύει πᾶν τὸ Ἰουδαῖον τῆς Ῥώμης ἀπελαυνθῆναι· οἱ δὲ ὕπατοι τετρακισχιλίους ἀνδρῶν ἐξ αὐτῶν στρατολογήσαντες, ἔπεμψαν ἐς Σαρδὼ τὴν νῆσον.

Sub poſterioribus Principibus non minor in Judaicam religionem propenſio. De Neronianis temporibus locupletiſſimus teſtis prodeat Perſius: is enim teſtatur eos, qui ſe populares praebere ac vulgo placere vellent, una cum Judaeis precari conſueviſſe, ut vel in ſpeciem ei religioni admodum favere viderentur. Vide Satyrae V. finem, ubi duo hominis ambitioſi ac popularis indicia ſimul conjungit, miſſilia in aedilatu ſpargere, & cum Judaeis preces fundere:

Jus habet ille ſui palpo, quem ducit hiantem
Cretata ambitio? Vigila & cicer ingere large
Rixanti populo, noſtra ut Floralia poſſint
Aprici meminiſſe ſenes. quid pulchrius? at cum
Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitae pinguem nebulam vomuere lucernae;
Portantes violas, rubrumque amplexa catinum
Cauda natat thynni, tumet alba fidelia vino:
LABRA MOVES TACITVS, RECVTI
TAQ. SABBATA PALLES. (1).

Adhaec nonne vides, ut non deridendi cauſſa, ſed potius religionis ſive verae, ſive ad captandam auram popularem mentitae, vulgo Romanos ad Judaeorum conventus ſe contulerint? Quanquam iſtos quidem poëtae ſatyrici & quicunque ſapientes videri vellent, uti ſuperſtitioſos traducebant; id quod ex nonnullis Horatii, Perſii, Juvenalis locis elucet; & Seneca ep. 95. *Quomodo*, inquit, *ſint dii colendi, ſolet praecipi. Accendere aliquem lucernam Sabbathis prohibeamus: quoniam nec lumine dii egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Et vel ea quae ſequuntur, ab ethnicis tantum factitata, declarant, Senecam non tam Judaeos, quam ceteros Quirites Ἰουδαΐζοντας ſpectaſſe: *Vetemus*, ait, *ſalutationibus matutinis fungi . . vetemus lintea & ſtrigiles Jovi ferre, & ſpeculum tenere Junoni*, &c.

Sed & illa Senecae expoſtulatio, quam ex S. Aug. in VI. de civ. 11. infra recitabimus, ad Judaicae religionis per proſelytos propugnationem pertinet.

Jam ut ad ulteriora tempora progrediamur; ſub Domitiano Martialis tum VII. 54. tum alibi, & Juvenalis fidem luculentiſſimam faciunt; poſterior in primis Sat. XXIV. 100.

(1) Ait Maimonides: *Gentilis* (h. e. proſelytus domicilii) *qui legem obſervabat, reus erat mortis*: etſi mitius tamen cum iis actum non diffitetur, ac tantum fuſtigatione punitos. Quae ſunt falſiſſima: cum Exodi XX. 10. ad Sabbati obſervationem adigatur etiam *Advena, qui eſt intra portas tuas*. h. e. Proſelytus domicilii. Vide adnot. ſeq.

Digitized by Google

de Romanis conqueritur:

Romanas autem ſoliti contemnere leges,
Judaicum edicunt, & ſervant ac metuunt jus (1).

Tum & ejuſdem ex Sat. III. verſus ille tritiſſimus, quo non nemo libertum compellat:

Ede ubi conſiſtas, in quate quaero proſeucha.

Qui & eadem Satyra de proſeucharum infinita multitudine expoſtulat:

Nunc ſacri fontis nemus, & delubra locantur
Judaeis, quorum cophinus foenumque ſupellex.
Omnis enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſylva Camoenis.

Quos ſane verſus tum ad Act. XVI. 13. tum alibi illuſtravimus. Item Sat. VI. 541.

Cum dedit illa locum, cophino foenoq. relictis,
Arcanam Judaea tremens mendicat in aurem
Interpres legum Solymarum, & magna ſacerdos
Arboris, ac ſummi fida internuntia Caeli.

Jam vero de Nervae in Judaeos favore teſtis eſt nummi inſcriprio FISCI . IVDAICI . CALVMNIA . SVBLATA .

Severi & filiorum aetate, quid legibus cautum reperiatur, porro videamus. Vlpianus l. 3 §. 3. *de decurionibus* ita ſcribit: *Eis, qui Judaicam ſuperſtitionem ſequuntur, D. Severus & Antoninus honores adipiſci permiſerunt.* Atqui Severus *Judaeos fieri ſub gravi poena vetuit* ex Spartiano, cap. XVII. Quomodo haec componuntur? Nimirum fieri vetuit, ſed Judaicam jam religionem amplexis aditum ad honores permiſit. Et utut eſt, certe de proſelytiſmo graſſante conſtat. Nec audiendi qui hanc legem, aliaſque de Chriſtianis interpretantur: inter utroſque enim diſcrimen intereſſe gentiles maxime Severi aetate, non ignorabant.

Illud magis miror eo quoque tempore, quo Chriſtianiſmus in Romano imperio primas obtinebat; tamen eamdem apud gentiles querelam de graſſante Judaiſmo reperiri. Producam Rutilii Numatiani ethnicorum ſacris addicti ſummis dignitatibus clariſſimi (is V. ineunte ſaeculo i. e. ſub Honorio Aug. ſcripſit) locum luculentiſſimum ex Itiner. lib. I. 387.

Reddimus obſcaenae convitia debita genti,
Quae genitale caput propudioſa metit.
Radix ſtultitiae, cui frigida ſabbata curae,
Sed cor frigidius religione ſua eſt.
Septima quaeque dies turpi damnata veterno,
Tanquam laſſati mollis imago Dei.
Cetera mendacis deliramenta cataſtae,
Nec pueros omnes credere poſſe reor.
Atque utinam nunquam Judaea ſubacta fuiſſet
Pompei bellis imperioque Titi.
LATIVS EXCISAE GENTIS CONTAGIA SERPVNT,
VICTORESQVE SVOS NATIO VICTA PREMIT.

Non defuere (2) qui Chriſtianos heîc deſignari putarint, in quos operte Rutilius ſub Judaeorum nomine invehatur. Sed ſtultum eſt, putare quinto Chriſti ſaeculo potuiſſe Judaeos cum Chriſtianis confundi, quando prioribus etiam ſaeculis quantum inter utroſque diſcreparet ipſi ethnici noſſent. Equidem exiſtimarim ὑπερβολικώτερον quam pro rei veritate ultimo diſticho poëtam locutum, eo quod Senecam (fort. & alios ſimiliter locutos) ſibi imitandum propoſuiſſet; cujus haec verba refert Aug. in VI. de Civ. 11. *Vſque eo ſceleratiſſimae gentis conſuetudo convaluit, ut per omnes jam terras recepta ſit. Victi victoribus leges dederunt.* Ceterum quis neget longe minorem ſub Honorio proſelytorum numerum fuiſſe?

Et quidem cum gentilibus familiare eſſet in Judaeorum proſeuchas concedere, ibique cum Judaeis comprecari: veteres viri Apoſtolici id fidelibus vetuerunt. Patet id ex Canonum, quos Apoſtolicos appellant, ſexageſimo tertio, quo ſi quis Clericus Judaeorum Synagogam ad orandum ingrederetur, deponi jubetur; ſi laicus, ſegregari. Itemque Can. LXX. quo ſegregari jubetur quicunque Chriſtianus oleum ferret in Synagogam Judaeorum in eorum feſtis, vel lucernam accenderet. Nam per ſabbata & cetera Judaeorum feſta, ut ait, Perſius.

Diſpoſitae pinguem nebulam vomuere lucernae.

At enim cum tam Judaei quam Chriſtiani Deum eundem colerent, ac prope eadem inſtituta ſequerentur: quid cauſſae fuit quamobrem hos quidem ethnici odio Vatiniano perſequerentur, illis autem impenſe faverent? Nam etiam poſt Chriſtianum nomen propagatum ſaepe gentilibus cum Judaeis convenisse reperio, id quod ex utrorumque adverſus S. Polycarpum perſecutione, aliiſque actis Martyrum conſtat: nihil autem unquam Ethnici cum Chriſtianis habuere commune. Nec porro difficile eſt hujuſce rei cauſſam rimari reputantibus, illud quod in Matthaeo ſequitur: *& cum fuerit factus* (Judaeus), *facitis eum filium gehennae duplo quam vos.* Ex quibus diſcrimen inter Chri-

(1) Ex quibus verbis, ut etiam ex iis quae ſupra ex Seneca produximus, de ciborum quorundam ſecundum Judaica placita abſtinentia a Romanis ſervata, conſtat erraſſe Majemonidem, qui gentilibus capitale fuiſſe legem obſervare, docuit.

(2) In iis Pithoeus, Lipſius, Barthius.

Digitized by Google

Christianos ac Judaeos elucet. Illi ethnicos χριστιανιζόντας falsis circa deos opinionibus moribusque corruptis nuntium remittere cogebant, eaque lege admittebant, modo ab ethnicismo desisterent. Hi vero, quibus lucellum unice propositum erat (nam ubi precum prolixitate, & personata sanctimonia Romanorum beatos in sui admirationem convertissent, facile fuit nummos ab iisdem elicere: quod in proseuchis factitatum, & in Dissert. praecedente, & ad Act. XVI. 13. notavimus) cavebant sibi, ne in gentilium mores, opinionesve impingerent. Et quidem crassiorum Judaeorum religio cum erroribus ethnicis haud aegre componebatur, tum quod ad moralem disciplinam attinet, tum etiam quod ad θεολογούμενα: non quod Judaei ridicula de diis somnia approbarent, sed quod veluti ex lege πατροπαράδοτον existimarent, non esse sibi deos gentium insectandos. Nec alio sensu illud Ex. XXII. 28. *Diis non detrahes* seu *non maledices* Judaeorum antiquissimos accepisse, ex Josepho, Philone & aliis potest intelligi (1): etsi revera nihil aliud hoc loco sint אלהים *Elohim*, quam magistratus, quibus non esse obtrectandum lex jubet. Quid quod saepe Josephus, quanquam & pharisaeus & sacerdos esset, tamen ne gentilibus sermonem daret, saepenumero impie, aut certe satis molliter atque incaute de rebus religionis loquitur (2)?

Insigne istorum gentilium per proselytismum Judaica instituta sectantium in Massalianorum antiquioribus (nam duas illorum classes constituit Epiphanius haer. 80.) reperio. Negat illos Epiphanius n. 1 Judaeos, aut Samaritas, aut Christianos esse (neque enim illi, quos saepe nobis Satyrici poëtae describunt cum Judaeis in proseuchis comprecantes, Judaei, sed gentiles habebantur) sed gentiles; qui *cum esse deos asserant, nullum tamen adorant. Sed unum dumtaxat venerantur, quem Omnipotentem appellant: qui quidem certas sibi domos fabricantes & laxiores fororum instar areas, proseuchas illas appellabant.* Ceterum hos veteres Massalianos Judaismo tinctos fuisse, tum nomen mere Judaicum (nam מצלין *metsalin*, *precantes*, sive interprete Epiphanio, εὐχόμενοι) tum proseucharum subdivalium usus ad instar Judaicarum, tum quod in eas proseuchas μετὰ πολλῆς λυχναψίας καὶ φώτων (ut Act. XX. 8. & ut Persius & Seneca supra allegati prodiderunt) coibant; postremo ut alia mittam, quod ad stipem in iisdem proseuchis manus porrigerent, quod & Judaei factitabant. Hi nihilominus Massaliani ethnicismum non ejuraverant.

Ex hactenus dictis cognosci potest, quam facile Judaeis fuerit, gentiles levi quadam suorum sacrorum institutione tingere, & ethnicismum cum Judaismo copulare. Hinc raro iratos principes Judaei experti fuere, quippe qui eorum opiniones moresque pravos non sollicitarent, sed, modo crumenas emungerent, nihil pensi ducebant, utrum quos instituendos sumebant, duplo, quod heic Christus conqueritur, damnabiliores remitterent.

Et quando vix alia natio institutorum suorum tenacior Judaeis fuit; etiamnum quarto saeculo Hebraei modis omnibus pertentare gentilium aut Christianorum animos satagebant, ut eos proselytos facerent; nam & mancipia in eum finem mercabantur, ut in suam sectam pertraherent. Hinc illa lex Constantini, (lib. XVI Cod. Teod. titulo *Ne Judaeus Christianum mancipium habeat*) quae sic habet: *Si aliquis Judaeorum mancipium sectae alterius seu nationis crediderit comparandum, mancipium fisco protinus vindicetur. Si vero emtum circumciderit, non solum mancipii damno multetur, verum etiam capitali sententia puniatur. Quod si venerandae fidei conscia mancipia Judaeus mercari non dubitet, omnia quae apud eum reperiuntur, protinus auferantur.* Sozomenus legis hujus sententia relata, statim & hanc legis rationem subnectit. Ἐπεὶ γὰρ τὴν θρησκείαν πάντοθεν αὔξειν ἐβούλοντο, καὶ τοῦτο πρόσθεν ἐποιήσαντο, ὥστε μὴ ἀδεῶς εἰς Ἰουδαϊσμὸν ὑποσύρεσθαι τοὺς μὴ τοιούτους ἐκ γένους ὄντας, φυλάττεσθαι δὲ τῇ ἐκκλησίᾳ τοὺς ἐλπίδα χριστιανισμοῦ ἔχοντας. *Nam cum Christianam religionem* (imperatores) *modis omnibus amplificare vellent, huic rei etiam prospexerunt, nequi ex Judaeis orti non erant, ad Judaicam religionem impune traducerentur, sed ut servarentur ecclesiae, quoscunque spes erat ad Christianam religionem venturos esse.*

(1) In eam partem hunc locum accepit Josephus tum in II. contra Apionem, tum etiam IV. Antiqu. 8. Vide etiam Cyrillum in Joh. XII. 19. Ad eundem locum Philo indubie spectavit, cum lib. 1. de Monarchia ait, non esse diis gentium detrahendum, ne contra & gentiles par pari referant, ac vero Deo obganniant. Tum lib. 3. de vit. Mosis hanc alteram causam assignat, ne sensim, inquit, etiam vero Deo maledicere inassuescas. Vide etiam Origenem contra Celsum lib. VIII. pag. 402.

(2) Veluti cum in II. Antiq. cap. ult. trajectus maris rubri miraculum prorsus enervat, & quanquam in sacris voluminibus narrari affirmet, tamen in incerto ponit.

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

DE AQVAE VINIQVE MODO IN CALICIS OBLATIONE.

AD MATT. XXVI. 27.

ET accipiens calicem &c.] Calicem, quem Chriſtus in Euchariſtiae inſtitutione adhibuit, vino redundaſſe, infra ex ℣. 29. intelligis, ubi τὸ γενήματος τῆς ἀμπέλου fit mentio. Ac vinum illud rubrum fuiſſe, ex iis patet, quae alibi produxi, ut evincerem rubra tantum vina veteribus in uſu fuiſſe, aut ſaltem alba fuiſſe admodum rara. Decebat quidem certe, Chriſti ſanguinem ſub ſymbolis αἱματώδεσι propinari nobis. Vide quae de *ſanguine* uvae alibi diximus, & ad Jacobi vaticinium Gen. XLIX. 11. & ad Iſaiae initium capitis 63. Adhaec autem vinum iſtud aqua fuiſſe temperatum, non tantum πατροπαράδοτος Eccleſiae traditio, ſed & Judaeorum conſuetudo conteſtatur. Vide Pſ. LXXIV. 9. Prov. IX. 2. 5. Iſ. XXIX. 10. Apoc. XIV. 10. XVIII. 6. Apud ceteras omnes nationes calidioris caeli vina itidem temperabantur, ut apud Homerum Od. I.

Οἱ μὲν ἄρ' οἶνον ἔμισγον ἐν κρητῆρι καὶ ὕδωρ.

Inde autem κρητῆρες dicti, παρὰ τὸ κεράσασθαι: quam notationem & Homerus nonnunquam indicat, & aperte Athenaeus lib. V. οἱ δὲ κρατῆρες αὐτοῖς, ὥσπερ ἔχει καὶ τὄνομα, κεκραμένοι παρίστασαν. Omnino veteribus ἀκρατοποσία probro ducebatur; eaque nonniſi ſeptentrionalibus populis in uſu fuit, quam proinde σκυθικὴν πόσιν Pollux & Athenaeus appellant. Eodem recidunt illae locutiones σκυθίζειν πίνειν vel σκυθοπίζειν, quod eſt, ἀκρατοπίνειν: & Lacones, teſte Athenaeo X. 7. ubi volunt meracius bibere, ἐπισκυθίσαι id appellant.

Quotam autem aquae portionem vino admiſcuerit Chriſtus, difficile eſt augurari. Laudo, quod hodie Eccleſiaſticis ſanctionibus vetatur, ne amplior quam dimidiata aquae portio calici affundatur. Optime id quidem cautum, quo extra omnem haeſitationis aleam ſacramenta ponantur. Nego tamen, recte inde colligi poſſe, modicam aquae partem calici infudiſſe Chriſtum. Dilutiora omnino pocula orientalibus in uſu fuere, tum fervore climatis, tum etiam vinorum vigore id ſuadente. Suidas in πόμα κεκραμένον, eam fuiſſe optimam potionem docet ex Ariſtophane, quae duabus vini partes tres aquae admiſceret, eaque potio τρία καὶ δύο dicebatur. Ariſtophanis locus eſt Equitibus pag. 251. edit. Baſil. ℣. 33.

Αλ. Ἔχε καὶ πίθον κεκραμένον τρία καὶ δύο.
Αν. Ὦ ᾽γαθὲ δῶς ὦ Ζεῦ, καὶ τὸ τρία φέρον καλῶς.
Αλ. Ἡ τριτογενὴς γὰρ αὐτὸν ἐνετριτώσατο.

In quem locum in Scholiaſte eadem, quae ex Suida retuli, reperies, qui addit hoc amplius uſum ficto verbo ἐνετριτώσατο Comicum, ut ad τρία μέτρα ὕδατος alluderet. Anacreon autem tum maxime cum neſcio quam vult ebriam facere, vini unam, duas aquae portiones affundi jubet, cujus iſta ſunt carmina:

Ἄγε δὴ φέρ' ἡμῖν ὦ παῖ
Κελέβην, ὅπως ἄμυσιν.
Προπίω· τὰ μὲν δέκ' ἔγχει
Ὕδατος, τὰ πέντε δ' οἴνου
Κυάθους· ὡς ἂν ὑβριστὶ σωσω
Ἀναδην βασσαρήσω.

Poſtremi duo verſus fortaſſis ſanari poſſint hoc modo:

Κυάθους. ὑβριστὶ σώσω
Γυνὰ τήνδε βασσαρήσω.

Vertere poſſis in hunc modum:

Agedum mihi miniſter
Celeben fer: huic amyſtin
Volo temperare: aquai
Mihi dena funde metra,
Metra funde quina Iacchi.
Agitare ſic ſceleſtam
Volo Bacchico furore.

Vides potionem cui aquae duplum affunderetur, ad mentem alienandam fuiſſe comparatam. An cenſebimus Judaeos, in ſacro praeſertim epulo, valentiore potu fuiſſe delectatos? Et quidem memini neſcio cujus monumenti Eccleſiaſtici, quo probetur olim ita calicem in miſſa temperatum fuiſſe, ut aquae ratio dupla eſſet. Mitto quod vinum Maroneum ſic temperabatur apud Homerum Od. IX. ut uni poculo viginti aquae menſurae affunderentur. De temperandi vini ratione videatur Athenaeus X. 7. Laudo quod in libris decretalium tit. de celebratione miſſarum (vide Gonzalez) praecipitur ut in conſecrando calice major vini, quam aquae portio admiſceatur, & quod in Conc. Triburienſi ni fallor duplo plus vini quam aquae infundi jubetur. Sic certe magis ſacramenti validitati conſulitur. Nam etiam ſi nihil prorſus aquae admiſceatur, nihilominus ſanguis Chriſti ſit, etſi deſit myſtica plebium Chriſto

Digitized by Google

Chriſto adunatarum ſignificatio: at ſi aqua offeratur dumtaxat, nihil fit. Id ſibi voluit Cyprianus ep. 63. ad Caecilium, ubi cum mixtione illa conjunctionem cum Chriſto populorum deſignari, proinde neutrum omitti poſſe ſtatuiſſet, ſubtexuit: *Nam ſi vinum tantum quis offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis. Si vero aqua ſit ſola, plebs incipit eſſe ſine Chriſto* Eo factum, ut cum aliquot ab hinc ſaeculis etiam in vulgaribus potibus plus vini quam aquae infundi ſoleat; nunquam ſatis cautum ſacramenti hujus valori putarint Eccleſiae praepoſiti, niſi plus vini quam aquae admiſceretur, in eamque partem abundaverint, unde μαγγανίτας certiſſimus effectus ſequeretur; qua vero parte plebis cum ſuo capite adunatae ſignificatio tantum petebatur, nihil exiſtimaverint pertimeſcendum, vel ſi paucae laticis guttae inſtillarentur. Id quidem nemo non valde adprobaverit.

Verum cum Eccleſia quid in praxi ſequendum eſſet, praecepit, nunquam ſane definivit, ſi plus aquae quam vini admiſceatur, Chriſti ſanguinem non exſtiturum. Porro ſi, qua proportione Chriſtus miſcuerit tum, cum calicem conſecravit, quaerimus; non levis oboritur dubitatio, utrum commune omnibus nationibus inſtitutum ſectatus videatur, ut longe plus aquae quam vini adhibuerit.

Age vero, ſiquid ex vetuſtis Eccleſiae monumentis exſculpi poſſit, porro videamus. Aevo S. Cypriani (1) nonnullorum conſuetudo invaluerat, ut in ſacrificio matutino aquam ſolam in calice offerrent; id nempe veriti, ne vini anima eos Chriſtianos eſſe gentilibus patefaceret (2): eam conſuetudinem modis omnibus conatur Cyprianus evertere ea epiſtola, quam ad Caecilium ſcripſit. Jam primum omnium, nunquam putarim Carthaginienſes illos tam perverſe fuiſſe facturos, ſi Chriſtum putaſſent paucas aquae guttas vino admiſcuiſſe, aut ſi eundem morem Eccleſia tenuiſſet Contra mihi perſuadeo, longe plus aquae adhibuiſſe tunc temporis Chriſtianos, ex eaque conſuetudine Carthaginienſes illos eo tandem progreſſos, ut vinum prorſus omitterent Jam vero dum iſtos conquiſitis undique rationibus S. Martyr adoritur, utrum putamus, ſi quidem vetus Eccleſiae mos tenuiſſet, ut largius vinum quam aqua affunderetur, idque a Chriſto obſervatum crederetur, non id Cyprianum fuiſſe uſurpaturum? Atqui ſine vino calicem rite conſecrari non poſſe, demonſtrare ſatis habuit beatiſſimus Martyr. Ceterum, etſi nihil ille de liquoris utriuſque proportione definiat; eſt tamen, unde ex ejuſdem verbis ſuſpicio oboriatur, largiorem aquae, quam vini, ποσότητα fuiſſe tunc obſervatam. Id certe ſibi vult φραστολογία illa *calix vino mixtus* auferendi caſu, quam ſaepe ea epiſtola uſurpat. Haud longe ab epiſtolae initio: *Neque aliud fiat a nobis, quam quod pro nobis Dominus prior fecerit, ut calix... mixtus vino offeratur.* Poſt nonnulla: *Quam rem perficiens & adimplens Dominus, panem & calicem mixtum vino obtulit.* Poſt multa, uſurpato Pſalmi 22. teſtimonio, ſubdit: *Calix autem qui inebriat, utique vino mixtus eſt.* Verſus finem: *A Domino admoniti & inſtructi ſumus, ut calicem Dominicum cum vino mixtum, ſecundum quod Dominus obtulit, offeramus.* Aliud porro eſt *miſcere vinum in calice* (quod de quocunque liquoris utriuſque modulo verum eſſe poteſt) & *calicem vino miſcere*, quod certe parciores vini partes deſignat. Nec abhorret haec Cyprianica locutio ab illa Homerica Il. XI. 637.

Ἐν τῷ ῥά σφι κύπελλα γυνὴ ἰδυῖα θεῖεν
Οἴνῳ πεπρωμένῳ.

Quo

(1) Haud paullo ante S. Cyprianum eam conſuetudinem inoleviſſe ex multis epiſtolae ad Caecilium locis, perſpici poteſt. Sic enim longe poſt medium epiſtolae. *Non eſt ergo quod aliquis exiſtimet ſequendam eſſe quorundam conſuetudinem, ſiqui in praeteritum in calice Dominico aquam ſolam offerendam putaverunt.* Poſt pauca. *Non debemus attendere, quid alius ante nos faciendum eſſe putaverit, ſed quid qui ante omnes eſt, Chriſtus prior fecerit.* Paucis interjectis, fas non eſſe dicit *tam grandia... infringere, aut in aliud, quam quod divinitus inſtitutum ſit, humana traditione mutare.* Haud procul ab epiſtolae fine. *Siquis de anteceſſoribus noſtris vel ignoranter vel ſimpliciter non hoc obſervaverit... poteſt ſimplicitatis ejus de indulgentia Domini venia concedi.*

(2) Hoc timuiſſe qui ſic facerent, oſtendit S. Martyr verbis his: *Niſi ſi in ſacrificiis matutinis hoc quis veretur, ne per SAPOREM vini redoleat ſanguinem Chriſti. Sic ergo incipit & a paſſione Chriſti in perſecutionibus fraternitas retardari* &c. Quid heic loci ſit *ſapor vini* haud ſcio an viri docti animadverterint; ſignificat enim *odorem* ſive *balitum*. Sapor pro odore. Quintilianus I. 14. *Vt ſapor, quo nova imbuas, duras, nec lanarum colores* &c. Id quod Hor. ſic dixerat:

Quo ſemel eſt imbuta recens, ſervabit odorem
Teſta diu.

Sed illud Plinii XXX. 41. magis ad rem noſtram: *Oris ſaporem commendari affirmans, murrino cinere cum melle, ſi fricentur dentes,*

Digitized by Google

Quo in calice excelsis virgo aequiparanda deabus
Miscuit iis vino Pramnio.

Multo vis est major in canone 4. tertii Carthaginiensis Concilii. *Ut in Sacramento corporis & sanguinis Domini nihil amplius offeratur, quam Dominus tradidit, hoc est panis, & VINUM AQVAE ADMIXTVM.* Si parcior aquae portio fuerat, dixisset: *Vinum aqua admixtum.* Nec dubito quin Cyprianus, qui auferendi casu *calicem vino mixtum* tam saepe dixerit, sic quoque usurparit eadem epistola ad Caecilium paullo post medium: *Quando autem in calice vino* (certe ablativo casu) *aqua miscetur, Christi populus adunatur.* Paullo ante medium ejusdem epistolae: *Unde apparet sanguinem Christi non offerri, NISI VINVM CALICI MISCEATVR*, ut praefefert Codex Fuxensis apud Baluzium not. 32 etsi in editis, *si desit vinum calici*, quod tantundem est, sed a Fuxensi lectione majus sententiae nostrae praesidium. Nos certe, qui longe minus aquae, quam vini affundimus, longe aliter, quam sunt illae Cyprianicae locutiones, loqui consuevimus: *aquam calici miscere, aut calicem aquâ* dicimus, non contra *calici vinum* & *vino calicem.*

Hoc amplius de hoc calice Dominico notandum est, in eo non album sed rubrum vinum fuisse & primitus a Christo, & diu in Ecclesiis consecratum. Memini ad Gen. XLIX. an. ad Is. XLIII.) me pluribus notasse, vina veterum nonnisi rubra fuisse, id quod & *sanguinis uvae φραστολογία*, & alia quae ibi dixi, satis demonstrant. Certe in Palaestina vina non alia quam rubra fuisse viri eruditi animadverterunt. Ex quo satis intelligitur non alterius coloris vinum a Christo usurpatum, tum cum calicem consecravit. Atqui sic etiam in Ecclesiis diutissime factum, non tantum exemplo Christi, quem eo vini genere usum scirent, sed & quod alba vina essent olim rariora, ut ibidem ad Gen. ostendimus, & quod rubro vino ad Christi sanguinem figurandum nullum aptius esse symbolum intelligerent. Idem Cyprianus eadem ad Caecilium epistola ex quibus scripturae locis vini necessitatem infert, iisdem quoque de vini colore videtur adstruere. *Lavabit in vino stolam suam & in sanguine uvae amictum suum. Quando autem sanguis uvae dicitur, quid aliud quam vinum calicis Dominici sanguinis ostenditur? Necnon & apud Esaiam hoc idem Spiritus Sanctus de Domini passione testatur dicens: Quare rubicunda sunt vestimenta tua, & indumenta tua velut a calcatione torcularis pleni & percalcati? Nunquid rubicunda vestimenta aqua potest facere* (at ne vinum quidem, nisi rubrum) . . *Vini utique mentio ideo ponitur, ut Domini sanguis intelligatur, & quod in calice Dominico postea manifestatum est, prophetis annuntiantibus praediceretur.*

SPI-

SPICILEGIVM

OBSERVATIONVM LITTERALIVM

IN MARCVM.

PROLOGVS.

GRaece ne primum an Latine hoc Evangelium prodierit, adhuc quaeritur. Missis jam ceterorum animadversionibus, videtur mihi ex stilo ea posse quaestio profligari; in hoc quippe quaestionum genere dictio ipsa prae se aperte ostendit, iis certe quibus aliqua est odorandi vis, utra scriptio genuina ac primigenia sit, utra vero aliunde transfusa. Nam etsi Apostoli quacunque lingua scriberent, Hebraicae linguae ingenium se prodebat: tamen Graecum Marci multo est fluentius, quam Latinum: hoc contra tantum non clamitat, de alia lingua se esse transfusum. Ex gr. I. 4. Fuit Joannes in deserto baptizans & praedicans *&c. Quicunque, etsi peregrinus, Latine scriberet, diceret potius* baptizabat & praedicabat: *At Graeca* ἐγένετο ... βαπτίζων *recte se habent. Sic per totum Evangelium, si comparare inter se dictionem non gravaberis. Neque vero id ullo modo probabile fit, quod Cornelius a Lapide maluit, Marcum ipsum de Graeco id Latinum feciſſe. At Latina Marci versio, quae verbum verbo plurimum appendit, humanam interpretis industriam, non Divinum sacri scriptoris afflatum redolet. At scimus in iis quae Apostoli de Veteri Instrumento in suos libros transfuderunt, sensum non raro magis, quam verba sectatos, ut prophetas verius quam ut interpretes.*

Fuit & hoc aliquando dubitatum, Marco ne ipsi, an vero Petro hoc scriptum sit tribuendum, ita ut quae Petrus dictabat, Marcus chartis mandaret. Sed & haec poterat stilo judice controversia finiri. Confer cum hoc Evangelio Petri tum epistolas tum conciones, quas fideliter (ut alibi ex stili similitudine demonstravi) nobis Lucas servavit; statim profecto clamabis immane esse inter utrumque discrimen. Nulla in hoc Evangelio hyperbata, nulla durior metaphora, senticeta nulla, qualia in Petro multa.

Ex sacris hisce scriptoribus neminem facile reperias Hebraicae proprietatis tenaciorem Marco. Nam praeter ea, quae suis locis observabimus, cum Hebraei verbis nominibusque pronomina conjuncta perpetuo suffigant; id quidem Matthaei interpres aliquoties imitatur, repetito saepius pronomine αὐτός; *at vero in Marco est ferme perpetuum.*

AD MARCI I. 2. 3.

SIcut scriptum est in Isaia propheta. Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui praeparabit viam tuam ante te. Vox clamantis in deserto &c.] Posteriora haec sunt quidem ex Isaia: at illa priora *de Angelo praeparante viam* sunt ex Malachia III. 1. Cur ergo Isaiam tantum laudat? An quia compendio studens, antiquioris & celebrioris Prophetae meminisse satis habuit? Dicam, quid venerit in mentem suspicari. Quot in volumina Apostolorum tempore Vetus Instrumentum

Digitized by Google

ſtrumentum compingeretur, haud ſatis exploratum habeo. Sed certum plane eſt, Prophetas in unum peculiare volumen coactos fuiſſe; in quo ſine controverſia ſemper Iſaias agmen ducebat. Ex eo fiebat, ut illi volumini duplex nomen eſſet, unum uſitatius נביאים *Nebiim* (*Prophetae*) alterum minus fort. uſitatum *Iſaias*, ex eo ortum, quia is primus legenti occurreret. Hinc triplex citandi ratio, 1. quum nominatim hic aut ille Propheta allegatur: 2. quum dicitur, *Uti ſcriptum eſt in Prophetis*, etſi unius tantum vatis oraculum proferatur; nim. quia is titulus ei volumini praeſcriptus erat: 3. quum citatur Iſaias, etſi vaticinium ſit alterius; quia nim. *Iſaias* vulgo totus is liber nuncupabatur. En cur Marcus *In Iſaia* ſcripſerit, etſi Malachiae verba ἀμέσως ſequantur. At qui hanc citandi rationem poſtea ignorarunt, refingendum ſibi putarunt hunc locum, & pro eo, quod in Graecis non paucis, in Vulgata, optimis quibuſque verſionibus, & antiquis Patribus *In Iſaia* rectiſſime legitur; ſic immutarunt ut *In Prophetis* legerent. Sed bene eſt, quod *In Iſaia* ex Evangeliſtae manu eſſe viri docti demonſtrarunt.

AD MARCI I. 10.

Et ſtatim aſcendens de aqua vidit &c.] Graece Εὐθέως ἀναβαίνων... εἶδε, h. e. *ſtatim ut aſcendit, vidit*. Hanc enim vim habet εὐθέως cum participio, cujus apud eundem Marcum exempla ſuppetunt infra ℣. 29. itemque XI. 2. ubi legitur ὑπάγετε εἰς τὴν κώμην... καὶ εὐθέως εἰσπορευόμενοι (h. e. *ſtatim ut introieritis*) εἰς αὐτὴν, εὑρήσετε πῶλον &c. Atque ea loquendi ratio eſt bene Graeca, qua praeſtantiſſimi ſcriptores εὐθὺς (nam εὐθέως pro εὐθὺς apud veteres vix uſitatum) cum participio jungunt. Thucyd. lib. 2. εὐθὺς νέοι ὄντες, (*ſtatim ut adoleverint*) τὸ ἀνδρεῖον μετέρχονται. Apud eundem εὐθὺς γιγόμενος (*ſtatim ut ortus*) ἔχει. Eodem lib. 2. τῷ δὲ θέρει εὐθὺς ἀρχομένῳ: *ſtatim ut aeſtas inceperit:* quod participium ἀρχόμενος ſupplendum videtur in his locutionibus εὐθὺς ἡμέρας, ſupple ἀρχομένης. εὐθὺς τῷ δράματος. &c.

AD MARCI I. 22.

Erat enim docens eos, quaſi poteſtatem habens, & non ſicut Scribae] Ἦν γὰρ διδάσκων ὡς ἐξουσίαν ἔχων καὶ οὐχ ὡς οἱ γραμματεῖς.] Idem ſignificat ac ſi dixiſſet, Servatorem ἐξουσιαστικῶς i. e. *libere* locutum. Reperitur apud Jamblichum in vita Pythagorae ἐξουσιαστικῶς (*libere*) loqui de eo philoſopho uſurpatum.

AD MARCI II. 27. 28.

Sabbatum propter hominem factum eſt, & non homo propter Sabbatum. Itaque Dominus eſt filius hominis etiam Sabbati] Ex his verbis ſatis perſpicue intelligitur, declaraſſe Chriſtum Sabbati ἀεργίαν caeremoniale, non morale praeceptum fuiſſe. Nam de caerimonialibus tantum vere hoc dici poteſt, ea propter hominem facta eſſe, non viciſſim, & eorum Dominum eſſe Chriſtum, h. e. ea pro hominum utilitate moderari, imo & abolere poſſe, ſicut & abolevit. Nam prioribus Eccleſiae ſaeculis, quamvis ſanctificatio diei Dominicae, utpote morale praeceptum, inviolate obſervaretur; ejuſdem tamen diei otium ferme ad conſilium pertinebat, uti colligitur ex Laodiceno can. 29. quo vetatur Chriſtianis judaizare & in Sabbato otiari; jubentur autem die Dominico otiari SI MODO POSSINT; & quidem VT CHRISTIANI h. e. ut non ſatis ſit, diem Dominicum otio

Digitized by Google

otio transigere (*si possint*), verum etiam sanctis operibus esse vacandum: qui finis est caeremonialis istius ἀεργίας.

AD MARCI IV. 10.

Et cum esset singularis, interrogaverunt eum &c.] Graece καταμόνας, quod saepe reperitur in Graecis interpretibus pro eo, quod Hebraice est לבדד *lebadad* vel לבדו *lebaddo*. Utuntur & Graeci scriptores. Alexis poëta ab aliis heic allegatus, & Thucydides lib. 1. αὐτοὶ καταμόνας ἀπωσάμεθα τὺς Κορινθίους. Utitur & Synesius ep. 135.

Nec a sermonis Latini proprietate abhorret, quod Interpres vertit *cum esset singularis*. *Locus singularis* apud Suet. Aug. cap. 72. est solitarius. Cic. 4. Acad. *Quintum genus esse dicunt, ex quo astra sunt mentesque singulares*, h. e. separatae a materia. Apud Tertullianum initio libri de exhort. cast. *singularitas* est coelibatus. In glossis veteribus *singularis* tantundem est, quod Graecis μονὰς (malim καταμόνας), quodque μοναχός. Victor Vitensis I. 12. *Foras civitatem singularis jussus est pelli*. Eod. lib. I. 16. *singularis orabat*.

AD MARCI IV. 19.

Aerumnae saeculi & deceptio divitiarum] Vox *deceptio*, (quae in vulgata versione haud raro alias occurrit) visa Vossio auctoritate carere. Contra Cellarius curis posterioribus Vitruvii locum II. 8. attulit: *Nonnullos impendentis loci deceptio cogit*.

AD MARCI IV. 29.

Et cum produxerit fructus, statim mittit falcem &c.] Gr. ὅταν δὲ παραδῷ ὁ καρπὸς &c. Insolens verbi παραδίδωμι usus Criticos exercuit. Frustra: nam παραδοῦναι τὸν καρπὸν phrasis est Helleniſtis non inaudita; uti patet ex Hab. III. 16. ubi pro eo, quod in LXX. legitur συκῆ ὃ καρποφορήσει, habent alii παραδῷ τὸν καρπόν. Sunt autem innumera quae ex activis neutra fiunt, & ita ut accusandi casus in rectum transeat. Ita quod ad Hab. III. 16. παραδῷ τὸν καρπὸν interpretes posuerunt, id Marcus haud paullo elegantius dixit παραδῷ ὁ καρπός, *cum se fructus tradiderit* h. e. maturuerit.

AD MARCI V. 7.

Adjuro te per Deum, ne me torqueas] Confer 1. Thess. V. 27. quibus locis ὁρκίζω & Latinum *Adjuro* idem prorsus est atque *Obtestor, obsecro per* &c. Quin eodem quoque significatu in V. T. tum ὁρκίζω in Graecis Bibliis, tum in Latinis *Adjuro* reperitur. Nisi quod nusquam in Graeco vet. codicis ὁρκίζω duplici accusandi casui jungitur, uti fit in Novo. Nam & qui adjuratur, & per quod adjuratur, utrumque accusandi casu usurpatur. Itaque heic Graece sic legitur, ὁρκίζω σε τὸν Θεὸν, μή με βασανίσῃς. Et ad Thess. loco cit. ὁρκίζω ὑμᾶς τὸν Κύριον, ἀναγνωσθῆναι τὴν ἐπιστολὴν &c. Nec aliter Orpheus, ὐρανὸν ὁρκίζω σε. Exempla quaedam Latinorum verbi *Adjuro* pro *obsecro* contuli in Kalend. Marm. ad XVII. Junii in Adnot. 377.

Digitized by Google

AD MARCI VI. 21.

Herodes natalis ſui caenam fecit principibus] Pro eo quod heic in editis legitur τοῖς γενεσίοις αὐτῦ δεῖπνον ἐποίει, *natali ſuo caenam faciebat*, Cantabrigienſis, qui Bezae fuit, aliique ſcripti codices γενεθλίοις praeferunt. Leviculum id, inquies. Sed tamen hoc inter γενέθλια & γενέσια intereſſe Ammonius lib. περὶ διαφορῶν teſtatur, quod illa de die nativitatis, haec de anniverſario mortis uſurparetur; quo diſcrimine aſſignato concludit: ὁ δὲ λέγων ἐπὶ τῶν ζώντων γενέσια, ἀκυρολογεῖ. De γενεθλίοις ac γενεσίοις vide dicta ad Eccleſiaſtis VII. 2. ad 2. Mach. VI. 7.

AD MARCI VI. 27.

Miſſo ſpiculatore] Graece σπεκυλάτωρα. Ac ſecunda potius, quam tertia vocali ſcribendum eſſe, non tantum ſcriptorum loci in melioribus editionibus perſuadent, ſed inſcriptiones innumerae. Vide Gruterum & Reineſium in indice *ad rem militarem pertinentium*. Speculatores quippe a ſpeculando, non a ſpiculis nomen adeptos, perſpicuum eſt ex Graecis Romanae rei ſcriptoribus, qui iſtos ſicubi volunt Graece dicere, modo διοπτῆρας, aut διόπτας ſive ἐπόπτας, modo κατασκόπους, προσκόπους aut ἐρευνητὰς, διαγγέλους, ἀγγελιαφόρους &c. appellant. Et quidem ſub Impp. ſpeculatores carnificum munus obiviſſe, conſtat ex Dione, qui de Advento loquens, quem ſupra dixerat inter ſpeculatores militaſſe, ait: τὰ τῶν δημίων ἔργα καὶ προσκόπου καὶ ἑκατοντάρχου ἐπεποιήκει. D. *de bonis damnator. Ita neque ſpeculatores ultro ſibi vindicent, neque optiones ea deſiderent, quibus ſpoliatur, quo momento quis punitus eſt*. Gloſſae, *ſpeculator* ἐπόπτης, κατάσκοπος, δήμιος. Item: *ſpeculator* κατάσκοπος καὶ ἀποκεφαλίζων. Vide Salmaſium ad Spartiani Hadrianum cap. XI.

AD MARCI VII. 8.

Relinquentes enim mandatum Dei, tenetis traditionem hominum, baptiſmata urceorum &c.] Cyprianus ep. (63) ad Caecilium, ſic citat: *Rejicitis mandatum Dei, ut traditionem veſtram ſtatuatis*. Sic etiam ep. 40. & alibi pluries. At Vulgatus Graeca exacte exprimit.

AD MARCI VIII. 38.

Qui enim me confuſus fuerit & verba mea . . . & filius hominis confundetur eum.] *Confundor* deponens eſt ex Itala vetere; nam ſic quoque Cyprianus ep. (63) ad Caecil. *Qui confuſus me fuerit, confundetur eum filius hominis*. Et lib. de Lapſ.

AD MARCI X. 30.

Qui non accipiat centies tantum] Eleganter, ut *alterum tantum*. Apud Cyprianum epiſt. 56. & III. teſtim. 16. *ſeptiès tantum* ex Luc. XVIII. 30. ubi πόλλα πλασίονα.

Et matres & filios & agros cum perſecutionibus] Gr. μετὰ διωγμῶν fortaſſe ſignificat *quamlibet ſaevientibus perſecutionibus*. Μετὰ tantundem eſt Helleniſtis quod

Digitized by Google

quod בתוך *bethoch* (eique voci respondet μετὰ apud Graecos interpretes Gen. XLII. 5. Jos. XXII. 31. Job. 1. 6.) ut reddi heic possit *in medio persecutionum*, h. e. quantumlibet illae desaeviant.

AD MARCI XII. 32.

Magister in veritate dixisti] Vsurpavit & Cornificius ad Herennium ῥῆσιν *in veritate dicere*.

AD MARCI XII. 42.

Misit duo minuta quod est quadrans] Salmasius ad Vopisci Aurelianum cap. 9. multis probat τὰ λεπτὰ, drachmam, & denarium ejusdem esse pretii & valoris monetas. Eum vide.

AD MARCI XIII. 11.

Nolite praecogitare, quid loquamini; sed quod datum vobis fuerit in illa hora, id loquimini.] Graece est μὴ προμεριμνᾶτε τί λαλήσητε, μηδὲ μελετᾶτε. Quorum posterius abest ab interpretatione latina. Noli tamen supervacaneum putare; nam προμεριμνᾶτε ad animi cogitationem pertinet, qua orationi habendae praeludimus; μελετᾶτε vero ad eam mussitationem, qua utitur orator, dum se submissa voce ad dicendum comparat. Id quia declamatores magis, quippe memoriter dicturi, quam subacti oratores (qui vel subito dicerent, vel certe essent rerum magis quam verborum aucupes) facerent; hinc μελέται pro *declamationibus* usurpatae fuere, & μελετάω *declamo*. Certe non temere est quod Graeci interpretes quoties הגה *hagah* verbum ori, gutturi, linguae in sacro codice tribuitur, toties μελετάω usurparunt; neque enim lingua, aut os cogitat justitiam, dolum &c. De quo vide quae copiose disseruimus ad Is. XXXVIII. 14.

AD MARCI XIV. 3.

Nardi spicati] Gr. νάρδου πιστικῆς. Quod cum interpres verterit *spicati*, probabilis sit conjectura, sive amanuensium errore πιστικῆς pro σπικατῆς irrepsisse, sive metatheti eam vocem usurpasse Hellenistas. Etsi Joh. XII. 3. etiam Latinus interpres *nardi pistici* posuit. Sunt & aliae expositiones. Vide quae hîc afferunt interpretes.

Aliqui πιστικῆς hic positum putant pro *sincero*, nec adulterato. Quorum expositioni favere possit obscurus Strabonis locus lib. 3. ad finem pag. 147. ubi narrantur mulieres in Lusitania stanni glebas πλύνειν ἐν ὑσσοπτηρίοις πλεκτοῖς ἐπὶ τὴν πίστιν (fort. πίστιν) h. e. *lavare in colatoriis vasis quousque purum fiat*. Tametsi ibi Casaubonus ἐπὶ χίστῃ scriptum fuisse a Strabone ratus, Xylandrum reprehendit, qui nardum πιστικὴν Evangelistae cum Geographi loco quidquam habuisse commune crediderit.

Et fracto alabastro] Ex hoc loco patet, *Hermetice* (ut hodie loquuntur) clausum fuisse, neque hoc genus ferruminationis veteribus ignotum fuisse, in pretiosis maxime unguentis, ne dispendia fragrantiae facerent. Ceterum συντρίβειν heic non est *comminuere*, sed leviter frangere, ut unguento, quod liquidum erat, pateret aditus.

Digitized by Google

AD MARCI XIV. 31.

Et ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo] Graece συναποθανεῖν σοι, quod hoc loco eam vim habet, ut non tantum una occumbere, ſed tui cauſſa mortem oppetere ſignificet, quod proprie eſt ὑπεραποθανεῖν. Ejus argumenti videtur fuiſſe Diphili συναποθνήσκοντες, quam Plautus in *commorientibus* expreſſerat, auctore Terentio, quam hic in Adelphis eſt imitatus. Sed & Philemonis Συναποθνήσκοντες Athenaeo memorantur. Quin & apud eundem Athenaeum οἱ συζῶντες καὶ συναποθνήσκοντες Soldurii dicuntur, quorum eſt in Caeſaris commentariis de bel. Gallico mentio. Praeter Soldurios Hiſpanis quoque mos fuit, ut ſe alicui viro primario devoverent, ejuſque obeuntis cauſſa mortem oppeterent, id quod συναποθνήσκειν Plutarchus Sertorio appellat: ἔθος δ' ὄντος Ἰβηρικοῦ, τοὺς περὶ τὸν ἄρχοντα τεταγμένους συναποθνήσκειν αὐτῷ πεσόντι &c. ex eo more factum narrat, ut multae hominum myriades cum Sertorio obeunte commori animum induxerint.

AD MARCI XIV. 35.

Vt tranſiret ab eo hora] Supple τῆς ἀνάγκης. Ea enim eſt plena locutio in iis locis, quae citavi ad Luc. XXII. 53.

AD MARCI XIV. 36.

Abba Pater] Miror cur Auguſtinus Punici idiomatis peritus, *Abba* ex Graeco ſermone deſcendere putarit. Tuetur hanc Auguſtini opinionem Capellus heic. Sed tamen in Africanis monaſteriis *Abba* paſſim dicebatur, qui alibi *Abbas*. Victor Vitenſis V. 10. *Liberatus Abba*. In actis paſſionis ejuſdem Liberati Abbatis, ad calcem hiſtoriae Victoris Vitenſis item legitur: *Liberatus Abba*. Ergo origo vocis monaſticae *Abbas* videtur eſſe a ſermone Punico (is autem Hebraeus ἀνέκαθεν) & in Africa primum *Abba* ἀκλίτως uſurpatum fuit, quod ceterae poſtea nationes per caſus inflexerunt.

AD MARCI XIV. 41.

Sufficit: venit hora.] Graece eſt ἀπέχει. Sicuti autem apud Latinos *Habet* in Terentio & aliis imperſonale eſt, exponique poteſt, *ſufficit*, *ſat eſt*, ita & Graecum Ἀπέχει. Certe προσέχει quam ſimillimam habet vim in Tab. I. Heracleenſis Doriſmi antiquiſſimi ver. 73. ubi απο τω ποτεχει ϲετεος eſt *A praeſenti anno*; quia ibi ποτέχει adverbii naturam induit, ita ut ὁ ποτεχει tantumdem ſit quod *Praeſens*. Vide omnino ibi dicta.

AD MARCI XIV. 44.

Dederat autem traditor eis ſignum] Graece ὁ παραδιδοὺς ponitur pro paullo poſt futuro, ὁ παραδώσων, *qui mox traditurus erat*; quemadmodum & apud Johannem ἔρχεται de Meſſia Samaritana dicit, & alia de hoc genere. Noſter ita *Traditor* poſuit, ut videatur quo tempore interpretationi ſuae operam dabat, Judas ille *Traditoris* nomen adeptus in eum modum, quo Cyprianus epiſtola ad plebem Carthaginis, quam Baluzius e MSS. eruit, Scripturarum traditores ἁπλῶς *traditores* appellat. S. Leo de S. Laurentio ſacris pecuniarum depoſitis idem vocabulum accommodat; *quem ſi feciſſet*, ait, *ſacrae pecuniae traditorem*. At *ſcripturarum* aut *pecuniae traditor* magis Latinum videri poſſit, quam quo modo Judam *traditorem* pro *proditore* dicimus. Et tamen utitur Tacitus IV. hiſt. 24. *interfecto traditore*; fruſtra Vrſino & Acidalio clamantibus, reſcribendum eſſe *proditore*; ſed veteres libri τὸ *traditore* tuentur. Sedulius in Acroſtich. ℣. 74.

Tunc

Digitized by Google

Tunc ille Judas carnifex
Auſus magiſtrum tradere.

AD MARCI XIV. 54.

Et ſedebat cum miniſtris ad ignem] Graece πρὸς τὸ φῶς i. e. *ad lumen*. Sic etiam Homerus σέλας pro πῦρ uſurpavit Il. XVII. 739. de urbis incendio loquens:

. . . . . μινύθουσι δὲ οἶκοι
Ἐν σέλαϊ μεγάλῳ·
. . . . *Edit atra favilla penates.*

AD MARCI XIV. 63.

Scindens veſtimenta ſua] Χιτῶνας numero multitudinis h. e. tum χιτῶνα, tum etiam χιτωνίσκον, *tunicam* interiorem & exteriorem.

AD MARCI XIV. 67.

Et quum vidiſſet Petrum calefacientem ſe, aſpiciens illum ait &c.] Gr. καὶ ἰδοῦσα τὸν Πέτρον . . ἐμβλέψασα αὐτῷ &c. h. e. *Quum animadverſiſſet Petrum calefacientem ſe: fixis in eum oculis, ait* &c. Patet hoc liquido, quod Lucas XXII. 56. in eadem re poſuit ἀτενίσασα; & ea propria eſt ſignificatio τῦ ἐμβλέπω, in quo ἐν eſt ἐπιτατικόν. Plato epiſt. VII. ἐμβλέψας μοι καὶ μάλα τυραννικῶς. Sic Luc. XXII. 61. *converſus Dominus* ἐνέβλεψε τῷ Πέτρῳ, *oculos in Petrum defixit*. Et alibi.

AD MARCI XV. 24.

Mittentes ſortem ſuper eis, quis quid tolleret] Non aliter quam πεττείᾳ ſive talis id ſortiebantur, ut illud Horatii: *Regna vini ſortiere talis*. Nec aliter militum conſuetudo ferebat. Strabo lib. VIII. poſt initium pag. 381. narrat Polybium, quae in Corinthi excidio eveniſſent, deplorantem, militarem contemtum artificiorum ac donariorum inter alia commemorare. φησὶ γὰρ ἰδεῖν παρῶν ἐρριμμένους πίνακας ἐπ' ἐδάφους, πεττεύοντας δὲ τοὺς στρατιώτας ἐπὶ τούτων. ὀνομάζει δ' αὐτούς, Ἀριστεῖδου γραφὴν τοῦ Διονύσου, ἐφ' ᾧ τινὲς εἰρῆσθαί φασι τὸ, Οὐδὲν πρὸς Διόνυσον, καὶ τὸν Ἡρακλέα τὸν κατασπουδάζοντα τῷ τῆς Δηϊανείρας χιτῶνι. Xylander vertit: *Ait enim* (Polybius) *ſe praeſentem vidiſſe tabulas in ſolum projectas, ac milites ſuper iis talis ludentes* (ſupple ex Evangeliſta heic, *quis quam tolleret*, vel verte ſic, *ac milites eas ſortientes*) *nominatque eas, Bacchum ab Ariſtida pictum, de quo nonnulli dictum illud putant, nihil ad Bacchum, & Herculem Deïanirae tunica excruciatum.*

AD MARCI XV. 29.

Vah, qui deſtruis templum Dei] Οὐά, ὁ καταλύων τὸν ναὸν &c. Putant ipſiſſimum eſſe Latinum *Vah*, (quod nunc deteſtantis, nunc admirantis eſt) quod Graeci οὐά dixerint. Nam & Dio in Neronis acclamationibus, volens verba ipſa Latina, opinor, in Graeco ponere ſcripſit, ὀλυμπιονίκα οὐά, πυθιονίκα οὐά, quod inepte interpres reddidit *Olympionica ova*, *Pythionica ova*; cum ſit *Vah olympionica* &c. Tamen ſatius eſt dicere Latinos Graecum οὐά ſuum feciſſe. Marco certe nulla cauſſa fuit cur Latinam interjectionem heic uſurparet. Niſi vero volumus Romanos milites fuiſſe qui ſic inſultarent, poſtquam didiciſſent, dixiſſe aliquando Jeſum ſe triduo Templum reſtituturum &c. Sed tamen eſt ubi Graeci illud οὐά uſurparint. Ex Aeſchylo in Perſis citat Grotius οἰά quod puto eſſe ipſiſſimum οὐά, quippe

Digitized by Google

quippe veteres diphthongum ὲ per ſolam praepoſitivam ο ſcribebant. Adhaec Arrianus lib. 3. cap. 23. Ἀλλ' ἐπαίνεσόν με. τί λέγεις τὸ ἐπαινετόν; εἰπέ μοι δὲ καὶ θαυμαστῶς. Vbi aeque admirationi ſervit ac θαυμαστῶς.

AD MARCI XV. 40.

Et Maria Jacobi minoris] Latinis quidem fratrum aut ſororum διακριτικὰ erant *major*, *minor*: at Hebraeis, qui comparativa non noſſent גדול *gadol*, *magnus* קטן *Katon*, *parvus*: quod & Marcus perpetuo hebraizans heic imitatur, qui μικρῶ heic poſuit. Fruſtra eſt Hammondus, qui iſtud μικρῶ non ad aetatem, ſed ad ſtaturam refert.

AD MARCI XV. 45.

Donavit corpus Joſeph] Nam & vendi damnatorum corpora a militibus conſueverant. Videatur Tacitus Hiſt. lib. I. de Piſonis & Galbae cadaveribus, quae milites accepto pretio diſtraxerunt. Sunt & alia exempla apud Valerium Max. IX. 4. 3. Et in Actis S. Bonifacii M. Sect. XV. rogantibus Bonifacii conſervis δώρησαι ἡμῖν αὐτόν, *dona nobis illum* Bonifacium, reſpondet officialis: *Ego gratis corpus ejus dare vobis non poſſum: illi autem dantes ei ſolidos quingentos, acceperunt corpus ſancti Martyris.* Sed & viginti Martyrum cum Bonifacio interemptorum corpora ſoluto pretio coëmpta in Africam translata fuerunt, ut eorum Acta teſtantur apud Baron. ad diem VI. Junii.

Verum ſordidae iſtiuſmodi venditiones a militibus uſurpatae, praeſidem dedecebant; qui donare maluit, quam quidquam indecorum patrare.

AD MARCI XV. 46.

Et poſuit eum in monumento] Gr. κατέθηκεν *depoſuit*. Hinc deinde apud Chriſtianos *deponendi* verbum ſepulcrale evaſit. Apud Spon. pag. 346. num. LXXII. prohibetur nequis alius in ſepulcrum inferatur,

ΕΙ ΔΕ ΤΙΣ ΤΟΛΜΗΣΕΙ ΕΤΕΡΟΝ ΚΑΤΑΘΕΣΘΑΙ ΕΣΤ ΕΑΥΤΩ ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΘΕΟΝ.

AD MARCI XVI. 1.

Emerunt aromata, ut venientes ungerent Jeſum] Sed unctus erat. Equidem puto in ταριχεία Judaica (diverſa ab Herodotea, quippe ſine exenteratione) pluries unctum fuiſſe. Nam linteaminibus infundebantur rurſus ungenta, & alia linteamina ſuperinducebantur.

AD MARCI XVI. 2.

Valde mane . . orto jam ſole.] Memini Petavium in opere primae diei hunc locum arceſſere, ut probaret illud *factum eſt veſpere & mane dies unus* idem valere ac *nox* & *dies*. Itaque (ſi Petavio credimus) Marcus hoc ſibi voluit: Cum uſque adeo dies proceſſiſſet, ut etiam ſol ortus eſſet. Non placet, quia Lucas & Johannes de eadem re loquentes dixerunt, ille ὄρθρου βαθέος Luc. XXIV. 1. hic σκοτίας ἔτι οὔσης Joh. XX. 1.

AD MARCI XVI. 3.

Quis revolvet nobis lapidem ab oſtio monumenti?] De ſepulcro Lazari Jo: XI. 39. Ἄρατε τὸν λίθον. Ad hunc locum intelligendum perneceſſaria eſt antiquitatis ſepulcrorum notitia. Nam fuit mos veterum ſepulcris magnifice conſtructis, & illato mortuo, oſtium ita affabre occludere, obdito ſcilicet maxi-

mo

Digitized by Google

no lapide, ut commiſſurae vix unquam dignoſci poſſent. Teſtatur hoc Franciſcus Ficoronus in opuſculo de Romanis Mauſoleis, quod Bullae aureae ſubjecit, pag. 55. his verbis: *La providenza degli antichi Romani . . . fu di racchiudere l' ingreſſo di eſſi con un gran pezzo di marmo o di pietra Tiburtina pulitamente commeſſovi, e conſimile affatto a gli altri pezzi, che riveſtivano tutto l' edifizio; a ſegno che in tanti ſecoli neſſuno ne potè riſapere l' ingreſſo. Ma finalmente alcuni Mauſolei reſtati illeſi dalla barbarie, ritrovolli il caſo.* Vnum ex his fuit ſepulcrum Caeciliae Metellae cujus ſub Paulo III. repertus eſt aditus; alterum Pyramis C. Ceſtii Epulonis, cujus oſtium ſub Alexandro VII. patefactum fuit: utrunque vero a Bartolo deſcriptum dicit.

Sed ad Chriſti ſepulcrum, quod in rupe exciſum fuit, ea maxime faciunt quae ibidem pag. 62. idem Ficoronus narrat in haec verba: *L' altro modo de' Romani . . . fu quello di traforare le viſcere di un monte di pietra viva, dove incavatovi un vano di camera, ornatola di pitture, e di lavori di ſtucco, e ſepellitovi il defonto, vi racchiuſero l' ingreſſo col commettervi a meraviglia un grandiſſimo macigno d' un ſol pezzo di pietra ruſtica, tagliata dallo ſteſſo monte. Di che nel corſo di tanti ſecoli, e alla viſta di vicina via pubblica niuno ſe ne potè avvedere.* Tale unum tribus milliaribus a via Flaminia patefactum deſcribi a Bellorio in ſepulcro Naſoniorum refert. Alia duo ejuſdem modi a ſe viſa in agro Romano idem Ficoronus memorat. Hinc de hoc lapide Evangeliſta ſubjicit, *Erat magnus valde*, par ſcilicet oſtio, illudque adaequans. Diceres has pias feminas in temeritatis vitium incidiſſe, niſi Deo illas intus agente id orſae eſſent; quod & eventus monſtravit.

AD MARCI XVI. 7.

Dicite diſcipulis ejus & Petro.] Vocant hanc figuram Homericam. Strabo lib. 3. ad finem pag. 143. Ἅπασα δ' ἐμμορεία πρὸς τὴν Ἰταλίαν ἐστὶ καὶ Ῥώμην. *Omnis autem negotiatio eſt Italiam Romamque verſus.* Vide eundem Strabonem lib. I. pag. 40. ejuſdem figurae plura exempla coacervantem. Idem p. 340. Homero id eſſe familiare pluribus oſtendit. Sed id jam occupatum a Grotio.

AD MARCI XVI. 18.

Serpentes tollent, & ſi mortiferum &c.] Gr. ἀροῦσι. Non eſt *de medio tollent*, ſed ut in Andria Terentii *Tollere quod natum eſſet*, eſt tollere ad alendum, non ad exponendum & perdendum. Et hic igitur *Tollere ſerpentes* eſt ſive ad oſtendendam in eos poteſtatem atque imperium, ſive etiam, ſi ſic mavis, ad mulcendum. Hoc altero modo intellexit Ambroſius in Hexa. lib. V. num. 38. ubi poſt recitata verba Marci ſuperiora, *Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit* &c. ſic ea quae ſequuntur παραφράζει: *Signa autem credentium haec dixit fore, ut ſerpentes MANV MVLCEANT; venena his atque omne mortiferum, etiam ſi biberint, nocere non poſſint.*

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONES
AD QVAEDAM MARCI LOCA

DISSERTATIO I.
AD MARCI X. 38.
DE BAPTISMO SANGVINIS.

Aut baptiſmo, quo ego baptizor, baptizari] Hinc & ex Lucae XII. 50. alterum baptiſmi genus, quem *ſanguinis* appellavit antiquitas, eſſe cognoſcitur. De quo baptiſmate proderit proferre, quae in veteribus monumentis ſparſa collegerim. Ac primum huc facit illud *ſalvum lotum*, quod ethnici ſcommatis inſtar jactabant in S. Saturum ex leopardi morſu ſanguine manantem. Sic enim in actis SS. Perpetuae, Felicitatis &c. legitur cap. XXI. *Leopardo objectus* (Saturus) *de uno morſu ejus tanto perfuſus eſt ſanguine, ut populus revertenti illi SECVNDI BAPTISMATIS teſtimonium reclamaverit: ſalvum lotum, ſalvum lotum. Plane utique ſalvus erat, qui hoc ſpectaculo clarueraf.* Pro ultima hac voce Holſtenius legit: *modo laverat.* Gentiles ergo, qui ſic illuderent, intelligebant, perſuaſum Chriſtianis ſeſe ſanguinis baptiſmo, ſeu lotione, conſequi ſalutem. Quod haec acta martyrium, *ſecundum baptiſma* eſſe affirmant, conſentientem habent Tertullianum ejuſdem ſaeculi ſcriptorem lib. de baptiſmo cap. 16. *Eſt quidem*, inquit, *nobis etiam SECVNDVM LAVACRVM, unum & ipſum, ſanguinis ſcilicet, de quo Dominus: Habeo, inquit, baptiſmo tingui, cum jam tinctus fuiſſet. Venerat enim per aquam & ſanguinem; ſicut Johannes ſcripſit . . . Hos duos baptiſmos de vulnere perfoſſi lateris emiſit . . . Hic eſt baptiſmus, qui lavacrum & NON ACCEPTVM REPRAESENTAT, & perditum reddit.* Euſebius VI. hiſt. 4 de S. Heraide: Καὶ γυναικῶν δὲ Ἡραὶς ἔτι κατηχουμένη, τὸ βάπτισμα, ὅς πού φησὶν αὐτὸς (Origenes), τὸ διὰ πυρὸς λαβοῦσα, τὸν βίον ἐξελήλυθεν. *Sed & ex mulierum numero Herais quaedam adhuc catechumena, per ignem, ut ipſe alicubi dicit, baptiſmum adepta ex hac luce migravit.* Ambigi poſſe puto, utrum revera Herais igne conſumpta migraverit (quam in partem menologium Card. Sirleti a Valeſio ad Euſebii hunc locum laudato accepit, in quo die 5. Septembris ſignatur *Natalis S. Rhaidis* (rectius *Heraidis*) *quae igne conſumta eſt*) an vero per ignem baptiſmum flaminis ſive ſanguinis notarit Origenes, alludens ad Evangelii verba *Spiritu Sancto & igni.* Matt. III. 11.

Praeterea in actis SS. Geneſii Martyris, (quae S. Paulino tribuuntur) apud Ruinart. pag 540. n. II. *Sed ille* (antiſtes, a quo S. Geneſius per internuntios baptiſmum petierat) . . *huic fideliter indicavit, quod plenam conſummationem etiam hujus muneris daret promta pro Chriſto cruoris effuſio . . ; cui* (S. Geneſio) *unius baptiſmatis duplex gratia, ex utroque ſcilicet Chriſti latere & aqua & ſanguis, parabatur.* Num. III. *Atque is, ubi ſe perſpicit deprehenſum, inſtinctu Domini Rhodanum petiit, & ſancta fluento membra committit, ut eum illic a contagio mortali, velut alterius Jordanis undis, occultus Baptiſta purgaret; & mutuo alternoque myſterio & aquis corpus, & aquas corpore conſecravit.* Hoc poſtremum valde notabile, quo notatur perſuaſio martyris, in eo caſu neceſſitatis, ſi ipſe quod in ſe eſſet, in aquas ſe demergendo faceret, inviſibilem miniſtrum, h. e. Chriſtum ipſum cetera ſupleturum.

Chryſoſtomus hom. de S. Droſide Virgine in rogo cruciata apud Ruin p. 538 *Cum inviſibili manu ſua Chriſtus Sanctum Martyris caput teneret, & tanquam aquis, illum flammis immergeret.* Idem Chryſoſtomus initio martyrii S. Luciani Presbyt. Antiocheni. *Heſterno die Dominus noſter aqua baptizatus eſt: hodie vero ſervus ſanguine baptizatur . . . Neque miremini, quod martyrium baptiſmum nuncuparim: nam & hic Spiritus cum multa advolat libertate; ac peccatorum abolitio, & animae ſit purgatio quaedam mirabilis ac ſtupenda. Et quemadmodum ii qui baptizantur aquis, ita qui martyrium patiuntur, proprio ſanguine abluuntur.* Videantur alii Patres apud Suicerum Theſ. Col. 628.

In Conſtitutionibus Apoſt. lib. V. c. 5. Catechumenos hortatur, ut ſine triſtitia martyrium

Digitized by Google

rium ſubeant : τὸ γὰρ πάθος τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ ἴδιον αὐτῷ γνησιώτερον βάπτισμα, ὅτι αὐτὸς μὲν πείρᾳ συναποθνήσκει τῷ Κυρίῳ, οἱ δὲ λοιποὶ τύπῳ. *Nam pro Chriſto ſuſcepta mors genuinus ei baptiſmus erit : nam ipſe quidem re ipſa Domino commoritur, cum reliqui adumbratione quadam tantummodo id faciant*. Nanzianzenus orat. 39. p. 634. οἶδα καὶ τέταρτον βάπτισμα, τὸ διὰ μαρτυρίου καὶ αἵματος, quo & ipſum Chriſtum baptizatum ait, hoc autem baptiſma ceteris auguſtius eſſe affirmat, propterea quod nullis poſtea ſordibus contaminetur. De Chriſti baptiſmo ſanguinis Evangelia loquuntur Matt. XX. 22. Marci X. 38. Luc. XII. 50. S.Cyprianus epiſt. 73. ad Jubajanum, *glorioſiſſimum & maximum ſanguinis baptiſmum* appellat. Euſebius VI. hiſt. Eccl. 4 Heraidem Catechumenam τὸ διὰ πυρὸς βάπτισμα conſecutam ait, alludens ſcilicet ad Matth. III. 11. Rufinus de vitis Patrum cap. 19. de SS. Martyrib Apollonio & ſociis in profundum maris demerſis : *Hoc enim*, inquit, *ſanctis non mors, ſed baptiſmus fuit : eorum enim plerique tum primum crediderunt, nonniſi martyrio baptizati*. In Paſſione SS. Martyrum Jacobi Mariani &c. apud Ruinartum pag. 228. n. XI. *Alveus ipſe medio ſinu fluorem beati ſanguinis hauriebat. Nec deerat utriuſque SACRAMENTI genus, cum & baptizarentur ſuo ſanguine & lavarentur in flumine*. Notabile eſt, quod baptiſmum ſanguinis ſacramentum appellat. In actis SS. Rogatiani & Donatiani MM. apud eundem Ruinartum n. 2. de Rogatiano, non ſuſcepto baptiſmate, conſummante martyrium dicitur : *Sed quod de fonte defuit, martyrii cruor ſuſus impendit*. Ac n. 5. Donatianus pro fratre Rogatiano ſic Dominum precatur. *Sit famulo tuo Rogatiano pura fides donum baptiſmatis . . . Sanguinis effuſio fiat ei chriſmatis ſacramentum*. Notkerus ad diem IX. Kal. Jun. de his Martyribus plura habet ex S. Aug. de his qui in ſuo ſanguine baptizantur.

Haec, quae de baptimo ſanguinis collectanea in forulis ſervabam, huc conjicienda putavi, haud dubius, quin plura addi aliorum diligentia poſſint. Quanquam Dodwellus, ni fallor, in diſſertationibus Cyprianicis, in hoc argumento jam antea verſatus videtur. DE SANGVINIS BAPTISMO vide Baluzii notam 14. ad S.Cyprian. epiſt. 54.

DISSERTATIO II.

AD MARCI XIV. 51. 52.

De CHRISTI Servatoris Sindone, de ſudario, de faſciis ſepulcralibus, aliiſque lineis indumentis.

CAPVT I.

De Sindone in univerſum.

DE Sindone tametſi plura jam viri docti dicere occuparunt; non ea me tamen a Spicilegio deterrent. Ad nominis originem quod attinet; jam recte exſibilata a nonnullis eſt illa Etymologici magni originatio ab urbe Sidone : etſi non ſum neſcius, nunc quoque viros graves reperiri, qui poſt inventum frumentum, glande veſci malint. Eſt ergo *Sindon* vox mere Hebraica, etſi Hebraeis cum diverſis motionibus dicitur סדין *Sadin*. At Syros reperio ſic hoc nomen efferre, ut ad Graecum σινδὼν proxime accedant : nam (ut in Evangelior. Syriaco reperitur) סדון *Seddun* dicere amant, quod eſt ipſiſſimum Σινδὼν, quippe quum Segol & Chirek breve facillime permutentur ; dageſſata vero littera תּ N poteſtatem retineat ; poſtremo Vau apud omnes orientales vocali O ſerviat. De locis, ubi in Hebraeo vox סדין *Sadin*, *Sindon* reperitur, dicam mox cap. ſequenti.

Interim quantum potui animadvertere, duplex eſt Σινδόνος *Sindonis* in Bibliis ceteriſque ſcriptoribus notio. Eſt ubi pro indumenti aut veli genere accipiatur : nec raro alibi tantum telae ſive texti linei genus eſt, ex quo quidvis confieri poſſit. Idem in aliis ſexcentis vocibus uſuvenit. Purpura, byſſus, ſericum, & alia prope innumera modo panni informis, modo indumenti ſunt nomina. Nam nunc quidem illud omitto, conſueviſſe veteres tunicas aliaque ſic contexere, nullae ut ſartoris ibi partes eſſent, ſed a textrino omnia membris apta prodirent. Sed tamen & panni informes, uti nunc, ſic & olim pertexebantur. Ergo *Sindon*, ut oſtendam, utraque notione reperitur, & pro indumento, aut ſtragulo, & pro telae genere. De utroque diſcretis capitibus, quae poterimus, commentabimur.

Digitized by Google

CAPVT II.

De Sindone vetere, quatenus indumenti genus est. Ad Marci XIV. 51. 52.

A*Doleſcens autem quidam ſequebatur eum, amictus Sindone ſuper nudo; & tenuerunt eum. At ille rejecta Sindone nudus profugit ab eis.* Mar. XIV. 51. 52. Vox Hebraica סדין *Sadin* i. e. *Sindon*, quater repetitur, ac, uno excepto loco, σινδὼν Graece exponitur. Prov. XXXI. 24. *Sindonen* (σινδόνας) *fecit & tradidit . . .* Sic & Jud. XIV. 12. 13. *Quod* (problema) *ſi ſolveritis . . dabo vobis triginta* (סדינים *ſedinim*, Gr. σινδόνας) *ſindones, & totidem tunicas. Sin autem . . . dabitis mihi triginta ſindones & . . tunicas.* Et quidem virile geſtamen fuiſſe locus modo adſcriptus admonet, collatus cum v. 19. ubi Samſon triginta viros occidit, ut *Sindonas* totidem traderet. Adde & Targum Pſ. CIV. 2. & Thren. II. 20. At etiam muliebre fuiſſe, fateri cogit Iſaiae locus III. 23. ubi in mundo muliebri etiam *Sindones* ponuntur; pro quo tamen vocabulo Graeci interpp. βύσσον poſuerunt. Obiter porro cur heic Alexandrini interpp. Hebraicum ſindonis vocabulum interpretati ſint βύσσον *byſſum*, ea mihi cauſa videtur, quia in Aegypto ſindones plerumque byſſinae fierent. Certe Herodotus & in Euterpe & in Polymnia σινδόνες βυσσίνης (*ſindonis byſſinae*) meminit. At quidquid de Aegypto ſit; in aliis locis certe & byſſus lini genus nobiliſſimum erat, & ſindones ex lino contextas fuiſſe & Judaei doctores in Hebraici vocabuli interpretatione tradunt, & Syrus interpres Evangeliorum; adhaec Pollux σινδόνα inter linea indumenta recenſuit lib. VII. ſegm. 72. & Gloſſae vet. in quibus σινδὼν eſt *Tunica linea*. Ad formam ſindonis quod attinet, errant, qui indumentum corpori aptum eſſe volunt. Erat certe aliquid, quod ſubito injici corpori poterat, ac ſubito rejici, cujuſmodi pallium orientalium erat, formae plerumque quadratae. Errant ergo veteres Gloſſae ubi *tunicam* (1) *lineam* interpretantur. Nam quid in eo ſingulare erat, ſi heic apud Marcum adoleſcens tunica ſuper nudo amicireturr? At veſtem exteriorem ſuper nudo corpore admittere minus uſitatum erat. Hinc etiam per eam tentus adoleſcens, rejecta ſindone profugit (id quod & patriarcha Joſephus olim fecerat) non id peraeque facturus, ſi ſindon, tunicae in modum, apte corpori adhaeſiſſet. Poſtremo navium vela etiam σινδόνες vocabantur. Alciphr. apud H. St. τὴν τῷ ἱστῷ σινδόνα ὑπερπετασάντες. Ex quibus omnibus plane colligere licet, ſindonem non alterius olim formae fuiſſe, quam quae nunc eſt linteorum, quae noctu in lectis uſurpantur. At apud antiquos & noctu & interdiu ſindones uſui erant: interdiu pro exteriore indumento (uti notat R. David in libro Radicum) corpori temere injecto; quod Talmudici cum Saraballo (2) comparant: noctu vero, ut haberent, quo ſe ſuper nudo amicirent. Herodotus Muſa II. οἱ δὲ κάπηλοι, ὃν μὲν ἐν ἱματίῳ ἐλιξάμενος ἴυδῃ, ἢ σινδόνι, δὺς τούτων δάκνεται. *At culices, ſi ſtragulo* (quo ſignificatu heic fortaſſe ἱμάτιον accipitur) *obvolutus, aut ſindone quis dormiat, per haec tamen demordent.* In Vetere Lexico in V. ἐπίβλημα affertur hoc ex Galeno. Μὴ γυμνὸς κοιμίζεσθω, ἀλλ' ἐπιβεβλημένος σινδόνα μὴ ψυχράν, ἢ ἕτερον ἐπίβλημα. *Ne nudus bajuletur, ſed ſindone non frigida* (i. e. *byſſina*: nam ceteroqui quae linea eſſet, non poterat non eſſe frigidior) *aliove ſtragulo injecto.* Vbi, credo, de aegroti vectatione agebat Galenus. Ex Herodoti & Galeni verbis plane vides, antiquos cubitum petentes conſueviſſe ſuper nudum corpus ſindonem (Id Italis *lenzuolo* dicitur) injicere. Hinc ſiquid accideret, quod eos cogeret, ſe ex lecto proripere, ſindone ſuper nudo amicti procedebant. Quare ne dubita, quin hic adoleſcens, audita, dum jaceret, CHRISTI prehenſione, injecta nudo corpori ſindone, uti in talibus fieri moris erat, ad JESVM perreptaverit. Ceteroqui apud antiquos non inuſitatum, nec indecorum erat, exteriora indumenta (praeſertim quum pallia apud Hebraeos pluresque alios quadrata eſſent, ut & ſindones) quae interdiu geſtarent, noctu ſibi jacentibus injicere. Apud Home-

(1) In Gloſſis ſic legitur: Σινδὼν, *Tunica linea*. At *Sindonem* nihil minus quam tunicam fuiſſe, apparet tum ex Jud. XIV. 12. 13. 19., tum Mar. XIV. 51. & aliis locis. Videtur Gloſſographo non ſemel, ut alibi obſervavi, Heſychius fraudi fuiſſe: in quo ſic reperitur Σινδὼς· χιτῶνας σινδόνας. Sed aliud eſt Σινδὼς (cujus accuſ. σινδὼν) aliud σινδὼν; ac videtur is locus ſic eſſe legendus: Σινδὼς. χιτῶνας σινδόνης. Vult σινδὼν eſſe *tunicam e ſindone confectam*; ita ut σινδὼν ſit materiae nomen. Vide cap. ſeq. ubi de τελαμῶσι σινδονίτῃ.

(2) Qui tradunt in *Menach.* fol. 41. 1. *Sindonem aeſtati, Saraballum* (vox eſt Chaldaica סרבל *Sarbal*, a verbo *Sarbel*, *Operuit*; quod pallium aut chlamydem ſignificat) *hiemi convenire: utique quia illa linea & tenuior, hoc craſſius.*

Digitized by Google

Homerum χλαίνας (*laenas*) quas exterius indumentum craſſiuſculum fuiſſe non eſt dubium, millies memini dormientibus ſtratas. Hinc in ſupra adſcripto Herodoti loco ῥάπτιον ſtraguli uſum praebet.

CAPVT III.

De ſepulcrali ſindone ſive de tela ſindonite (Ad Marci XV. 45. & parallelos locos).

Joſeph autem mercatus Sindonem, & deponens eum involvit Sindone] Idem & in Matthaeo reperies XXVII. 59. *Joſeph involvit illud in Sindone munda*(*): & in Luc. XXIII. 53. *& depoſitum involvit Sindone*. At Joannes XIX. 40. tantum ὀθονίοις i. e. faſciarum meminit. *Ligaverunt illud* (Corpus Jeſu) *linteis* (Gr. ὀθονίοις, quod *faſcias* ſive lora lintea ſignificat) *cum aromatibus*. At idem praeter *linteamina* ſeu *faſcias*, etiam *ſudarium* ad obnubendum caput agnovit XX. 5. 6. *Vidit* (Petrus) *linteamina poſita, & ſudarium quod fuerat ſuper caput ejus, non cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim involutum in unum locum*. Sic etiam in Lazari hiſtoria Jo. XI. 44. *Et ſtatim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis* (Gr. κειρίαις, quod eſt faſciarum nomen, ut infra oſtendam) *& facies illius ſudario erat ligata*. Cur ergo Joannes in Lazari & Chriſti hiſtoria Sindonem praeterivit? aut cur Evangeliſtae ceteri ὀθόνια ſeu κειρίας i. e. habenas aut lora lintea, cur ſudarium praeteriverunt? Fallor? an trium Evangeliſtarum *Sindon* duo haec complectitur, tum ſudarium, tum etiam & taenias: quae duo ſigillatim Joannes commemoravit?

Rem ita eſſe conſtabit; ſi, quid ſint faſciae ſepulcrales, prius edocuero. Non aliud erant, quam *Sindon* in ſegmenta atque taenias ſciſſa. Teſtis ejus rei perquam idoneus prodeat Herodotus, qui in Euterpe cap. 86. ubi de Aegyptiorum cadaverum pollinctura, ſic poſuit: Κατειλίσσουσι πᾶν ἀυτῷ τὸ σῶμα ΣΙΝΔΟΝΟΣ βυσσίνης τελαμῶσι κατατεμαχίσαντες. *Totum ejus corpus faſciis ex byſſina SINDONE conſciſſa redactis involvit*. Hinc faſciae hujuſmodi omnes, tum quae ad deliganda cadavera, tum quae medicis, tum etiam quae ad lectos vinciendos uſui eſſent, κειρίαι appellabantur. Cur? Nimirum a verbo (**) Κείρω i. e. *ſcindo* ſic dicebantur; eo quod κειρίαι illae ex diſſecta particulatim ſindone redigebantur. Ex Herodoto modo didicimus ad deligandum cadaver ſindonem in κειρίας (*infitas*) fuiſſe comminutam. At idem ad deliganda vulnera idem factitatum tradit in Polymnia cap. 181. ubi ſaucium Pytheam, virum fortiſſimum, admiratione virtutis Perſae hoſtes ſervare conantur. Οἱ δὲ Πέρσαι περὶ πλείστου ἐποιήσαντο, σμύρνῃσί τε ἰήμενοι τὰ ἕλκεα, καὶ σινδόνος βυσσίνης τελαμῶσι καταλίσσοντες: *Quem Perſae plurimo in honore habuerunt, myrrha medentes vulneribus, & ſindonis byſſinae ſegmentis illa deligantes*. Atque hic eſt τελαμὼν σινδονίτης (*faſciola ex ſindone confecta*) cujus meminit inter ἰατρικὰ ἐργαλεῖα Pollux IV. 181. Sed & Scholiaſtes Euripidis ſcripſit: Τελαμῶνες· τὰ ῥάκη, ἃς φαμεν ἐπιδεσμούς. Τελαμῶνες *ſunt panniculi, quos vocamus* ἐπιδεσμούς [i. e. *lora ad obligandum*]. Ac τελαμῶνας quidem & vulnerum & cadaverum vincturis communes fuiſſe, declarat etiam epigramma in II. Anthol. περὶ τῦ ἐνταφιαστῦ, qui quos furabatur τελαμῶνας ἀπὸ τῶν ἐντομίων, mittebat chirurgo ad deliganda vulnera. Sed ut redeam ad τελαμῶνα σινδονίτην: ejus alibi quoque Jul. Pollux VII. 72., ubi de *Sindone*, ſic meminit, ut tamen quid proprie ibi intelligat,

(*) Sicut ℣. ſeq. in monumentum novum illatus eſſe Chriſtus narratur, ſic & hîc σινδόνα καθαρὰν νεαρὰν intellige. Id quod Marcus XV. 46. apertiſſime demonſtrat, dum Joſephum mercatum eſſe ſindonem dicit: neque enim mercari neceſſe fuiſſet, niſi καινήν. Nam ſindonas in humanos uſus adhibitas plures, opinor, Joſephus domi habebat. Sane Romani toga nova mortuos induebant, dum efferrentur. Vide quae alibi diximus quid illud ſit, quod Paullus J. C. uſurpat *togam in funus dedicare*. Apud Hom. hymno in Apoll. XI. 121. Apollinem Deae Σαόφρων ἐν φάρεϊ λευκῷ λευκῷ νηγατέῳ, *Faſciaverunt in veſte candida, tenui, nova*.

(**) Mirum videri poſſit, hoc vocabulum cum M reperiri ſcriptum in Heſychio. Ait enim: Κειρίαις. ἐνδεσμάσιν ἐντετολιγμέναις. Verum heic Heſychius fine controverſia ſpectavit ad Jo. XI. 44. ubi dandi caſu plurali id nomen legitur, & quidem in Alex. & Selden. 4. (ut eſt apud Millium) cum eadem vocali, ſic κηρίαις. Sunt & Κηρίαι *lumbrici lati* in Erotiano per eumdem errorem, ſcripti: At ejus ſcripturae ut etymon traderet Heſychius; ſcripſit ἐνδεσμάσιν &c. ut ſit a Κήρ· & ἐνδεσμάσιν pro faſciis legi non ſemel apud Euthymium. Verum non eſt dubium, quin recta ſcriptura ſit per diphth. ει a κείρω, uti dixi. Ergo Κειρίαι & faſcias ſepulcrales notat, ut Jo. XI. 44. (ſic appellatas, quia ex ſindonis ſegmentis fierent, ut ex Herodoto & Polluce demonſtravi) & faſcias quibus lecti conſtringebantur (uti patet ex Ariſtophanis, & Pro-

Digitized by Google

non clare indicet. Vide (3) locum.

Ergo, ſi me audis, quum Marcus Joſephum mercatum ſindonem dicit, *Sindonis* nomine materiam intellige h. e. telae lineae tenuiſſimae (nam *ſindon* olim tenuitate potiſſimum celebrabatur ut hodie apud nos l'*orletto*) volumen. Ex ea informi tela (*informem* dico; quia ſindon etiam quum exterius indumentum eſt, aut lecti ſtragulum, non aliud quam quadratae formae amiculum erat) partem pro ſudario ad velandum caput reſervavit; ceteram ſindonem in κειρίας i. e. *taenias* diſſecuit, quibus conditum CHRISTI corpus obvolutum conſtringeret. Hinc intelligis, cur tres Evangeliſtae *Sindonis* tantum meminerint, Joannes vero nulla ſindonis mentione facta ὀθόνια (*linteamina*) & σουδάριον *Sudarium* memoret: nam illi tres de telae genere, quod eſſet omnium praeſtantiſſimum, ſollicite meminerunt: Joannes, quos in uſus tela illa impenſa eſſet, expoſuit.

Atqui ſi ſic res habuit: quid fiet, inquies, *Sacra Sindone*, quam hodiedum alicubi ſanctiſſime colunt? Nolo in tantum κειμήλιον, cuiquam per me veneratio decedat. Tantum de nomine lis erit; nam quam *ſanctam ſindonem* vulgo appellant, malim ſacrum *ſudarium* appellari. Nam fuit certe aliquis praeter *faſcias* latior pannus, quo Chriſti corpus & praecipue caput ἀμίσους involvebatur; ſuper quem deinde (ὀθόνια) habenae injiciebantur. Sane enim, quia pollinctura apud Aegyptios medicorum opus erat; ſicuti in chirurgica deligatione vulneri pannus prior admovebatur, tum faſciae injiciebantur; eodem modo & (ταριχείαν) *condituram* proceſſiſſe & ſubſtratum taeniis linteum latius non dubito. Rem igitur ipſam adeo non nego, ut potius confirmem. At illum pannum, quo ἀμίσους Servatoris corpus contingebatur, *ſindonem* appellari veto; niſi ſi forte de telae genere quaeſtio incidat. Error vocabuli ex tribus Evangeliſtis non bene intellectis natus eſt, qui certe quum *ſindonis* meminerunt, non lintei formam, ſed materiam ſeu telae genus nobiliſſimum indicarunt, ex qua linteamina illa conſtarent: At Joannes qui accurate lintea omnia recenſuit, non aliud memorat, quam ὀθόνια (quod diminutivum vocabulum dumtaxat faſciolas & linteas habenas notat, uti ſeq. cap. demonſtrabitur) & σουδάριον *ſudarium* ad obnubendum caput. Qui etiam in Lazari hiſtoria non aliud quam κειρίας *taenias* & *ſudarium* poſuit. Quare *ſindonem* apud Joannem nuſquam vides; nec fuit certe alius laxior pannus praeter *ſudarium*; quo tamen non tantum Chriſti caput ſed & corpus ἀμίσους tegebatur. Et certe σουδάριον *ſudarium* cujuſcumque originis (4) vocabulum fuerit, noli ſic mente concipere tamquam bipedale linteum ad Italici *Facioletti* menſuram. Longe id laxius erat, quantum ex Chaldaeo interprete (5) ad Ruth. III. 15. intelligo, & tale certe quod poſſet corpus obtegere. Haec quum ſcribo, incidi in Bedae libri

---

verbiorum Salomonis locis infra adducendis) & quibus vulnera deligabantur ex Herodoti Polymnia.

(3) Pollucis locus VII. 72. ſic habet: Σινδὼν ἐστὶν, Αἰγυπτία μὲν, περιβόλαιον δ' ἂν εἴη, τὸ νῦν δίκροσσον καλούμενον· εἴρηται δέ που καὶ τελαμὼν σινδονίτης. Locus eſt non facillimae intelligentiae, qui ſic verti poteſt: *Sindon eſt* (ſi locum ſpectes) *Aegyptiaca: genus autem operimenti facile illud fuerit; quod nunc* Δίκροσσον *vocatur. Eſt ubi* τελαμὼν σινδονίτης (faſcia ex ſindone confecta) *uſurpatus reperiatur.* Quod Σινδόνα genus περιβολαίου eſſe dicit, ſignificatu ancipiti περιβόλαιον uſurpavit, tum ut amiculum, tum ut ſtragulum notet. Nam apud eumdem grammaticum X. 42. περιβόλαια ſunt *ſtragula*, & VII. 46. χλαῖνα non tantum amictus eſt, ſed & ἐπίτιμον περιβόλαιον, *operimentum cubitorium*. Ergo & Sindon fort. utroque ſenſu Περιβόλαιον (*operimentum*) Polluci dicitur: nam & revera utrumq. praeſtabat uſum. Conjicit autem grammaticus *ſindonem* non aliud eſſe, quam quod ſuo tempore Δίκροσσον nuncupabatur. Δίκροσσον eſt aliquid utrimque fimbriatum, quod latine *Bicerre* dictum fuit (in Philoxeni Gloſſis legitur: BICERRES: Δίμιτλλοι, ΔΙΚΡΟΣΣΟΙ) credo quod antiquitus & *cerrus* & *cirrus* diceretur. Intelligit omnino Pollux linteum Peluſiacum *cirris dependentibus*, quod deſcribit Phaedrus . . . *Ex alticinctis unus atrienſibus, Cui tunica ab humeris linteo Peluſio Erat deſtricta, cirris dependentibus*. Male Voſſius in Etym. in V. *Cirrus* in hoc Phaedri loco cirros de tunica dependere jubet. Imo ſicut apud Perſii interpretem in loco quem ibi Voſſius citat, *lacerna* & *pallium* (veſtes utiq. exteriores) *cirrata* erant; ſic & apud Phaedrum, non tunica, ſed ſindon ſive *linteum Peluſium* Δίκροσσον (*bicerre*) fuit. Hunc atrienſem ſervum Poëta *alticinctum* appellat, quia *ab humero* in oppoſitum latus balteo σινδονίτῃ & *bicerri* deſtringebatur: ſive quod tota ſindon complicata (& ea quidem tenuiſſimae texturae erat) in uſum cinguli ceſſerit; ſive quod ſindonis ſegmentum dumtaxat uſum baltei praeſtiterit. Hinc non tantum faſciae ſepulcrales & medicae, ſed & is balteus utrinque cirratus (quo orientales hodieque uti videmus) τελαμὼν σινδονίτης ex Pollucis mente dicebatur.

(4) De quo dicetur cap. ſeq.

(5) Vide caput ſeq. de hoc. Ruthis loco.

Digitized by Google

libri de locis ſacris cap 5. ubi ſudarium capitis CHRISTI octo pedum fuiſſe ſcribit. Vide locum ſeq cap ubi plura de ſudarii etymo & uſu. Ergo, ſi ſapis, linteum velamen, quod ἐμέτως (*proxime*) corpus & caput Servatoris vinciebat, non *ſindonem*, ſed *ſudarium* mecum, imo cum Joanne Apoſtolo, appellabis.

At enim, inquies, Joannes ſudario *caput*, non etiam corpus obnupſit XX. 7. & *ſudarium*, inquit, *quod fuerat ſuper caput ejus*. Sed facilis eſt reſponſio. Nam Joannes praecipuum ſudarii uſum oſtendit, ad obtegendum caput; praeſertim quum capiti ſolum ſudarium injiceretur, non item faſciae; at ceterum corpus & intime redundantibus ſudarii appendicibus, & deſuper faſciis obligabatur.

Poſtremo, ſi cui libeat CHRISTI intimum operimentum *Sindonem* appellare, non vetabo, ſed non aliter, quam quemadmodum illud *ſacram telam* aut *pannum* ex generali materiae nomine nuncupare liberum eſt. Quin & illud didici *Sudarium* antiquitus etiam (6) σινδόνιον (quaſi *factum de ſindone*) nuncupatum fuiſſe. At quocumque nomine intimum Chriſti velamen appellaveris, nunquam efficies, ut illud ab Evangeliſtae Joannis ſudario diverſum fuerit. In quo tamen, fateor, non tantum recentiores interpretes adverſantes habeo, ſed & antiquos nonnullos, ut Severianum Gabalitanum (7) & Euthymium Zigabenum: qui praeter ſudarium & linteamina, etiam ſindonem agnoſcunt. Sed quae hujus capitis initio adduxi, ſatis oſtendunt *Sindonem* apud Evangeliſtas materiae ſive texti linei dumtaxat nomen eſſe, ex quo & taeniae ad vinciendum corpus, & ipſum ſudarium redacta fuerint. At ſudarium erat latius, quam vulgo creditur, velum, quod & corpori obtegendo ſufficeret. Atque haec de *ſindone* vulgo credita CHRISTI Servatoris: nunc de ſudario.

CAPVT IV.

De Sudario CHRISTI. Ad Jo. XI. 44. XX. 7.

§. I.

De ſudarii etymologia.

SVdarium Latinam eſſe vocem, a verbo *Sudo* factam, conſentiunt noſtri aevi philologi principes, Salmaſius, Grotius ad Jo. Voſſius in Etymol. aliique. Hos ſi audimus, ea vox e Latio non in Graecum modo ſed & in Caldaeum Syrumque ſermonem (quippe quum in Targumim, & in Evangeliis Syriacis reperiatur) transfuſa fuit. Itaque viris doctiſſimis Nonnus Panopolita ludibrium debuit, quando in Joannis Paraphraſi Συδάριον Syriacam vocem eſſe docuit, tum ad Jo. XI. 44. ubi poſuit.

Καὶ λινέῳ πεπύκαστο καλύμματι κυκλάδα κόρσην,
Συδάριον τόπερ εἶπι Σύρων τόμε.
Tegmen opacabat lineum cui verticis orbem,
SVDARIVM ore Syro quod dicitur.

tum etiam Jo. XX. 7. ubi ait:

Συδάριον τόπερ εἶπι Σύρων ἐπιδήμιος ἀυδή.
Quod vulgi ore Syri Sudarion appellatur.

Atqui injuſte atque inſcite agunt, qui eruditum ſcriptorem, antiquitatis orientalis non incallidum, indicta cauſa, arguunt inſcitiae; quem non eſt verifimile, ſemel atque iterum Syriacam *Sudario* originem fuiſſe adſerturum, nifi id probe tenuiſſet. At qui e Latino hanc vocem non tantum in Graecam linguam, ſed & in Chaldaeam atque Syram adnituntur tranſvehere: exponant, rogo, qui fieri potuerit, ut veteris comoediae auctor Hermippus *Sudarii* vocem, ſi quidem Latina fuiſſet, uſurpaverit; aut quando auditum fuerit, veterem comoediam produxiſſe in ſcaenam Latinas voces? At de Hermippo quod dixi, teſtatur Moeris

(6) Heſychius in Ἡμιτύβιον ait, idem eſſe ac σινδόνιον ἱμάτιον. At Ἡμιτύβιον ex Polluce VII. 71. idem quod Συδάριον. Ergo & Σινδόνιον idem quod *ſudarium* erat. Adde quod ubi Xiphilinus (ex Dione utiq.) de Nerone dixit: τὸν δὲ βασιλεύοντα, χιτωνίσκόν τι ἐνδεδυκὼς ἄνθινον, καὶ σινδόνιον περὶ τὸν αὐχένα ἔχων, ἠσπάζετο, *brevi tunica picta indutus, ac* σινδόνιον (i. e. ſudarium) *circa collum habens ſenatores ſalutabat*: in eadem re Suetonius Nerone cap. 51. pro σινδόνιον *ſudarium* uſurpaverat: *Ac plerunque ſynthesinam indutus, ligato circum collum ſudario, prodierit in publicum, ſine cinctu & diſcalceatus.*

(7) Severianus Gabalitanus ad finem or. V. *de mundi creatione* (to. 27. Bibl. PP. pag. 120. E.) quaerit cur duo illi diſcipuli *linteamina & SINDONEM* (quod de ſuo addit, nam in Jo: de *ſindone* nihil) *in una viderint parte, ſudarium vero in alio ſeorſum loco*. Euthymius quoq. ad Joannem ὀθονίων (*linteaminum*) nomine *ſindonem* quoque intelligit: male; ſiquidem ex ſindone ſive tela ab Joſepho empta linteamina illa, ut & ſudarium, concinnata fuerant.

Digitized by Google

Moeris Atticista in Lexico, ubi ait: Σουδάριον. Ἑρμιππος. τὸ ὑφ' ἡμῶν Σουδάριον. H. e. Σουδάριον. *Hermippus* (vocat) *quod nos hodie* Σουδάριον. An non id argumento est, in veterem Graeciam aeque ac in Latium, vocem *Sudarium* ex oriente tamquam ex uno fonte, per diversos tamen rivulos, traductam fuisse? Nam in Graeciam potuit ea vox ἐμέσως (*proxime*) e Syria manare per imperii Macedonici tempora: at in Latium eadem dictio per Hispanos Phoenicum ἀποίκους (*colonos*) meo judicio manavit. Inter Tyriorum in Hispania colonias, quin Saetabis sit numeranda, numquam dubitavi. Nomen ipsum & Syriacum est, & ejus urbis artificio apprime consentaneum; nam venit a שתה *sheta*, quod Caldaice *texendi* verbum est (nam ultima syllaba BIS erat Latina desinentia peregrini nominis) nim. quia Saetabis & lini praestantia, & λινουργία (*linteario opificio*) celebrabatur. De lino Plinius qui XIX. 1. *Saetabis limis* in Europa primas deferri prodidit. De arte lintearia Silius III. 373.

Saetabis & telas Arabum spreviſſe ſuperba,
Et Peluſiaco filum componere lino.

Inter lintea autem opera, quae Saetabi conficiebantur, eminebant maxime *Sudaria*, quae & Romam advehebantur, quod Catullus in Asinium testatur:

Nam Sudaria Saetaba ex Iberis
Miſerunt mihi muneri Fabullus,
Et Veranius . . . . . .

idem quoque ad Thallum:

Remitte pallium mihi meum, quod involaſti,
Sudariumque Saetabum . . .

Ac nemo ignorat, quae indumenta ex peregrinis locis Romam afferebantur, ea non Latialibus, sed ipsis peregrinis vocibus appellata fuisse: quarum vocum supervacaneum est indicem pertexere, quum nihil sit in re vestiaria crebrius. Ergo Saetaba lintea, non Romae *Sudarii* nomen adsequebantur, sed in ipsa Saetabi appellatione ἐντόχθονι (*indigena*) dicebantur *Sudaria*. Quod nomen Poenicium sive Syriacum atque Chaldaicum est.

Nam a Chaldaeo סדר *ſaddar*, *ordinavit*, *disposuit*, fit סדרא (quod nomen Chaldaice quidem in Targumim *Sudara* pronuntiatur; at in Syriaca Joannis & Actorum translatione *Sudoro* effertur; quia Syris Kametz ut O sonat) sive quia in omni textura tum trama, tum & subtemen suos *ordines* ac filorum in rectum & transversum *dispositiones* habet; sive quia peculiare erat lintei genus, quod quibusdam filorum ordinibus distinctum esset, ac veluti virgatum, quod hodie vocamus *listato*. Et ceteroqui crediderim ab initio id nomen magis notasse telae genus, ac peculiarem ejus pertexendae rationem, quam lintei formam ac mensuram ad talem usum accommodatam. Catullum ipsum, (ante quem nemo, quod sciam, *Sudarii* nomen usurpavit) non de *Sudore* abstergendo cogitasse, sed Saetabam telam prae oculis habuisse, haud aegre crediderim. Etenim *Sudarii* nomen cum ipsa tela Saetaba in urbem commigraverat.

Traditae hactenus *Sudarii* etymologiae multa adversantur: primum quod in Glossis, & apud Pollucem Σουδάριον (8) & Καψιδρώτιον, (quod nomen *sudoris exceptorem* significat) sunt synonyma; deinde quod Quintilianus VI. 3. dixit: *Quum reus agente in eum Calvo, candido frontem ſudario tergeret*: postremo quod Appuleius in Apologia (ubi crimen sudarii, in quo sacra magica involuta calumniabantur, diluit) pag. 493. (Paris. 1688.) in sudarii etymo lusit in hunc modum: *Quantique ſudores innocentibus hoc uno ſudariolo* (de quo calumniabantur) *adferantur, poſſem equidem pluribus diſputare*. Vides hos duos scriptores sic in *sudarii* voce ludere, tamquam a *sudore* derivetur. Idem etymon apud (9) alios reperies. Ex quibus videtur confici *Sudarii* originationem ex Latio esse petendam; ac sicuti a sudando fit *Sudarius* apud Firmicum, is nim. qui sudare assolet; sic indidem esse & *Sudarium*.

Sane ad has rationes atque scriptorum loca intuenti mihi videbar rem sic posse componere

(8) In Onomastico vetere legitur: *Sudarium* Καψιδρώτιον. Pollux quoque VII. 71. Καψιδρώτιον & Σουδάριον, tamquam synonyma recenset. Verum de Καψιδρωτῆρι infra §. 2. ostendam, ea voce proprie *indusium* significari, quo sudor excipitur, non quo abstergitur, ac fort. idem quoque & *Sudarium* appellatum fuerit. Sed de his vide §. seq.

(9) Beda in Collectaneis ad finem tom. 3. pag. 665. inter sacerdotalia indumenta refert *mappulam* (vulgo nunc *manipulum*), quod aliter *ſudarium* appellat, non aliunde quam quia eo *tergitur ſudor*. Eadem vocabuli originatio est apud Perottum; ut Vossium & alios recentiores taceam. Qui Vossius in II. de vit. serm. 4. etiam Petri Blesensis auctoritate utitur, qui *ſudarium* (vulgo *manipulum*) ex eo dictum ait, quia *Quondam meſſores ob ſudorem detergendum zonae alligatum ſudarium portabant*. Sed delicatulos istos messores ne fando quidem audivi. Nec ista tanti sunt.

Digitized by Google

ponere, ut *Sudarii* vox & in Latio ἐντόχθων (*indigena*) & eadem, ac multo magis, Syriaci ſoli fuerit: ſic ut, utrobique id vocabulum patrias ſibi origines adſerens, utriuſque civilitatis jura ſibi ſuo jure vindicet. Quo id pacto, inquies? Plane idem vocis hujus, ac alterius *Menſura*, fatum fuiſſe ſuſpicabar. *Menſura* & Latine & Hebraice eâdem notione uſurpatur; ac ſua nihilominus ac nativa in utroque ſermone conſtat origo: nam Latinis *Menſura* eſt a *Metior*: at Hebraicum מְשׂוּרָה *Meſurah* eſt a שׂוּר *ſur*. Sic quoque Latinis *Sudarium* a ſudore quem detergit, dicetur: at Chaldaeum סוּדָרָא *Sudara* eſt a סדר *Saddar*, *ordinavit* h. e. ab ordinandis in textrino filis. Sic equidem initio iniveram rationes.

Verum quae modo ſcriptorum loca pro originatione latina ultro congeſſi, non tanti facio, ut de ſententia deducar. De Καψιδρατίῳ vide §. ſeq. ex quo intelliges Καψιδράτιον & comoediae Σουδάριον indutia fuiſſe, non ἐμπαγῆναι ad detergendum ſudorem. Reſtant Quintiliani & Appuleii loca; quibus facillimum fuit in peregrino vocabulo tanquam Latinae originis ludere, eique Latinas origines accommodare: quod Graecis aeque ac Latinis ſcriptoribus ad nauſeam uſque facere ſollemne fuit. Quid quod *Sudarium* nihil minus, quam ad extergendum ſudorem, ſed ſive ad velandum caput valebat, ſive interulae uſum praeſtabat? De quo in ſequentibus diſputabitur.

Poſtremo, ſi *Sudarium* vox Latina & indigena fuit; cedo, quis ante Catullum uſurparit? nam Catullum non moror, qui *Saetaba* & *Saetabum* quum voci addidit, eo ipſo peregrinitatem nominis, aeque ac lintei, praeſetulit. Et quidem apud Feſtum de *Sudario* altum eſt ſilentium. M. Varro in IV. de L. L. (pag. 32. edit. Amſtel. 1623.) ubi totus eſt in vere Latinis vocibus linteorum ac veſtium (nam nullum ibi peregrinum eſt vocabulum) nihil de *Sudario* affert. At fuerat ei cauſa, cur de eo diceret, quia plura affert amiculorum Romana nomina, quibus caput obvinciretur, & *Reticulum*, & *Capital*, & *Mitram*, & *Ricam*. At ultimum vocabulum exotico *Sudario* reſpondebat (utriuſque enim uſus erat ad velandum caput) ne ſic tamen de *Sudario* meminit. cur? quia Latinum non erat, ſed Ibericum. At dicat aliquis, ex Varronis ſilentio non recte colligi, *Sudarium* Latinum non eſſe nomen. Sed Nonius opinor quaeſtionem hanc profligabit. Is cap. XIV. quod totum eſt de veſtium Latinis vocibus, *Sudarium* quidem in eum cenſum non retulit; imo ſic retulit, ut idem novitatis arguat. Varro dixerat: *RICA a RITV; quod Romana RITV ſacrificium feminae quum faciunt, capita velant*. Nonius de eodem vocabulo ſic poſuit: *Rica eſt, quod NVNC ſudarium dicimus*. Quid ais Noni Marcelle? tua ne primum aetate, SVDARIVM in uſu eſſe coepit, quod nomen ſcimus Catullum ante annos quingentos adhibuiſſe? Verum Catullus nomen illud ut peregrinum adhibuerat, emollieratque addita patria: mox idem nomen habente latinitate, jura civitatis eſt aſſecutum, & in RICAE jam intermortuae vacuam hereditatem invaſit. Atque ob eam cauſam ſcripſit Nonius: *RICA eſt, quod NVNC Sudarium dicimus*. Aevo Catulli illud tantum *Sudarium* appellabatur, quod Saetabi afferebatur. Id telae genus quia tegendo capiti commodum viſum fuit, hinc omne linteum, unde unde advveheretur, quod caput velaret, *Sudarium* appellari coepit, abolito *Ricae* vocabulo.

§. II.

De Pollucis Σουδαρίῳ, Καψιδρατίῳ, & Μιτυρίῳ.

In Vetere onomaſtico legitur: *Sudarium*, Καψιδράτιον. Pollux etiam VII. 71. teſtatur, ſuo tempore Σουδάριον fuiſſe appellatum quod in media Comoedia Καψιδράτιον dicebatur. Pollucis locus infra adſcribetur. Quocirca non puto poſſe nos melius aſſequi Graeci Σουδαρίου *Sudarii* formam ac notionem, quam ſi Καψιδράτιον quid fuerit, exploremus. Καψιδράτιον eſt a verbo Κάπτω, & ἱδρώς· Κάπτω autem non tantum ſignificat *Comedo* (quam ſolam huic verbo notionem H. Stephanus, & lexica attribuunt) ſed etiam *Excipio*. Imo ab *excipiendi* notione, quam primariam ſtatuo, manavit *manducandi* altera; quia intro *admittere* ſive *accipere*, id demum *comedere* dicitur. Jampridem de *excipiendi* ſignificatu monuerat Heſychius; nec tamen lexicographi animum adverterant. Heſychius: Κάπτοντες· ὑποδεχόμενοι, ἐσθίοντες· Ait participium Κάπτοντες exponi debere *excipientes*, aut *comedentes*. Sed & Latinum (10) *Capſae* nomen a Κάπτω eſt, quatenus

(10) Latinum *Capſae* nomen ſive a *Capſo* (Feſtus: *Capſit, prehenderit*) ſive a Graeco Κάμψω (idem Feſtus: *Capſae a Graeco appellantur: hae illi* Κάμπτραι [fort. Κάμψαι] *dicunt*) dici volunt: aut vero a Κάπτω, *comedo*, ut, inquit Voſſius, *notet id, in quo cibi reponuntur*. Parum accurate omnia. Nam verum eſt, & Latinas voces *Capio, Capſo, Capſo*, & Graecam Κάμψω, imo & Κάψω (nam & ſine μ reperitur: Suidas: Κάψω, Κίτε καὶ ἄνευ μ) omnia eſſe ab uno verbo

tenus significat ἀποδέχομαι, *Admitto*. Ergo Καψιδράτιον non id est (quod vulgo sibi persuadent) quo sudor ἐκμάττεται (*extergitur*) sed *id quo sudor excipitur*. Itaque *sudoris exceptorem* possis interpretari. Ea definitio interiori lineae tunicae, quam Latini *Intusium* aut *Indusium*, sive *Interulam*, Graeci vero χιτωνίσκον vocabant (vulgo *camicia*) pulchre convenit: quia id est praecipuum indusii officium, sudorem excipere, quo simulac maduit, altero inducto indusio, mutatur. Non me falsum in definiendo Καψιδρατίῳ fuisse, Hesychius fidem faciet, apud quem legitur: Καψιδράκιον (Cor. Καψιδράτιον) εἶδος χιτωνίσκου i. e. *genus* est *indusii*. Non absolute *indusium* interpretatur, sed *genus indusii*. Cur? quia fort. non aliud erat quam, *l'Asciugatojo*(11) quod apud nos Capuccini usurpant, quod lineam ἐξωμίδα (h. e. *exomidem*, sive *colobium*, aut *scapulare*) appellare possis, non manicatam, ex duplici linteo aptam, quorum alterum in posteriora rejicitur, alterum anteriora tegit. Id quoque si Σουδάριον *Sudarium* appellaveris, Polluce judice non errabis, apud quem, (ut & in Onomastico vet.) Καψιδράτιον & Σουδάριον sunt synonyma. Accedit quod eo capite Pollux non de mappulis aut mantelibus, sed de lineis vestibus (quae inducantur corpori, non quae frictione abstergeant) agit, ejusque generis sunt praecedentia vocabula. Quare ne dubita; & Καψιδράτιον & Σουδάριον esse apud Pollucem genus indusii tale, quale descripsimus. Ceterum in eo quod Καψιδρατίῳ, sui temporis Σουδαρίου respondere fecit, putavit fort. grammaticus, hoc a *Sudore* nomen accepisse: haud dubie quia cui orientalis originatio lateret, de Latina subiit cogitatio. Atque haec de Pollucis Σουδαρίῳ & Καψιδρατίῳ.

Verum cur non totum Pollucis hunc locum in medium produco? Is lib. VII. cap. XVI. quod inscribitur περὶ λινῶν ἐσθήτων (*de lineis vestibus*) ubi de Athenienſium linea, ac deinde de Calasiri, & Phosone (eae sunt Aegyptiacae lineae tunicae: de *Phosone* sive potius *Phassone* vide quae copiose differui in Diss. *de tunica Phassim* ad Gen. XXXVII. 3.) dixisset, haec deinde subnectit: Τὸ δὲ Ημιτύβιον, ἔστι μὲν καὶ τοῦτο Αἰγύπτιον· εἴη δ' ἂν κατὰ τὸ ἐν μέσῃ κωμῳδίᾳ Καψιδράτιον καλούμενον; ὃ νῦν Σουδάριον ὀνομάζεται. h. e. *Sed & Hemitybium* (Hemitybium) *ipsum quoque est Aegyptiacum, ac ferme respondeat ei, quod in media comoedia* Καψιδράτιον (i. e. sudoris exceptor) *vocatur, quod nunc Sudarium dicitur*. Hoc sane vocabulum in nonnullis Pollucis heic, & Pluti Aristophanei v. 729. exemplaribus, ac bis in Aretaeo legitur cum inserto M Ημιτύμβιον. Quae si vera erat lectio; poterat *sepulcrale sudarium* (cujus gratia haec instituta est disputatio) significari: nunc veram scriptionem esse sine inserto M, Suidas me docuit, qui unum ab altero sic distinguit, ut Ημιτύβιον sit Δίκροσσον i. e. *Sudarium utrinque fimbriatum* (de quo & Aristophanis locum affert) Ημιτύμβιον δὲ ὁ μικρὸς τάφος, *Hemitymbion autem sit parvus tumulus*. Ceteroqui in peregrinis vocabulis librarii, (saepe & ipsi grammatici aut scriptores) litterulam addere aut detrahere sollemne habuerunt, quo ea minus peregrina viderentur: ut heic commodum fuit ad ΤΥΜΒΟΣ referre vocem, quae sine M ad nullum thema reduci poterat.

Atque heic non ingratum lectori futurum spero, si quid post veteres grammaticos de voce Ημιτύβιον statuendum censuerim, in medium afferam. Hesychius: Ημιτύβιον· λινοῦν ἔνδυμα, ἢ σινδόνιον δίκροσσον· i. e. *Hemitybium est lineum indumentum, aut* σινδόνιον (i. e. *Sudarium*: jam alibi ostendimus σινδόνιον esse σουδάριον synonymum) *utrinque fimbriatum*. Aristophanis quoque Scholiastes infra adscribendus Ημιτύβιον interpretatur Σουδάριον. Ergo ex Polluce, & Hesychio vides, synonyma fuisse Ημιτύβιον atque Σουδάριον, utrumque vero tunicae lineae genus fuisse. Nec aliud Damascii locus suadet apud (12) Photium, ubi Ημιτύβιον inter indumenta corporis recensetur. Nec aliud postremo ejusdem vocis ἐτυμολογία suadet, quam in Graeco frustra reperias, (nisi in priore compositionis parte) at Arabice *Tub* (13) *vestem* ac *tunicam* significat.

Sed tamen sunt quae aliud suadere videantur; quae proinde heic expendere necesse fuerit. Ac primum in Aristophanis Pluto V. 279.

---

verbo Κάπτω, quod Hesychio est ἀποδέχισθαι, & Etymologo est χωρεῖν.

(11) Capuccini linea indusia manicata non usurpant, sed tamen loco indusii in duplicem lineum pannum in humeris dumtaxat consutum inserunt caput, idque vocant *L' Asciugatojo*, quia ubi sudore maduit, eo sublato alium inducunt.

(12) Apud Photium in fine pag. 1063. Damascius in vita Isidori philosophi narrat, sibi in somnis humani quid patienti maduisse (inter cetera quae ibi numerat) ἡμιτύβιον. Ex quo colligere licet ἡμιτύβιον fuisse tunicae genus. Verum de hoc Damascii loco vide quae dixi in Diss. *De tunica Phassim* ad Gen. XXXVII. 3.

(13) Arabice תוב cum ת superne punctato (quod *Tabub* Arabice pronuntiatur, sed ab aliis *Tub* effertur) significat tunicam, vestem, linteum.

Digitized by Google

v. 729. Aeſculapius καθαρὸν ἡμιτύβιον λαβὼν, τὸ βλέφαρα περιέψησεν, h. e. *mundo hemitybio accepto* (Pluti) *palpebras abſterſit*. Non ergo tunica erat, ſed linteum ad tergendum. Ibi Scholiaſtes: Ἡμιτύβιον ἀντὶ τοῦ Σουδάριον. Idem eſſe ait ac *Sudarium*: quod rectum eſt. Deinde: Ῥάκος ἡμιτριβὲς, i. e. *fruſtum* aut *panniculus ſemidetritus*: putavit enim Ἡμιτύβιον & Ἡμιτριβὲς ut ſono affinia, ſic & notione eſſe ſynonyma; cui grammatico fort. & Hippocrates non intellectus impoſuit. Pergit. Λινοῦν τι, οἷον ἐκμαγεῖον, *lineum quiddam, veluti id quo tergitur*. Atqui non erat id ἡμιτυβίου proprium, ſed acceſſorium. Addit Poëtriae locum: Καὶ Σαπφώ· Ἡμιτύβιον ταλάσσων (corr. τάλασσον) *Sappho. Hemitybium ſtillans*. Poſtremo: ἢ ὅλωσσον φακιόλιον, *aut* (eſt) *utrinque fimbriatum* (14) *phacioliom*. Ex hac plurium expoſitionum (ex pluribus credo grammaticis) συναγωγῇ prima illa de *Sudario* vera eſt: nam ceterae ſunt poſterioris aevi, quando *Sudarium* putabatur idem eſſe quod ἐκμαγεῖον.

Accedo ad Hippocratem, qui Ἡμιτύβιον bis uſurpat; nam p. 480. 40. ait: *Quod ſi balneo & tepefactoriis angatur, nec ea ferat*, προσφέρειν αὐτῷ ῥάκια ἡμιτυβίου, *admovendi ſunt pannuculi ex hemitybio, & aqua madentes, ad pectus & dorſum ſunt adhibendi*. Rurſus in *de Artic.* in fractas nares ἄχνην τὴν ἀφ' ἡμιτυβίου i. e. *deraſam lanuginem*, (ſi novum hemitybium intelligimus) aut *linamenta* (ſi vetus) *hemitybii*, immittitur. Ex his, fateor, nihil deduci poteſt, cujus formae hemitybium fuerit; nam ſive tunica, ſive mappula fuiſſet, fruſta inde decidi potuiſſent. At ex his Hippocrateis tamen, uti reor, Ariſtophanis Scholiaſtes ſuum ῥάκος ἡμιτριβὲς, de quo ſupra, inepte delineavit. Nec magnopere miror; quando & Galenus *hemitybium lintei fruſtum* eſſe dixit. Sic enim ille habet in exegeſi vocum Hippocratis: Ἡμιτύβιον· ὀθονίου παχέος μέρος. At credo ſcripſerat Galenus: Ἡμιτυβίου ῥάκια, eaque interpretatur *Partem lintei denſioris*. Nolo enim, quidquam de tanti viri exiſtimatione decedere, quaſi qui in τῷ Ἡμι putarit ineſſe *partis* ſignificantiam.

Sicuti nec quidquam ex Aretaei verbis de hemitybii forma decerni poteſt; qui in I. curat. morb. diut. 3. ait: Ἀνάτριψις κοίλων σκελέων δὲ ἡμιτυμβίοιν (cor. ἡμιτυβίοιν) τριχίοιν μέσφι φοινίξιος: *Rurſus crurum frictio, cum hemitybiis aſperis, ad ruborem uſque*. Idem cap. 4. Hemitybii ex lino crudo contexti meminit: ἀφ' ἡμιτυβίου λινοῦ ἀμοῦ. Ex Aretaeo & Galeno tamen intelligimus, & craſſum fuiſſe id lintei genus, & aſperum, ubi novum eſſet, & ex lino crudo contexi conſueviſſe.

Ex iis quae hucuſque deprompſimus, facile intelligitur, Ἡμιτύβιον tunicae lineae genus fuiſſe, aeque ac Σουδάριον, & Καψιδρώτιον. Et quidem vox eſt hybrida ex Ἡμι (*ſemis*) Graeco conſtans, & ex Arabico (credo & Aegyptio) תוב *Tub*, quod *linteum*, aut *veſtem* ſive *tunicam* deſignat. At aliquis ex me quaerat, quid prior compoſitionis pars in ea voce valeat. Nam ſi *Tub* eſt tunica, *Hemitybium* erit tunicae dimidium. Fuit ſane, quum ſic putarem, Hemitybium eſſe dimidiatam tunicam lineam, eamque ob cauſam ſimilem fuiſſe *Sudario*. Id quomodo ſit intelligendum, videbis in (15) ſubjacente adnotatione.

(14) Φακιώλιον, φακιόλιον, φακιώλιον, φακύολον, eſt faſcia, qua in orbem convoluta caput olim operiebant Saraceni, nunc Turci; quod *Tulipantum* appellat Leunclavius: vulgo apud nos vocatur *Turbante*. Cetera de φακιωλίῳ videantur apud Cangium in media Graecitate, quibus vix eſt ut quidquam addi poſſit. Fuere plures qui a φακιωλίῳ Italicum *facioletto* deduxerint; nam φακιώλιον explicatum etiam ἐκμαγεῖον *ſemicinctii* vicem praeſtabat. In Gloſſa interlineari ad Nanzianzeni carmina φακύολον vox eſſe Λύσσων (Latinam ne, a FASCIA, intelligit, an Italicam *il Facioleto*?) dicitur; ſic enim ibi Καλύπτρῃ exponitur.

Λεπταλέῃ δ' ἐθόνῃ τις ἀπήορος ἀμφὶ παρειὰς
Ἣ καὶ ἣν καλέουσι φακύολον Λύσσοι φωνῇ.

Exſtat in ejuſdem Cangii ſupplementis.

(15) Quaeritur eccui uſui tunica dimidiata fuiſſet? Tunicam illam integram ex duplici lineo panno connexam fuiſſe puto, quorum alter dorſum & poſteriora velabat, alter in pectus & ventrem deſcendebat, ad colobii modum, quod manicis caruiſſe certum eſt. In Gloſſ. G. L. Καλόβιον: *colobium, ſubucula*. Caſſianus de habitu monachi cap. V. *Colobiis quoque lineis induti*: ex quo vides colobium nonnumquam lineum fuiſſe. At forma ea ferme erat, quam refert hodie monachorum *La pazienza*: ſic enim in Italia id appellant: quod nomen utrum expreſſerint ex Horatiana *diploide* (vide Horat. I. Epiſt. 117. *Contra quem duplici panno patientia velat*: ibi Porphyrion *duplicem pannum* interpretatur *Diploidem*) ludens olim apud amicos dubitabam: ludens, inquam: nam ceteroqui *Diplois* veterum (cujus contrarium Ἁπλόϊς) et Homeri χλαῖνα διπλῆ (*laena duplex*) cujuſmodi fuerit, dixi

Digitized by Google

Verum re melius considerata, sic ineundas rationes putavi. Multa sunt texturae nomina, quae modo textum informe, quale ex textrino prodit, significant, modo & amiculum ex eo panno consutum. Purpura, byssus, sericum & alia plura sunt hujus generis. Nec aliter in re lintearia & *Sindon* & *Sudarium*, ut supra ostensum fuit, usurpatur: quae duo nomina quum proprie sint telae nomina, tamen & vestem (cuicuimodi fuerit) lineam notant. Tale quoque *Tub* Aegyptiacum fuisse puto. Ex Arabica lingua constat, TVB & linteam telam, & tunicam lineam significasse. At id telae genus densius fuisse ex Galeno didicimus, qui ἰδίων παχὺ appellat, idemque asperius exstitisse, modo ex Aretaeo intelleximus. Contingit autem in hujusmodi pannis densioris texturae, ut si quando aliquanto laxiores minusque exquisiti fiant, id addito SEMIS notetur. Notum est Neapoli quid *Il Damasco dal mezzo Damasco* differat: illud ex praestantioribus filis contexitur magisque densatur, at hoc ex rudioribus filis ac laxioribus constat. Ergo & Hemitybium minus exquisitae telae genus erat, quam ipsum *Tub* Aegyptiacum. Sic quoque φάστων & φαστάνιον, (& hoc quoque Aegyptiacum fuit) ubi minoris praestantiae erat, Ημιφαστάνιον appellabatur: de quo diximus in fine Diss. *de tunica Phassim* ad Gen. XXXVII. 3. ejusdem fort. ingenii sunt & sequentia vocabula Απλοΐς, Διπλοΐς, Ημιδιπλοΐδιον, Απληγίδες, Διπληγίδες, & siqua sunt alia apud Pollucem lib. VII. cap. 13. quae majorem ne minoremve panni crassitudinem designent, an quidpiam aliud vulgo ignotum, dicam in (16) ima paginae ora.

§. III.

De usu Sudarii, *deque* Sudario *capitis Domini. Obiter de* Orario. *Vopisci locus exponitur.*

PErgo jam reliqua de *Sudario* exponere. Chaldaicum quidem סודרא *Sudara* plerumque est nomen generis, ac pro quocumque linteo ponitur, uti patet ex pluribus locis Targumim, in quibus Chaldaica haec vox modo תֵּ סדין *Sadin*, *Sindoni*, (quod & ipsum est nomen generis) modo aliis generalibus linteorum nominibus respondet, ut & in Syro N. T. Tamen ubi peculiaris lintei vox est; praecipuus ejus usus fuit ad obtegendum caput, non tantum mortuis (ex Lazari & Christi sepulti historia) sed & vivis. Ex. XXXIV. 33. 34. velum, quo sibi Moses vultum obsepsit, in Chaldaeo סודרא *Sudara* appellatur. Sic etiam apud Talmudicos (vide in Lexico Buxtorfii) *Expandit Sudarium super caput suum*. Oecumenius ad Actor. XIX. 12. diserte tradit *Sudario* Hebraeos obtexisse caput. Nec alius apud Graecos usus erat, si vera sunt, quae ad oram veteris Codicis Act. XIX. 12. (ubi συδαρίων *sudariorum* & σιμικινθίων *semicinctiorum* est mentio) reperit H. Stephani pater. Αμφότερα λινουδῆ εἰσι· πλὴν τὰ μὲν συδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται, τὰ δὲ σιμικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσι, πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τῆ προσώπῳ, οἷον ἱδρῶτα, δάκρυα, πτύελον, καὶ τὰ ὅμοια. *Utraque linea sunt: nisi quod sudaria capiti injiciuntur; semicinctia vero prae manibus habentur ad faciei humores abstergendos, veluti sudorem, lacrymas,*

---

dixi in Spicil. Biblico To. II. p. 203.. Sed illuc redeo. *Tub* Aegyptiacum tale erat, quale lineum colobium. At *Tub* dimidiatum seu *Hemitubium*, ex duobus lineis pannis unus erat longior quam latior, cujusmodi est mantele, apud nos *La tovaglia*. Et quidem *Hemitubium* ad tergendum usurpabatur (ut ex Aristoph. & ejus Scholiaste didicimus) & *Sudarium* Latinorum (quod & mantelis formam habebat §. seq. docebitur) ex aequo imitabatur: ut non immerito ἡμιτύβιον Latinorum *semicinctio* e regione respondisse videatur, quod & ad tergendum sudorem, lacrymas, sputum & similia adhibebatur, & simili compositione vocum coluerit: nam ut tota tunica seu colobium *cinctium* a cingendo corpore dici potuisset, sic alter ex eo pannus *semicinctium*. Verum in una ex sequentibus adnotationibus non plane idem *semicinctium* ac ἡμιτύβιον fuisse declarabitur; hoc enim a summo pectore ad ima pertinebat longior quam latior; at *semicinctium* quadratae erat formae, & a lumbis quos praecingebat, demittebatur.

(16) Crassitudinis majoris minorisve rationem haberi in his vocabulis, suadere videbatur non tantum vocabulum Ημιδιπλοΐδιον apud Polluc. VII. 49. (quanquam in MS. abesse eam vocem monent) sed & illud Hor. I. epist. 117. *Contra quem duplici panno patientia velat*. Ubi vulgo interpretes *duplicem pannum* intelligunt crassum & villosum. Ex eo panno ubi laena constabat, ea fort. *Diplois* dicebatur. Verum toto caelo errant qui sic putant. Nam quid proprie sit Diplois, Haplois &c. dixi ad Pf. CVIII. 29. vide locum.

Digitized by Google

mas, *ſputum*, & *ſimilia*. Theophylactus idem diſcrimen Sudarii & Semicinctii affert; cujus verba, qua parte peculiaria quaedam de *Semicinctio* complectuntur, adſcribam in Diſſ. de *Semicinctio* ad Act. XIX. 12. Ad haec Gloſſae M. S. apud Cangium in Σουδάριον ſic habent: Κρήδεμνον, κεφαλῶδες σουδάριον. Ducas Hiſt. cap. 39. τὰς μὲν ἄρρενας σὺν καλυδίοις, τὰς δὲ γυναῖκας σὺν τοῖς σουδαρίοις αὐτῶν. Erit ergo *Sudarium* mantele lineum (vulgo *tobalea*, *tovaglia*), ex quo hodiedum in villis feminae componunt id quod vocant *la magnoſa*, & quo explicato, ſi opus ſit, faciem obnubunt: at *Semicinctium* eſt Italorum *il faccioletto*. Latinis quoque idem, qui Hebraeis Graeciſque, fuit ſudarii uſus. Suetonius de Nerone cap. 48. *Adoperto capite, & ante faciem obtenſo ſudario, equum aſcendit, quatuor ſolis comitantibus*. At ibid. cap. 25. *Parceret arteriis, ac ſudarium ad os applicaret*. Ubi vides ſtrangulationem ſudario factam: ut & in Chaldaeo Ex. XXI. 15. & Levit. *Occidetur ſtrangulatione* (דסוררא) *cum ſudario*.

Ad haec apud Talmudicos Tamid cap. 7. Sacerdotis ſummi primarius miniſter, *Sagan* dictus, prope pontificem ſtans in gradibus altaris, agitatione (סודרין) *ſudariorum* ſignum Levitis ad canendum dabat: cujus ſimile eſt quod in circo ſignum *orario* (de quo mox dicam) dabatur. De קנין סודר *Kinjan ſudar*, h. e. *poſſeſſione per ſudarium* (quod duo teſtes explicabant, dum contractus conditiones exponerentur) vide Buxtorfium in Lex. Rabbin in סודר.

Dixi modo Latinorum Graecorumque *ſudarium* fuiſſe illud mantele, quo caput obtegebatur, quod nos *tovaglia* dicimus. Ita longius, quam latius erat. Eam formam confirmat Martialis XI. 40. *Jam mihi nigreſcunt tonſa ſudaria barba*. Sed longe laxiores ſudarii orientalis finus fuiſſe oportuit, ſi ad Ruth III. 15. animum intenderimus; ubi in Chaldaeo ſic Booz Ruthem alloquitur: *Da mihi* (סודרא) *ſudarium*, *quod eſt ſuper te*. Sane ibi in Hebraeo eſt מטפחת *mitphachath*, quod Kimchius *peplum* interpretatur. Deinde in illud ſive ſudarium ſive peplum Booz *ſex hordei* (ſupple *menſuras*) admenſus injecit; quod onus illa bajulans ingreſſa eſt civitatem. Ex his vides laxiorem, quam pro noſtris moribus, Hebraici ſudarii modum fuiſſe: ut mirum non ſit, ſi uno *ſudario* & Chriſti caput amiciretur, & ejus redundantiis totum ſimul corpus conſtringeretur. Cui ſudarii amplitudini Beda mirifice adſtipulatur libro *de locis ſanctis*, quod opuſculum ex antiquioribus libris ille contraxit. Ejus libri capite V. (quod inſcribitur *De ſudario capitis Domini . . .*) narrato quodam ejus ſudarii prodigio, haec de menſura ſubiicit: *Habebat autem longitudinis pedes octo*.

De Orarii vocabulo tam multa viri doctiſſimi (Caſaubonus & Salmaſius ad Vopiſci Aurelianum cap. 48. Lindenbrogius, Martinius, Voſſius in *De vit. Serm.* Cangius in Gloſſar. aliique) prodiderunt, ut ſi in re trita hiſcam, ludibrio ſim futurus. Vopiſcus loc. cit. *Ipſumque primum* (Aurelianum) *donaſſe oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem*. Lege quae ibi adnotavit magnus Caſaubonus, ex iis plane vel invito Caſaubono, colliges *Orarium* (unde unde vocabulum derivetur) fuiſſe ejuſdem formae ac *Sudarium*, longius plane quam latius; imo & ejuſdem uſus. Papias: *Orarium . . . . operculum capitis*; non ſecus ſcilicet ac ſudarium. Vetus Juvenalis interpres apud Caſaub. ibid. *flameum*, quo nubentium caput velabatur, *Orarium* interpretatur. Vides praecipuum orarii uſum fuiſſe ad obtegendum caput. His adde quod Paullinus in vita Ambroſii, *Orarium* idem eſſe putavit ac *Sudarium*, ubi ait: *Jactabat etiam turba virorum ac mulierum Oraria, vel ſemicinctia ſua; ut corpus ſancti aliquatenus ab ipſis contingeretur*. Ubi vides alludi ad locum Actor XIX. 12 de ſudariis & ſemicinctiis Pauli, ac pro *Sudariis* poſuiſſe Paullinum *Oraria*, quod tantumdem putavit. Atque haec ſatis, ut intelligatur *Oraria* eadem ac *Sudaria* fuiſſe in uſu civili (nam de Eccleſiaſticis *Orariis* vide eoſdem ſup. laudatos, alioſque) & utrumque capitis tegmen fuiſſe.

Si de antiquitate hujus vocabuli quaeris, non aevi Lucilliani fuit, nam in eo Lucillii verſu, quem affert Nonius cap. XIV. *Ricini aurati, ricae, & Oraria, mitrae*: optime vidit Caſaubonus, tantum duo prima verba eſſe Lucilliana; nam cetera ſunt Nonii *Ricinum* interpretantis his verbis: *Ricae, aut Oraria, mitrae*: quae tria ſunt *Ricini* Lucilliani ſynonyma. Ergo primus, qui id vocabulum ſcripto uſurparit, nunc quidem non alius ſupereſt, quam Fl. Vopiſcus verbis ſup. allatis.

Supereſt, ut de *Orarii* etymo pauca addam: in quo ab omnibus viris doctis diſſentio. Salmaſius ad Vopiſcum ab *Ora* factum putavit, quaſi eſſet ora ſive limbus veſtem ambiens. Non adſentior, nec capitis tegumento quidquam cum ora veſtis commune eſſe potuit. Voſſius in III. de vitiis ſerm. 30. in Prudentio etymon ſibi reperiſſe viſus eſt; ubi ille in Περὶ στεφάνων hymno 1. v. 87. de S. Martyre ſcripſit:

Hic ſui dat pignus oris, ut ferunt, orarium.

Nec hoc probo. Non magis *Orarium* ab

Digitized by Google

ore (tergendo ſcil.) dictum fuit, quam *Sudarium* a *ſudore* ſiccando. Utrumque etymon poſterioribus temporibus repertum fuit, quando mappulam ad os tergendum *Orarium* imo & *Sudarium* appellare coeperunt: tunc enimvero facile fuit & etymon pro ſuo tempore illis vocibus accommodare. At olim ut *Sudarium* ita & *Orarium* aut capitis tegmen erat, aut omnino linteum oblongum. Quod ergo *orarii* etymon fuit? plane illud quod Vopiſcus verbis ſup. adſcriptis indicavit, aut certe ſatis ſibi indicaſſe viſus eſt aequalibus ſuis, qui recentis vocabuli natale non ignorarent. Res ſic ſe habet. *Favor* vox eſt circi ac theatri, ac ſignificat acclamationes geſtuſque omnes, quibus huic aut illi aurigae aut actori bene cupiebant, admurmurabant, eoſdemque incitabant. Is *favor* non tantum voce geſtibuſque, ſed & jactatione togae antea ſignificabatur, ut ex Ovidio oſtendit ibidem Caſaubonus. At jactatione togae uti quia incommodum erat; viſum Aureliano fuit, togae qua id antea fiebat, *orarium* ſubſtituere: ut Vopiſcus in Aureliano teſtatur. *Ipſumque* (Aurelianum) *primum donaſſe oraria populo Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Donaverat ille princeps *tunicas manicatas*, donaverat *lineas Afras*, ut proxime dixerat Auctor: at donavit etiam *oraria*: cui bono? *quibus uteretur ad favorem*: i. e. ad *Auram*. Sciendum eſt enim, veteres *Auram* appellaſſe quem deinde *favorem* nuncuparunt. Servius ad Aen. VI. 817. ad illud *Gaudens popularibus auris*: ſic ſcripſit: *AVRIS, favoribus. unde & AVRARII dicuntur favitores.* Idem eodem lib. ad v. 204. ubi dixiſſet AVRAM proprie ſignificare *ſplendorem*, & hinc *auro* nomen factum, ſubjicit: *Hinc* (h. e. ab eadem *Aura*, non ab *Auro* ut male interpretatur Caſaub. ibid.) *& Aurarii dicti, quorum FAVOR ſplendidos reddit.* Quod quum ita ſit: quando Vopiſcus *oraria* dixit donata populo *ad favorem*; uſitatiore quidem *favoris* vocabulo uti maluit, ſed ita, ut *Auram* prae oculis haberet, & ad idem vocabulum aliis digitum intenderet; ſatis ſic ratus, ſe primam orarii inſtitutionem & etymon indicaſſe, iis quidem certe, qui ſua (qui ſeculo IV. ineunte ſcribebat) aetate viverent, quando admodum recens erat rerum Aureliani memoria. Ergo ſicut auctore Servio, favitores ab *Aura* favorem ſignificante vocabantur *Aurarii*, ſic id, quo favorem Caeſar deſignari voluit, appellatum fuit *Aurarium*, ac mox AV (uti fit) in O contracto, *Orarium*. Nam Caſaubonum, cetera acutiſſimum, heic quidem certe fugit ratio, quando ab ORARIO (tamquam ſi eſſet hoc nomen jam ante Aurelianum principem uſitatum, & ab ORE tergendo forſan deductum) primum conjicit favitores dici debuiſſe *Orariarios*, mox brevius *Orarios*, ac poſtremo, alternantibus vocalibus, *Aurarios*, quod eſt Servii vocabulum. Atqui aperte reclamat Servius, qui *Aurarios* ab *Aura* non ab *Oraria* dictos, idque merito, contendit. Ab *Aura* vero ſicuti *qui favent* ſic *id quo favetur*, aeque nomen invenit: illi *Aurarii*, hoc *Aurarium* principio, mox *Orarium* nuncupatum. Haec vera eſt *Orarii* etymologia, in qua ad hunc diem ſe torſerunt ingenia, quae tamen ſatis a Vopiſco indicata fuerat attendentibus: qui *Oraria κατὰ πρόληψιν* appellat, quae tunc quidem *lintea* aut *mantelia* vocabantur, mox ab uſu peculiari *Oraria*. *Ipſumque* (inquit) *primum donaſſe Oraria pop. Rom. quibus uteretur populus ad favorem.* Id tunc, calente adhuc Aureliani memoria, ſatis fuit ac ſuper. Nunc eadem ſiquis ſcriberet, ſic accuratius referret in commentarios: *Ipſumque primum donaſſe pop. R. mantelia, quibus uteretur ille ad favorem, h. e. Auram, inde Auraria, ſive Oraria appellata.* Poſſit heic alius & hoc argutari, geſtiiſſe Aurelianum novum manteli nomen imponere, in quo nomine etiam inſtitutoris nomen agnoſceretur, ſimiliter incipiente utroque vocabulo. Verum iſta me acumina haud magnopere delectant.

Ceterum ſub Aureliano quidem & aliquamdiu deinceps non alia erant *Oraria*, quam quae a favitoribus uſurparentur. Mox, uti fit, quaelibet oblonga mantelia ejuſdem formae, etſi ad operiendum caput alioſve uſus adhiberentur, *Oraria* dici coeperunt; ita ut *Oraria* & *Sudaria* uti ſynonyma uſurparentur. Poſtremo in uſum Eccleſiaſticum adoptato vocabulo, non tantum linteae mappulae aut faſciae, ſed & ſericeae auratae que *Oraria* dicta fuerunt. Ac de his ſatis.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

AD MARCI XV. 43. & seq. LVC. XXIII. 50. & seq. aliosque Evangelistas.

DE S. JOSEPHO AB ARIMATHAEA

Et ex occasione
De βουλαῖς (curiis) urbium Judaicarum, aliisque curialium dignitatum gradibus.

PRimum omnium quae Evangelistae de hoc senatore narrant, ea in seriem harmonicam recensebimus, in quam deinde particulatim commentabimur, postremo per occasionem tum de Hierosolymitana curia, tum ceteris curialibus dignitatibus, quae expiscari licuit, in medium proferentur.

CAPVT I.

De S. Joseph ab Arimathaea harmonica Evangelistarum narratio.

(Matt. XXVII. 57.) *Venit quidam homo dives* (Luc. XXIII. 50.) *nomine Joseph* (Mar. XV. 43.) *nobilis decurio* (Luc. 50. 51.) *vir bonus & justus. Hic non consenserat Consilio & actibus eorum; ab Arimathaea civitate Judaeae; qui expectabat & ipse regnum Dei.* (Mat. 58. Luc. 52.) *Hic accessit* (Mar. 43.) *& audacter introivit ad Pilatum, & petiit corpus Jesu;* (Jo. XIX. 38.) *eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum.* (Mar. 44. 45.) *Pilatus autem mirabatur si jam obiisset. Et arcessito centurione, interrogavit eum si jam mortuus esset. Et quum cognovisset a Centurione, donavit corpus Joseph.* (Jo. 38.) *Venit ergo & tulit corpus Jesu.* & Quae deinde Joannes de conditura Christi a Nicodemo & Josepho facta heic interserit, omitto) (Mar. 45.) *Joseph autem mercatus sindonem; & deponens eum, involvit sindone* (Mat. 59. 60.) *munda. Et posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra* (Luc. 53.) *in quo nondum quisquam positus fuerat.* (Mat. 60.) *Et advolvit saxum magnum ad ostium monumenti.* Ad quae more nostro sic commentabimur, ut relictis iis, quae jam per alios sunt scitissime adnotata, siqua adhuc intacta restant, ea tantum breviter perstringamus.

Mat. *Venit quidam homo dives*] Opulentiae meminit, non ea de causa, quam heic Graeci in catenis adnotant, quia divitiae ad pietatem impedimenta afferunt; ut eo magis Josephi sanctitas eluceseat: sed quia locupletem virum opus hoc exposcebat, tum ad mercandum, si opus fuisset, damnati corpus, tum etiam ad pollincturae & humationis impendia. At Marcus & Lucas de facultatibus silent: cur? quia nim. satis fuit de ejus *decurionatu* meminisse; ad quem honorem nonnisi locupletibus patebat aditus. Plin. l. ep. 19. *Esse autem tibi centum millium censum, satis indicat, quod apud nos* (Comi scil.) *decuriones.* Neque id mirum, quippe huic ordini sumptuosa munera subeunda erant, ut non immerito eum honorem passim sic detrectarent, ut innumeris legibus ad decurionatum subeundum cogi oportuerit.

Mar. *Nobilis Decurio*] Gr. εὐσχήμων βουλευτής. Rectissime haec Noster est interpretatus, uti cap. seq. ostendam. Joseph hic non ex magni synedrii corporatus erat, sed ex *bule*, seu *curialis* aut senator. Vide seq. cap.

Luc. *Hic non consenserat Concilio & actibus eorum.*] Rectissime Interpres illud οὐκ ἦν συγκατατεθειμένος reddidit *Non consenserat*: ad verbum. *Non erat consentiens.* Glossae Συγκατατίθεται· *Consentit.* Verbum est elegans meliori Graeciae eo significatu usurpatum; nec LXX. incognitum, quos vide Ex. XXIII. 11 23. In historia Susannae v. 20. συγκατάθεσθε ἡμῖν, quod Interpres exposuit *Assentire nobis.* In altera ad Cor. VI. 16. τίς δὲ συγκατάθεσις, *Quis autem consensus templo Dei cum idolis?* Sequitur, *Consilio & actibus eorum. Consilium* heic *consultationem* aut *propositum* interpretantur. Ego etsi non repugno; tamen est cur malim *Consilium* ipsum ordinem & collegium interpretari, quod Graece est ἡ βουλὴ (quod vocabulum heic, nec sine articulo, Lucas posuit) Latine autem & *Consilium*, & *Curia*, & *Senatus*, & interdum Graeco nomine *Bule*

dice-

Digitized by Google

dicebatur. Vult ergo Lucas hoc dicere: Hic etsi curialis esset, tamen Curiae non consensit (non enim solum synedrium, sed & curia cum suis magistratibus in Christi prehensionem conspiravit ex Luc. XXII. 4. 52.) nec actibus eorum; quod ultimum aperte refertur ad Jesu prehensionem, de qua Lucas locis cit. At enim dices, si βυλή heic est *curia*, non dixisset *actibus eorum*, sed *ejus*. Ridicula offensio; quasi in collectivis nominibus non sic saepe & Graeci & Hebraei & Latini loquantur. Ceterum si *consilium* non est *curia*, sed deliberatio aut decretum, quo referetur istud αὐτῶν *eorum*? nihil enim praecessit, quo pertinere possit, nisi βυλὴν *Bulen* corpus & collegium heic esse intelligamus: nam si aliorsum hoc referebat Lucas, dixisset τῶν Ιυδαίων aut ἀρχιερέων, aut tale aliquid.

Ab Arimathaea] Josephi hujus patria fuerintne *Ramatha* inter Lyddam & Joppem, quod Hieronymus censuit, an *Ramathaim-Sophim* Ephraimitarum, patria Samuelis I. Sam. I. 1. (quam in N. T. Arimathaeam dici vult Eusebius in Onom.) an alia quaepiam de pluribus ejusdem aut affinis appellationis, haud queo dicere. Hanc Syrus Interpres ad Matt. Marcum & Lucam, *Rometho* appellat, quod Hebraice est *Ramatha*; nam Syrorum est Kamets non ut A, sed quasi O, pronuntiare. At id nomen Graeci sic emollierunt, ut A initio adderent, atque Αριμαθαία dicerent, uti mox jam ad Lucae additamentum adnotabimus.

Nam Lucas XXIII. 51. sic posuit, ἀπὸ Αριμαθαίας πόλεως τῶν Ιυδαίων, *ab Arimathaea civitate Judaeorum*. Quo hoc Lucae additamentum? Grotius ad Matt. XXVII. 57. non dubitat, quin in Lucae adjectione *Judaei stricte dicantur ii, qui circa Hierosolyma habitabant* (*Judaeam* intelligit, prout ab Samaria & Galilaea distinguatur) quod & Hadr. Relandus sequitur in V. *Arimathaea* in fine; ubi ex hoc Lucae additamento ostendit, eam non esse illam Samuelis patriam; *Quum* si, inquit, *in Ephraimitide collocetur* (Arimathaea) *SAMARITANORVM potius videretur fuisse*, non Judaeorum scil. quod Lucas testatur. Miror tantos viros tam splendide falsos. Si Lucas eo addito cavere studuisset, ne cum aliis civitatibus extra Judaeae terminos urbs illa confunderetur; dixisset *Civitate Judaeae*, non *Judaeorum*; sicuti Matthaeus II. 5. dixit ἐν βεθλεὲμ τῆς Ιυδαίας, *In Bethleem Judaeae*, ut distingueretur ab altera extra Judaeam posita in Zabulonitide. Nunc quum *Judaeorum* dicit, omnes Judaeos Israëliticae terrae incolas intelligit, eoque complexu & Judaeam, & Samariam & Galilaeam, & praeterea Transjordanicas regiones complectitur. Quod ergo discriminis affert illud *civitate Judaeorum*? an ulla erat Gentilium Arimathaea? erat utique, nec alia, quam illa quae in Galaalitide a Fl. Josepho statuitur in VIII. Αρχαιολ. 15. §. 5. (edit. Haverc.) εἰς Αραμαθὰν πόλιν τῆς Γαλααλίτιδος *in Aramatham urbem Galaalitidis*. Mox: ἐκ ἄπωθεν τῆς Αραμαθῆς, *haud procul Aramatha*. *Aramathae* nomen ipsissimum est Arimathaeae, nisi quod illud ἑβραϊκώτερον, hoc ἑλληνικώτερον. Nequis ergo Arimathaeam Galaaditicam patriam hujus Decurionis crederet, addidit Lucas *Civitate Judaeorum*; nam illa altera Galaaditica una urbium ἑλληνίδων *Graecanicarum* seu *gentilium* (quae, ut alibi ostendisse memini per Galilaeam, Galaaditidem, & aliorsum sparsae, una Decapolim efficiebant, h. e. decem urbium numerum implebant) erat; a qua pensi habuit Evangelista patriam senatoris distinguere.

Vir bonus & justus . . . Qui exspectabat & ipse regnum Dei] Gr. ὃς προσεδέχετο &c. Similis locutio de Simeone apud eumdem Luc. II. 25. *Et homo iste justus & timoratus* (προσδεχόμενος) *exspectans consolationem Israël*. Προσδέχομαι tamen vulgo *Excipio* significat. Itaque dubitandi locus erat, annon utroque loco Interpres scripsisset *Exceptans*, & *exceptabat*, pro eo quod nunc legitur *exspectandi* verbum. Sed tamen *exspectandi* significatione usus est Xenophon apud Budaeum: φησὶ γὰρ προσδέξεσθαι χρημάτων, προσδεχόμενος (*expectans*) καὶ ἄλλην στρατιὰν οἰκόθεν ἐκ Περσῶν. Apud Homerum ποτιδέγμενος idem significat. Eadem notione usurpavit hoc verbum Lucas II. 38. & Act. XXIV. 15. & Marcus heic; ac praeterea Auctor Machabaici alterius IX. 25. Sed & apud Graecos interpp. tum Ps. CIII. 12 tum Ruth. I. 12. προσδέχομαι respondet Hebraico יחל *jibber* (cum puncto in sinistro cornu τῦ ν) quod est *expecto*.

Audacter introivit ad Pilatum & petiit corpus Jesu.] Istud *Audacter* [τολμήσας] Marci est; qui tamen quo illud spectet, non dat intelligere. Sed bene est quod Joannes hujus voculae interpres subsidio venit, qui de hoc Josepho scripsit XIX. 38. ea, quae heic subnecto.

Eo quod esset discipulus Jesu, occultus autem propter metum Judaeorum.] Ea cur *Audacter* dixerit Marcus, quia adhuc occultus fuerat, ac nunc demum hoc facto se patefacit. Matthaeus de Josephi ab Arimathaea discipulatu Graece sic loquitur, ὃς καὶ αὐτὸς ἐμαθήτευσε τῷ Ιησῦ, quod recte expositi Interpres, *Qui & ipse discipulus erat Jesu*. Inepte Schmidius interpretatur, *Discipulos fecerat Jesu*. Nam etsi Matt. XXVIII. 19. μαθητεύσατε πάντα τὰ ἔθνη est *docere omnes gentes*, cum tertio tamen

Digitized by Google

men casu est id, quod dicimus *operam alicui dare*: Plutarchus de Isocrate: Εμαθήτευσε δ' αὐτῷ καὶ Θεόπομπος ὁ Χῖος καὶ Ἔφορος ὁ Κυμαῖος. Varinus: *Μαθητεύω αὐτὶ τοῦ μαθητὴς εἶμι*. Apud Ecclesiasticos Scriptores etiam deponens μαθητεύομαι eadem constructione ac notione reperitur, ut ὁ ἅγιος Ιερόθεος τῷ ἁγίῳ Παύλῳ ἐμαθητεύθη. Postremo, nequid dubites, etiam Syrus ad Matt. eamdem sententiam, quam Noster expressit: *Qui & ipse discipulus erat Jesu*: &, in quo caput est, Johannes quid sit μαθητεύειν exposuit, dum de eadem re dixit ὢν μαθητὴς, exsistens discipulus Jesu. At in Joannis verbis causalem *eo quod* (quae abest a Graeco) non tantum Noster, sed & Syrus expressit; uterque enim existimavit, illam αἰτιολογίαν in participio ὤν imbibitam contineri. Non tantum hic decurio discipulus occultus erat, sed (uti Jo: XII. 42. legitur) *Ex principibus* (ἐκ τῶν ἀρχόντων) *multi crediderunt in eum, sed propter Pharisaeos non confitebantur, ut e Synagoga non ejicerentur*. Quum Josephum discipulum Jesu audis, noli eum inter LXXII. annumerare; hi enim palam Christi sectatores erant, a quo & missi fuerunt. Sequitur ibid. apud Joannem, *Ut tolleret corpus Jesu*; ubi illud ἵνα [i. e. *Ut*] est ὑλικὸν; continet enim [τῆς ἐρωτήσεως τὸ ὑποκείμενον] rei postulatae argumentum; hoc enim ipsum Josephus petiit, ut liceret sibi corpus efferre. Marc. *Pilatus autem* [ἐθαύμασεν εἰ ἤδη τέθνηκε] *mirabatur si jam obiisset*. Syntaxis apud Graecos Latinosque elegantissima (quam & Syrus heic κατὰ πόδα expressit) quam recte possis exponere, *putabat nondum obiisse*. Ibid. sequitur: *Et arcessito centurione interrogavit eum, si jam mortuus esset*. Pro *jam* Graece est πάλαι, cujus vim heic recte Syrus expressit; *Si jamdudum mortuus esset*. Non enim damnati corpus recte ad sepulturam donabatur, nisi tempus aliquod effluxisset, ex quo constaret, eum vere exspirasse. Sed IAM pro *jampridem* apud non optimos Latinitatis auctores haud raro reperitur.

Et quum cognovisset a centurione, donavit corpus Joseph] Ceteri Evangelistae *dandi*, aut *reddendi*, aut *permittendi* verbo heic utuntur. At Marcus ἐδωρήσατο (quod non aliter quam pro *Dona* usquam repeni) usurpavit (ubi tamen Syrus ambiguo verbo יהב *jaheb* usus est, quod & *Do* & *Dono* significat) quo certe significavit, damnatorum corpora consuevisse pretio redimi, maxime a sordidis rectoribus; Pilatum autem senatoris reverentia tactum, illud Josepho dono dedisse. Et hoc vero ad Christi δεξιωθέντος partem est referendum, ut qui ab uno ex primoribus discipulis vilissimo pretio vivus Judaeis fratribus fuisset venditus, idem mortuus a gentili praeside dono daretur discipulo alteri (tum primum palam professo discipulatum) quantovis illum pretio mercari parato: huc enim spectat illud Matthaei supra expositum ἄνθρωπος πλούσιος, *homo dives*. Plenae sunt antiquorum paginae de cruciariis post mortem bestiarum & volatilium rapacitati expositis. Quocirca mirum non est, si (quod initio ex Marci locutione colligi, ostendi) ut ejus ignominiae a rectore provinciae gratia fieret, a consanguineis aut amicis saepe pretium persolveretur.

Joan. *Venit ergo & tulit corpus Jesu*] *Tulit* pro *abstulit*. Αἴρω verbum, quod hîc est apud Jo: saepe *asportandi* notionem habet, uti copiose ad Jo: VI. 12. demonstratum fuit. Heic vero non aliud significari, & res ipsa clamat, & quod Marcus & Lucas in hac historia καθελὼν (*deponens*) posuerunt; quod recte Syrus utrobique exponit *detrahendi* verbo.

Marc. *Joseph autem mercatus sindonem*] Vide quae de sindonis vocabulo dixi ad Marci XIV. 51. 52. Huc quod attinet: tres Evangelistae sindone Christi corpus amiciunt: at Joannes XX. 7. (ὀθονίοις) *linteaminum*, & *sudarii*, nulla *Sindonis* mentione facta: ex quo aperte colligo, Joannis *sudarium* idem plane fuisse, ac ceterorum *sindonem*, fuisse adeo sudarium latius quiddam quam pro solo capite velando, eoque caput simul & reliquum corpus obtectum fuisse. Multa sunt Chaldaica, aut Talmudica vocabula *sindonem* significantia; quorum tamen usum in velando capite praedicant. Atque haec de *sindone* quae *sudarium* Joanni dicitur. Ejusdem ὀθόνια *linteamina* respondent σιντίαις, *institis*, in Lazari historia Jo. XI. 44. quibus corpus constringebatur. Ibi quoque *sudarii* mentio est, sed ad velandum caput: & *facies illius sudario*: nam ceterum corpus & sudario seu sindone prius, tum desuper loris linteis stringebatur; at caput sudario sine fasciis obnubebatur. Sed de his vide dicta in dissert. praeced. pag. 89.

CAPUT II.

De Judaeorum, βουλευταῖς, decurionibus.

AD MARCI XV. 43.

Joseph ab Arimathaea nobilis decurio] Josephi hujus patria fuerit ne *Ramatha* inter Liddam & Joppem, ut Hieronymus censet, an *Ramathaim-Sophim* patria Samuelis, capite superiore exposuimus.

Sequitur: *Nobilis decurio*. Gr. εὐσχήμων βουλευτὴς.

λευτὴς. Sicut Vulgatus interpres ſcite Latinis auribus ſtilum attemperavit, dum βουλευτὴν vertit *Decurionem*; ſic non male εὐσχήμων reddidit *Nobilis*. Scio Graeca voce notari oris atque aſpectûs dignitatem. Verum intellexit Interpres heic tituli vicem gerere, qui eſſet βουλευτῶν peculiaris. Ei non male latine reſpondet *Nobilis*; nam a geſtis honoribus *ἐπίσημοι Nobiles* dicebantur, potius quam a ſtirpe & origine; ratione cujus εὐγενεῖς & εὐπατρίδαι appellabantur. Potuiſſet etiam interpres *ſplendidus* (quod erat ordinis decurionum ἐπίδοτον (aut *clariſſimus* vertere. Sed *clariſſimatus* ſcribente Luca nondum Decurionum titulus evaſerat. Eodem refer Actorum (17) duo loca, ubi γυναικῶν εὐσχημόνων eſt mentio.

Decurio] Graece βουλευτὴς tum apud Marcum tum apud Lucam in eadem hiſtoria: utrobique vero vetus Interpres *Decurionem* vertit. Ac plures interpretum, quos equidem viderim, intelligunt eo nomine unum ex Synedrio: nec enim aliam norunt βουλήν, quam illud LXX. virale concilium. Accedit quod Lucas XXIII. 51. hunc Joſephum *non conſenſiſſe* ait, *conſilio & actibus eorum*; eorum, ut interpretantur, qui de corpore ſynedrii erant. Verum Synedrii illius corporati tum in hiſtoria Paſſionis Dominicae, tum in Actis, aut Sacerdotes primi ordinis (ἀρχιερεῖς) aut *ſeniores & legiſperiti* erant & dicebantur: βουλευτῶν autem veſtigium nullum ubicumque de concilio illo agitur. Verum & εὐσχήμονες titulus, (de quo dixi ſupra) & ipſa βουλευτῆ vox, & quod hanc vocem vetus Interpres *Decurionem* reddidit, eo me ducunt, ut credam, fuiſſe in Judaeorum urbibus πολιτείαν (18) ſive graecanicae ſive latinorum municipiorum ſimillimam. De ἑλληνικῇ πολιτείᾳ in Judaeam ab Herode Magno invecta conqueruntur non uno loco Judaei apud Joſephum. Ante Herodem Gabinius quinque per totam terram Iſraëliticam ſive συνέδρια *conſeſſus*, ſive συνόδους *conventus* conſtituerat; quae utrum uſque ad Dominicae paſſionis tempora perduraverint, non temere in tanta rerum viciſſitudine dubitaverim.

Verum ut ut eſt, omiſſis Rabbinicis circa varia ſynedria παραδόσεσιν, ac multo certiorem ducem Joſephum, ipſoſque adeo ſcriptores divinos, ſecutus, quae de hac re comperiſſe videor, in medium proferam.

1. Ac primum ex Joſephi non uno loco didici, in ſingulis Judaeorum civitatibus βουλὰς ſive *curias* fuiſſe. Is in vita ſua §. 12. (p. 7. edit. H.) quum Galilaeae praefectus eſſet, τὴν τιβεριέων βουλὴν ad ſe arceſſit, quam βουλὴν ibi a πρώτοις τοῦ δήμου *primoribus populi* diſtinguit. Ex quo colligimus in ſingulis Judaeorum urbibus ſimiles βουλὰς fuiſſe.

2. Ac

(17) Act. XIII. 50. & XVII. 12. Priore loco ſic legitur: *Judaei autem concitaverunt mulieres religioſas & (σεβομένας) honeſtas, & primos civitatis . . . in Paulum . .* Ubi illud σεβομένας reſpondet matronarum *clariſſimatui*, quae nim. maritos habebant *viros clariſſimos*. Et ſane in inſcriptionibus antiquis notae *V. C.* in iis qui honores geſſerunt, exponuntur *Vir clariſſimus*, ſic in horum uxoribus additur *C. F.* hoc eſt *Clariſſima femina*. Supervacaneum eſt exempla producere. Vide indices Gruterianos. *Primi* (πρῶτοι) *civitatis* heic ſunt οἱ δέκα πρῶτοι (de quibus in ſequentibus dicetur) quos ut Judaei contra Paulum concitarent, eorum conjuges (γυναῖκας σεβομένας *clariſſimas feminas*) priores admotis ſtimulis concitarunt: quod & facile fuit (quippe *varium & mutabile ſemper Femina*) & mox ut ſubjectis facibus accenderentur, facillime viros ſuos inflammarent. Sic in VII. Aen. Alecto ſatis ſibi videtur Latini regiam conturbatura, ſi tantum reginae, & matronis aliis faces furiales ſubjiceret. Ergo non eſt dubitandum, quin heic γυναῖκες σεβόμεναι (h. e. *clariſſimae feminae*) ſint uxores τῶν δέκα πρώτων *decemprimorum* Antiochiae, Piſidiae, ac maritorum gratia σεβόμεναι *clariſſimae* appellentur.

Idem eſto judicium de poſteriore loco Act. XVII. 12. *Et multi quidem crediderunt ex eis* (Judaeis) & *mulierum gentilium honeſtarum* (non paucae). Poſterius hoc Graece ſic habet, καὶ τῶν Ἑλληνίδων γυναικῶν τῶν εὐσχημόνων: quod dupliciter interpretari licet, ſive *ex gentilibus feminis*, ſive *ex gentilibus uxoribus virorum clariſſimorum*. Sicuti eod. cap. V. 4. γυναικῶνες τῶν πρώτων οὐκ ὀλίγαι anceps eſt, ſive ut ſignificet *ex feminis primis non paucae*, ſive *ex uxoribus* (decem) *primorum non paucae*: ſed res eadem: nam *primorum* uxores communicato nomine *primae* nuncupabantur: quod & in ceteris dignitatum nominibus uſuvenit.

(18) In omnibus Graecis urbibus βουλὰς *publica conſilia* fuiſſe, nemo dubitabit, qui Graecos ſcriptores legerit. Quibus ad eam βουλὴν patebat aditus, ii βουλευταὶ dicebantur. At Lacedaemonii in ſuis civitatibus δεκαδαρχίας conſtituerunt; quo munere qui fungebantur, δεκάδαρχοι dicebantur. Vide Harpocrationem in Δεκαδαρχία. Quod mox latius ad ceteras urbes diffuſum fuit: nec enim puto alios fuiſſe τοὺς δέκα πρώτους *decem primos* Graecarum civitatum, quam illos Spartanae reip. δεκαδάρχας. Nec aliter res ſe habuit in Italiae municipiis. Ibi quoque *publicum conſilium* ſive *curia* erat ex decurionibus conflatum: ſupra decuriones vero *decemprimi* eminebant. De quibus in ſequentibus adnotationibus plura dicentur.

Digitized by Google

2. Ac ne forte ſuſpiceris, βουλὴν, de qua Fl. Joſephus, quicquam cum illis Judicum conſeſſibus, quos in ſingulis urbibus Judaei fuiſſe volunt, habuiſſe commune; notandum eſt βουλὴν Tiberienſem ad inſtar curiarum, quae ſive in municipiis, ſive in graecis civitatibus erat, fuiſſe conſtitutam. In his Graecis Latiniſque urbibus ſupra βουλευτὰς *curiales* ceteros eminebant οἱ δέκα πρῶτοι (19) *Decemprimi*, qui ſimul cum στρατηγοῖς i. e. *praetoribus*, *duoviris*, aut cujuſvis nominis magiſtratibus, rerum ſummam adminiſtrarent. Haud ſecus & Tiberiade (nec dubium quin & in ceteris urbibus) ſupra βουλευτὰς οἱ δέκα πρῶτοι, *Decemprimi* erant. Joſephus ibid. §. 13. ubi Tiberiadem deſcendiſſet; μετακεμψάμενος δὲ τοὺς τῆς βουλῆς πρώτους δέκα, *Accitis curiae decemprimis* (male interpres *decemprimoribus*; nam *decemprimi* apud latinos proprio vocabulo dicebantur) regiam ſupellectilem apud eos deponit. Vides ut non aliud Judaicarum urbium βουλαὶ fuerint, quam municipiorum *curiae*: id quod ex dicendis magis patebit.

3. Dicat heic forſan aliquis, non negari, quin & in Judaicis urbibus ceteris & Hieroſolymis βουλαὶ fuerint; at vero contendi, eas βουλὰς non aliud fuiſſe, quam quae Judaei doctores tribunalia varii generis prodiderunt. Nam dicent, credo, Tiberienſem βουλὴν fuiſſe XXIII. Judicum conſeſſum, in reliquis minoribus oppidis tantum trium; βουλὴν vero Hieroſolymitanam (cujus Joſeph ab Arimathaea βουλευτὴς erat) non aliud fuiſſe, quam celebre LXXvirale ſynedrium. Verum cauſa cadere non dubitabo, niſi ex eodem ſummae fidei hiſtorico oſtendero, multum inter Hieroſolymitanam βουλὴν & illud ſupremum LXXvirale concilium interfuiſſe. Et quidem perpetuum hoc Joſepho eſt, ut ſynedrium hoc per membra illud componentia circumſcribat; nam quia ex primariis ſacerdotibus & νομικοῖς *legisperitis* componebatur, hinc εἴτε ἀρχιερεῖς καὶ οἱ (20) δυνατοὶ (qui apud Joſephum, maxime in Ἀλώσει, tertio quoque verbo occurrunt) ſunt apud eum ſynedrii περίφρασις. Hoc intellecto, facile erit oſtendere βουλὴν Hieroſolymitanam diverſam a ſynedrio fuiſſe: nam in II. ἀλωσ. 16. §. 2. ait: Ἔνθα καὶ Ἰουδαίων εἴτε ἀρχιερεῖς ἅμα τοῖς δυνατοῖς, καὶ ἡ βουλὴ παρῆν, *ubi* (Jamniae ſcil.) *etiam Judaeorum tum principes ſacerdotum cum* δυνατοῖς (legis peritis) *tum & curiales aderant*, regi Agrippae reduci gratulaturi. Deinde eod. lib. cap. 17. initio (alias ad finem cap. 16.) βουλευτὰς ab ἄρχουσι diſtinguit: qui locus infra commodius expendetur.

4. Fort. & hoc excipi poſſit, non deeſſe plures ex Judaeis doctoribus, qui Hieroſolymis, praeter majus illud totius gentis ſynedrium, minorem quemdam trium & viginti conſeſſum admiſerint, in quo agerentur minores cauſſae. Ad hunc ergo Hieroſolymitana, de qua Fl. Joſephus, βουλὴ referenda erit. A quorum ego rationibus ut non praefracte diſſentio; ſic nec magnopere accedo; quippe qui animadverterim tum Hieroſolymitanam, tum etiam ceterarum urbium βουλὰς, non tam juridicos fuiſſe conventus, quam optimatium curiam, qui magis externam πολιτείαν & ſummam rerum adminiſtrarent, quam juri dicundo litibuſve dirimendis vacarent: etſi poſterius hoc etiam nihil eſt cur iis denegemus. Ad ſummam βουλὰς Judaicae βουλαῖς Graecarum urbium, aut ordini decurionum, qui in Romanis coloniis & municipiis erat, reſpondebant.

5. At illud extra dubitationem eſt, βουλὴν (cujus Joſeph ab Arimathaea corporatus erat) nihil habuiſſe cum LXXvirali concilio commune:

(19) In Graecis urbibus fuiſſe δέκα πρώτους, teſtis eſt Modeſtinus l. 10. D. *De pollicitationibus*, ubi Septicia quaedam inducitur ἀσφαλιζομένη παρὰ τοῖς δέκα πρώτοις ἀξιοχρέως ἐπὶ τῷ τελεῖν μοι τὸν ἐξ ἔτους τριῶν μυριάδων τόκον . . . *Cavens apud Decem primos idonee ſuper pendendis a me ſolitis triginta millium uſuris*. Unus ex iis in inſula Melita erat Publius hoſpes Apoſtoli Pauli, quem Lucas Act. XXVIII. 7. πρῶτον τῆς νήσου *primum inſulae* appellat. Vide ibi dicta. In minoribus urbibus fuiſſe πέντε πρώτους *quinque primos*, non decem, argumento eſt l. 2. C. *de privil. eor. qui in ſac. palat. militant*, ubi mentio eſt *pentaprotiae*. Sicuti & l. 18. §. 26. *Icoſaproti* i. e. *viginti primi*, & munus ipſum *Icoſaprotia* i. e. *vigintiprimatus* ab Arcadio Charifio memoratur; quod argumento eſt in amplioribus urbibus fuiſſe vigintiprimos.

Nec minus in Latinis municipiis aut coloniis Decemprimi erant. Cic. pro Roſc. Amer. Cap. 9. *decretum fuit decurionum, ut decemprimi ſtatim proficiſcantur ad Syllam*. Vide Norifium ad Cenotaph. Piſ. De Domeſticorum, ſcholarum &c. decemprimis nihil me attinet dicere: quae ſunt inferioris aevi.

(20) Quod δυνατοὶ (qui ſaepe apud Joſephum cum ἀρχιερεῦσι junguntur) ſint οἱ νομικοὶ legiſperiti, id ſuadere videtur, quod integra locutio fuiſſe videtur δυνατὸς ἐν λόγῳ, *eloquens*; aut δυνατὸς ἐν γραφαῖς, *ſcripturarum* (ſive *legis*) *peritus*. Prior locutio eſt apud Luc. XXIV. 19. & Act. VII. 22. poſterior Act. XVIII. 24. ubi Apollo *vir eloquens* & *potens in ſcripturis* dicitur.

Digitized by Google

mune. Nam 1. ut Hieroſolymis ſua Βουλὴ *curia* erat: ſic & in ſingulis urbibus ſingulae quoque βουλαὶ fuerunt, uti ſupra de Tiberienſi docuimus: at LXXviralis conſeſſus unicus in tota Iſraëlitica terra fuit, cui univerſi (21) parebant. 2. Deinde aliud Synedrii ac βουλῆς munus erat: illud cauſas capitales (22) ac de religione curabat: at (βουλὴ) *curia* (πολιτικόν τι σύστημα) *corpus civile* erat, tranquillitati civium ſtudens exactioneſque (23) fiſcales curans. 3. Adhaec Synedrii Senatores ex ἀρχιερεῦσιν, ex γραμματεῦσι ſeu viris litteratis, & ex πρεσβυτέροις legebantur: at (Βουλευταὶ) *curiales* ex nobilitate & cenſu creabantur. Eo pertinet τὸ πλούσιος Matthaei (24) & Marci τὸ εὐσχήμων. Ergo inter curiales non admittebantur, niſi εὐπατρίδαι, εὐγενεῖς, ἐπίσημοι, aut ſi quod aliud eſt ejuſdem rei vocabulum: quum interim magni ſynedrii membra ex ſacerdotio & doctina cenſerentur. 4. Accedit quod ſynedrii membra, uti ſuſpicor, ut plurimum Phariſaei (25) erant: at βουλευταὶ plerumque Sadducaei; uti diſerte Joſephus de Sadducaeis (26) teſtatur. 5. Poſtremo Synedrii princeps *Naſi* dicebatur, ut ceteros Synedrii praefides a Rabbinis traditos taceam: at in βουλῇ ſeu curia *Decemprimi*; deinde & ſupra hos στρατηγοὶ, *magiſtratus* ſive *praetores*, ſeu *duoviri* eminebant: de quibus στρατηγοῖς mox eſt dicendum. Nam quaedam prius de Syriaco בולוטא *Bulevti*, & de Talmudico vocabulo בולווטים *Bulevtis*, quod eſt ipſiſſimum βουλευτὰς; deinde & de Latino *Decurionum*, non illibentur ſubnectam.

Sciendum eſt enim in Syriaca verſione hoc vocabulum immutatum reperiri. Qui interpres Marci XV. 43. ſic poſuit: *Joſeph a Rometa* (מיקרא בולוטא *mejakkero bulevti*) *honorabilis bulevtes* h. e. decurio. Sic etiam Luc. XXIII. 50. בולוטא מן רמתא *bulevti men Rometa*, i. e. *bulevtes a Rometa*. Ejuſdem vocabuli multa eſt

---

(21) LXXvirali Synedrio univerſi quaqua verſum Judaei parebant. Plura in Joſephi ſcriptis hujus rei monumenta exſtant; ſive quum Herodes (nondum regnum adeptus) reus in hoc tribunali peragitur; ſive quum Joſephus Galilaeae praefectus de rebus omnibus Synedrium docet: vide Joſephum in vita ſua initio pag. 7. Idem in XIII. Antiq. cap. 9. (pag. mihi 700. ad finem §. 3.) ſcribit, nemo affici morte potuiſſe, niſi a Synedrio damnatum.

(22) In XIV. Antiq. (in edit. Haverc. cap. 9. p. 700. ad finem §. 3. ὃς (νόμος) κελεύει ἄνθρωπον ἀναιρεῖν καὶ κοινὸν ὄντα, εἰ μὴ πρότερον κατακριθείη τοῦτο παθεῖν ὑπὸ τῆς συνεδρίου. *Quae lex hominem quamlibet malum votat interfici, niſi prius a Synedrio fuerit capitali ſententia damnatus.*

(23) Joſephus in II. ἀλωσ. (in edit. Haverc. initio cap. 17. p. 192.) εἰς δὲ τὰς κώμας οἵ τε ἄρχοντες καὶ οἱ βουλευταὶ μεριοθέντες τοὺς φόρους συνέλεγον. *Inſuper principes & decuriones per vicos diſtributi, tributis colligendis operam dabant.* In Romano jure nihil tritius, quam decuriones ad eas, quas dixi, exactiones adigi. Vide l. 17. §. 7. D. *Ad municipalem*, & quas plures de ea re citat Briſſonius in IV. ſelectar. ex jure civ. antiq. 13.

(24) Matt. XXVII. 57. vocatur hic Joſeph ἄνθρωπος πλούσιος ἀπὸ Ἀριμαθαίας, *homo dives ab Arimathaea*. De Marci vocabulo εὐσχήμων alibi diximus.

(25) Synedrii non minimam partem Phariſaeos fuiſſe, conſtat ex Jo: XI. 47. ubi pontifices & Phariſaei συνήγαγον συνέδριον, *coëgerunt concilium:* Et Gamalielem, qui in Synedrio in cauſa Apoſtolorum graviſſime ſententiam dixit, Phariſaeum & legis doctorem fuiſſe, ex Act. V. 34. conſtat. Caiphas apud Joſephum, ſi probe memini (qui certe ex Synedrio erat) Phariſaeus fuit, etſi poſtea ad Sadducaeorum caſtra tranſiit. Quid plura? Quaeſtiones de religione, ac legis interpretatione, de quibus judicium ferebat Synedrium, non tantum ſcriptae legis, verum multo magis legis, quam oralem vocant, ſive traditionum, auctoritate decidebantur. At Sadducaei traditiones repudiabant.

(26) Βουλευταὶ optimates erant, quos magna ex parte Sadducaeos fuiſſe, teſtatur Joſephus in XIII. Antiq. (c. 10. §. 7. edit. Haverc. p. 663.) τῶν μὲν Σαδδουκαίων τοὺς ὑπόρους μόνον πείθονται. *Sadducaeis locupletes tantum in ſuas partes pertrahentibus.* Itaque Act. V. 17. *haereſis Sadducaeorum*, quae cum ſummo ſacerdote erat, non eſt aliud, quam [οἱ στρατηγοὶ] *magiſtratus*, ceterique [Βουλευταὶ] *decuriones*. Locus ſic habet. *Exſurgens autem princeps ſacerdotum, & omnes qui cum illo erant, (quae eſt haereſis Sadducaeorum, ἡ οὖσα αἵρεσις τῶν Σαδδουκαίων) .. injecerunt manus in Apoſtolos & poſuerunt eos in cuſtodia publica.* Hi certe qui cum Pontifice erant, quum manus in Apoſtolos injecerint, quum eos in publicum carcerem conjecerint, non potuerunt non στρατηγοὶ eſſe cum cetera Βουλῇ; quibus & [ὑπηρέται] miniſtri parebant, & penes quos [ἐξουσία] *poteſtas* (cujus mentio eſt Luc. XXII. 53.) legitima erat. Hos autem omnes fuiſſe ex haereſi Sadducaeorum adſcriptus Actorum locus, teſtatur.

Digitized by Google

eſt apud Talmudicos (27) mentio. Nec eſt dubitandum quin idem apud (28) Talmudicos ſit intelligendum, ac quod Syrus interpres in Marci & Lucae interpretatione eo vocabulo deſignavit. Si vera tamen narrant Talmudici; *buleutarum curia* (29) in Templo fuit; quod ad intelligendum quid ſint *magiſtratus Templi*, ſpero valebit.

Supereſt, ut de *decurionis* voce, quam heic ſummo (30) judicio uſurpavit interpres, pauca dicam. Pomponius l. 239. §. *decuriones*. D. *de verb. ſign.* ait: *Decuriones, quidem dictos ajunt ex eo, quod initio, quum coloniae deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, conſilii publici cauſa conſcribi ſolita ſit.* Recte monuit Juriſconſultus quoſdam ſic ſenſiſſe: nam ceteroqui ineptam originationem puto. Vigintimillia patrum fam. in Campaniam coloniam a Caeſare tranſcripta fuere; ex iis tamen (teſte Cic. in altera Agraria) centum tantum non biſmille, decuriones erant. Niſi vero volumus, *initio* (non temere enim hoc verbum uſurpavit Pomponius) id obtinuiſſe, poſtea mutatum.

Verius putabam *Decurionis* nomen reſpondiſſe Graecarum urbium δεκαδάρχαις. idque poſtea ab omnibus veteribus Gloſſis confirmatum reperi, in quibus Graeco vocabulo Δεκαδάρχης, ſeu Δεκάρχης, aut Δεκάδαρχος reſpondet Latinum *Decurio*. Sicuti autem Τετραδάρχαι, & τετράρχαι quatuor erant, ſic & Δεκαδάρχαι non ii ſunt, qui decadem regerent, ſed *denos duces* ſeu *decemviros* ſignificant. Ergo & *Decuriones* initio deni erant ad inſtar Δεκαδάρχων Graecanicorum (de quibus vide Harpocrationem) poſtea aucto numero, nomen tamen Decurionum manſit. Erat enim major minorve decurionum numerus pro modo coloniae aut municipii: ſed ita tamen ut fixus in unaquaque urbe numerus eorum eſſet, quem ultra (31) non excederent. Atque haec de *decurionibus* ſuffecerint; nam cetera jam occuparunt viri doctiſſimi. Ceterum Latinum id vocabulum integrum alicubi Talmudici uſurparunt; nec dubito, quin pro βουλευτῇ Evangelico (32) adhibuerint.

(27) Exempla Talmudica vide in Buxtorfii lexico Talmudico in hoc vocabulo.

(28) Contendit Lightfootus ad Marci XV. 43. & alibi, Talmudicos *buleutin* fuiſſe ſummi pontificis *conſiliarios* & *aſſeſſores*, eique adſediſſe in conclavi Templi, quod dicebatur לשכת בולוטי *buleutarum conclave*. Id quod elicere conatur ex Joma fol. 8. 2. Vtar heic autem Buxtorfiana interpretatione in Lex Talm. col. 1804. longe meliore, quam eſt illa Lightfooti. *Quid* (eſt) לשכת פרהדרין (i. e. conclave τῶν παρέδρων)? *nonne ab antiquo dictum fuit* לשכת בולוטי (i. e. conclave τῶν βουλευτῶν)? *ex quo autem ſacerdotium pecuniis fuit venale, mutarunt illud ſingulis* 12 *menſibus; ſicut aſſeſſores bi quoque mutati fuerunt ſingulis annis; & tunc vocarunt illud conclave* (פרהדרין i. e. παρέδρων) *aſſeſſorum*. Adde & hoc (ex Buxtorfio ibid.) Joma in princ. *Separant ſacerdotem ſummum ex domo ſua in conclave aſſeſſorum regiorum*. Ex his ergo videtur intelligi τοὺς παρέδρους pontifici adſediſſe, hos vero antea βουλευτὰς appellatos. Sed hae nugae ſunt. Nec Lightfootum ibid. audio, qui damnat Gloſſae interpretationem, quae ibi *buleutas* interpretatur שרים i. e. *principes*; quum ipſe deſignari velit *conſiliarios*: recte, ſi etymon vocis ſpectetur: ſed uſus vocabuli valuit, ut βουλευτὰς, quod ceteroqui vocabulum apud Graecos non tam *conſiliarium* notat, quam unum *de* (βουλῇ) *conſilio*, vix aut ne vix quidem ab ἄρχων differret. Talmud Hieroſ. in Zaanis fol. 69. col. 1. *Quid tu petis fieri* (ארכונטום *archontus* i. e. ἄρχων) *princeps & buleutes?*

(29) Colligitur id ex locis in praecedente adnotatione adſcriptis. Vide quoque Lightfootum to. 1. in diſcriptione Templi cap. 25. ubi agit de *conclavi paredrin*, quod volunt Talmudici antea fuiſſe vocatum *liſchath buleutin*, conclave buleutarum. Situm erat hoc conclave ad *portam aquae*; & ex Lightfooti mente inter *Gazith* i. e. conclave ſynedrii magni, & *conclave paredrin*, ſeu *buleutin*, nihil aliud intererat, niſi *Porta aquae* & *Conclave putei*. Cetera, quae ibidem argutatur Lightfootus (puta quod *buleutae*, poſtea *paredri* appellati, non aliud fuerint, quam aſſeſſores ſummi pontificis, nempe *Sagan*, *duo Catholikin*, *ſeptem Immarcalin*, & *tres Gizbarin*, qui conſiliarii pontificis fuerint circa ſarta tecta Templi; & quae plura his affert) nauci non ſunt. Jam modo animadvertimus βουλευτὰς apud Graecos non eſſe *conſiliarios* ſeu *aſſeſſores*, ſed eos qui ſunt de βουλῇ ſeu *Conſilio*, h. e. *Senatores*.

(30) In omnibus Gloſſis Graecolatinis Graeco vocabulo βουλευτὴς reſpondent latina *Decurio*, & *Curialis*: & βουλευταὶ in vet. onomaſtico ſunt *Senatores*: ut βουλὴ eſt *Ordo*, *Curia*, *Senatus*, *Decurionatus*.

(31) Id quod ex quadam lege, quam ad manus non habeo, deprehendi; ex qua intelligitur quoſdam, quia patrem curialem haberent, adlectos fuiſſe, cum eo tamen, ut locum exſpectarent.

(32) Ex Jalkut in Leg. fol. 308. col. 2. haec affert

Digitized by Google

CAPVT III.

De Judaeorum στρατηγοῖς h. e. magiſtratibus *aut* duoviris.

QVid ſint in coloniis & municipiis Graeco ore loquentibus στρατηγοὶ, non aliunde melius, quam ex Act. XV. 20. 35. poſſumus intelligere, ubi in colonia Philippenſi στρατηγοὶ (quos Noſter ſcitiſſime (33) *magiſtratus* interpretatur) ſummae rei praeſunt. Ii vero v. 35. ῥαβδοῦχοι i. e. lictores habent. Prorſus ut heic στρατηγοὶ non alii ſint, quam coloniae duumviri, quibus in coloniis & municipiis lictores cum bacillis (34) aut faſcibus praeibant. Poſſis eoſdem *praetores* interpretari (& certe Graeci Romanae rei ſcriptores Romanos praetores στρατηγοὺς ſemper appellant) nam Capuae (35) & in aliis quibuſdam coloniis *praetores* dicebantur, qui alibi paſſim nuncupabantur *duumviri*. Ac bene, uti dixi, Interpres Vulgatus *magiſtratus* reddidit, γενικῷ uſus vocabulo. Sane in Philoxeni Gloſſis tum *Magiſtratus*, tum etiam *Duumvir* Graeco nomini Στρατηγὸς reſpondet. Et in Cyrilli Gloſſario Στρατηγία redditur *Magiſtratus*, *Duumviratus*. Atque omnino *Magiſtratus* & *Duumviros* duo eſſe rei ejuſdem vocabula, h.e. *magiſtratus*; nomen etſi generale, peculiariter tamen de duumviris uſurpari (36) non eſt dubium. Atque haec de colonicis aut municipalibus στρατηγοῖς.

At Hieroſolymis quoque στρατηγοὶ erant ex Lucae Evangelio & Actis. Qui tamen aliud a Colonicis illis fuiſſe videntur; quippe quum στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ (37) i. e. *ſtrategi* (vulg. *Magiſtratus*) *Templi* appellentur. Joſephus tametſi non addit τοῦ ἱεροῦ, tamen ſatis dat intelligere de Templi praefecto ſe loqui; quando in II. λόγ. 17. (p. 129. edit. Haverk.) ait: Ἅμα δὲ καὶ κατὰ τὸ ἱερὸν Ελεάζαρος υἱὸς Ανανίᾳ τοῦ Αρχιερέως, νεανίας θρασύτατος, ΣΤΡΑΤΗΓΩΝ ΤΟΤΕ, &c. *In templo quoque Eleazarus, Ananiae pontificis filius, qui TVNC STRATEGVM AGEBAT, iis qui* (ſecum ordinem vicis ſuae) *miniſtrabant, perſuadet, ne cujus alienigenae munus aut hoſtiam acciperent.* Quem mox etiam rurſus στρατηγοῦντα ſic appellat, ut tamen ſatis a quovis intelligatur, eum in Templo muneris aliquid habuiſſe. Ergo *ſtrategi* (i.e. praefecti militiae) *templi* ejus cuſtodiae prae-

---

affert Buxtorfius in Lex. Talmud. col. 571. *Quod curreret* (דיקורין) *Decurio quidam poſt Iſraëlitam in equo.* Quod vocabulum ibi Gloſſa interpretatur ראש החיילות i. e. *dux exercitus:* male: nam quamvis apud latinos *Decurio* nonnunquam militare eſt vocabulum; haud tamen is *Dux exercitus* dici poterat, qui denos duceret. Ergo in adſcripto loco videtur πολιτικὸν ἀξίωμα, *civilis dignitas*, deſignari, qualem in Judaeis urbibus fuiſſe, hactenus docuimus.

(33) Scite noſter tum coloniae Philippenſis στρατηγοὺς *magiſtratus* reddidit, tum etiam τοῦ ἱεροῦ στρατηγοὺς Luc. XXII. 4. 52. Act. IV. 1. V. 24. *Magiſtratus Templi* eſt interpretatus. Etenim id vocabulum in Vet. Gloſſis redditur & *Magiſtratus*, & *Duumvir*, & *Praetor*; quae ſunt ſynonyma, ut infra oſtendetur.

(34) Appulejus in I. Met. *Et lixas & virgas & habitum prorſus magiſtratui convenientem in te video.* Et in X. Met. *Thyapus . . . ut majeſtati capeſſendorum reſponderet faſcium*, munus edebat. Arcadius & Honorius l. 53. C. de Decur. *Duumvirum impune non liceat extollere poteſtatem faſcium extra metas territorii propriae civitatis.*

(35) Ii quidem paſſim *duumviri*, at alicubi *praetores* appellabantur. Ex eo quidem Cicero in II. Agrar. 34. in Campanis *praetoribus* ſuperbiae argumentum captat. Sed non erat neceſſe; quia Praetor γενικὸν nomen eſt a *praeeo* deductum. Itaque *Fundani praetoris* meminit Horatius in I. ſerm. V. 34.

(36) Livius XXXIV. 7. *Magiſtratibus in coloniis municipiiſque togae praetextae habendae jus eſt.* In Plinii ad Trajanum epiſt. 82. *Qui ineunt magiſtratum, ſolent totam bulen . . . vocare, binoſque denarios . . dare.* In l. 18. C. de Decurion. qui initio *magiſtratus* appellatur, mox idem dicitur *Duumviratus*. Confer l. 2. eod. tit. & alibi paſſim.

(37) Στρατηγὸν τοῦ ἱεροῦ *magiſtratuum Templi* meminit Lucas LXII. 52. *Dixit autem Jeſus ad . . principes ſacerdotum* (& στρατηγοὺς τοῦ ἱεροῦ) *magiſtratus templi, & ſeniores: quaſi ad latronem exiſtis . .* Nec dubium eſt, quin iidem ſint *magiſtratus* ſine additamento *Templi*, de quibus ſup. v. 4. ubi Judas *locutus eſt cum principibus ſacerdotum &* (στρατηγοῖς) *magiſtratibus, quemadmodum illum traderet eis.* Praeſertim quum Syrus heic quoque vocem *Templi* addiderit. Adhaec Act. IV. 1. *Loquentibus autem illis* (Apoſtolis) *ad populum ſupervenerunt ſacerdotes, & magiſtratus templi* (num. ſing. nam Graece eſt ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ) *& Sadducaei.* Et V. 24. *Vt autem audierunt hos ſermones* (nim. Apoſtolos in carcere non fuiſſe repertos) *magiſtratus* (num. ſing. ὁ στρατηγὸς τοῦ ἱεροῦ) *Templi, & principes ſacerdotum.* Mox v. 26. *Tunc abiit Magiſtratus* (ὁ στρατηγὸς) *cum miniſtris, & adduxit illos Apoſtolos, ſine vi . . & . . ſtatuerunt* (illos) *in concilio.* Haec ſunt

praeficiebantur (38) nequid turbarum ibi cieretur, iisque urbani milites (quos *vigiles* appellare possis) parebant. Itaque Templi *strategi* dignitas militaris erat: contra *strategi*, sive *duumviri* coloniarum summus erat in coloniis magistratus civilis, qui non eo *strategi* vocabantur quod ductarent exercitum, sed quod *consulibus* sive *praetoribus* (olim enim *praetores* Romae dicebantur, qui postea *Consules* sunt appellati) Romanis responderent, qui praetores Graecis στρατηγοὶ dicebantur.

Sed tamen illud ipsum additum τῦ ἱερῦ arguere videtur, fuisse Hierosolymis & alios στρατηγὺς, qui simul cum δέκα πρώτοις *decem primis*, ceterisque (βουλευταῖς) *curialibus* curiam universam conflarent. Quis scit an non στρατηγοὶ illi, de quibus Luc. XXII. 4. (39) civiles essent, diversi a Templi strategis? Quin & tales etiam illi Luc. XXII. 52. fuerint, si vera sit Cod. Cantabrigiensis (40) lectio. Praesertim quum non appareat, quid templi *Strategos* plures fuisse coëgerit; & Act. IV. 1. & V. 24. & apud Josephum loc. supra citato unus *strategus* templi memoretur.

Verum omissis audacioribus conjecturis, donec lux certior affulserit, sic statuamus, Hierosolymitanos *strategos* eos fuisse, qui in municipiis *duumviri* dicebantur (qui & דיומולין *dejophulin* i. e. duumviri (41) in Talmude appellantur, quasi *duo* (פולין *phulin*, *legati*) qui & βουλῇ praeerant, & iidem custodiam sub se habebant. Ea *custodia* quia potissimum securitati Templi (in quod seditiosis per id tempus grassari curae erat) destinata erat, idcirco *strategi* illi seu duumviri, *strategi templi* appellabantur.

Accedit quod quum βουλὴ i. e. *curia* in Templo esset (uti ex Talmudicis sup. demonstratum fuit) hinc non male illius curiae *magistratus* seu *duumviri*, στρατηγοὶ τῦ ἱερῦ *Magistratus Templi*, a loco scil. dicebantur. Hinc vero cave colligas, non aliud, quam Templi custodiam, illis muneris datum, aut extra Templum nihil potestatis habuisse. Nam per totam urbem ejusque territorium coërcitionem & (ἐξουσίαν de qua Luc. XXII. 53.) *potestatem* exercuisse, certissimum est, idque constat ex Christi prehensione (cui *duumviri* seu *magistratus* non tantum interfuerunt, sed & praefuerunt ex Luc. XXII. 4. 52.) in monte Olivarum facta.

Et quando Christi prehensionis mentio incidit; videamus quid sit illud Jo: XVIII. 3. *Judas ergo quum accepisset cohortem, & a Pontificibus & Pharisaeis ministros.* Duplex agmen ducit heic Judas, *cohortem* (quae certe Romana erat) *& ministros*. Hos a synedrio (cujus est heic περίφρασις *Pontifices & Pharisaei*; nam uti supra docuimus, magni Synedrii patres plerique Pharisaei erant) accepit. Cohortem a

---

sunt loca omnia, in quibus de magistratibus templi mentio incidit.

(38) Haec visa est potior interpretatio explanatoribus, quae & Chrysostomo ad Matt. XXVI. placuit. Ceterum Theophylactus, qui sua ex Graecis antiquioribus consarcinavit, & hanc interpretationem affert, & alias non contemnendas. Verba Theophylacti ex Latino interprete adscribam, qui Graecum non habeam. Itaque ad Luc. XXII. 4. στρατηγὺς (*magistratus*) interpretatur *praefectos aedificiis templi; vel etiam censores, ut qui curarent ea, quae ad bonum ordinem servandum pertinebant. Praefecerant enim quosdam Romani populo, ne turbaretur, quandoquidem seditiosi erant. Illos igitur vocat* στρατηγὺς. Et ad Luc XXII. 4. eosdem interpretatur *praefectos aedificio & constructioni Templi*, quos & *aediles* ibi appellat.

(39) Vide locum sup. not. ubi *Templi* nulla est mentio. At Syrus tamen ibi etiam *Templi* additum posuit, qui in eo Lucae capite non tantum in 52 commate, sed & in quarto *magistros militiae Templi*, illos στρατηγὺς interpretatur.

(40) In Cantabrigiensi confessae antiquitatis codice Luc. XXII. 52. pro vulgata lectione στρατηγὺς τῦ ἱερῦ, *Magistratus Templi*, legitur στρατηγὺς τῦ λαῦ *magistratus populi*. Ea si sit vera lectio; in utroque Lucae Evangelii loco (Luc. XXII. 4. 52.) strategi illi non alii sunt, quam *populi magistratus*, sive Hierosolymitani duumviri. In Actis vero (IV. 1. V. 24.) & apud Josephum locis supra productis de templi magistratu agitur: sed is unus erat (nec plane apparet, cur plures militiae praefecti in Templo esse debuerint), quippe quum num. sing. in Actis & in Josepho ponatur.

Sic quidem conjiciebam. Sed vana est conjectura. Cantabrigiensis codex contra ceterorum concordem lectionem & versiones omnes nihil habet virium. Syrus, uti modo dicebam, etiam Luc. XII. 4. *Magistratus Templi* agnoscit. Christus ipse στρατηγὺς (de quibus Luc. XXII. 52.) alloquens, ait v. 53. *Quum quotidie vobiscum fuerim IN TEMPLO, non extendistis manus in me.* Ex quo fit, στρατηγὺς *strateges* illos; vere Templi *strategos* fuisse in Actis; & apud Josephum num. sing. id vocabulum scribitur, quia de uno eorum res erat.

(41) In Talmud. Taanith fol. 18. 2. *Non recesserunt inde, donec venirent* [*dejophulin*] *duumviri*

Digitized by Google

quibusnam acceperit, non dicit Joannes. Accepit certe a στρατηγοῖς magistratibus seu duumviris, quibus in festo Paschatis, Josepho teste, militum Romanorum manus, ex iis qui in Turri Antonia stativa habebant, dabatur ad compescendos tumultus, siqui forte exsisterent. At extra id sollemne, nulla ne militum manus στρατηγοῖς *magistratibus* praesto erat? Non est dubium, quin vigilum urbanorum manus magistratibus paruerit; iique sunt certe στρατεύομενοι (nec temere ibi Lucas, non στρατιῶτας *milites* dixit, sed (42) στρατευομένους) Luc. III. 14. qui Joannem interrogabant. *Quid faciemus?* At in magno Judaeorum festo etiam cohors Romana illis a Praefide attribuebatur. Judas ergo (qui Luc. XXII. 4. cum *principibus sacerdotum* h. e. Synedrii patribus, & cum *magistratibus* i. e. curiae principibus, de modo prehendendi Jesu colloquium habuit) Jo. XVIII. 3. ab utrisque copias accepit, ab illis *ministros* seu apparitores omnium latebrarum peritos; ab his autem cohortem Romanam, quae tunc magistratibus praesto erat non sine urbanis militibus, qui etiam nomine cohortis heic, credo, veniunt. Hinc opportune cum στρατηγοῖς & pontificibus expostulat Christus Luc. XXII. 52. *Quasi ad latronem existis cum gladiis & fustibus.* Ad latrones νεωτερίζοντας (*res novas molientes*) dabatur ea cohors. *Gladii* militum; at *fustes* (Graece ξύλα *ligna*, fort. eadem ac ῥάβδοι, unde ῥαβδοῦχοι ii ministri dicebantur) ministrorum erant.

CAPUT IV.

De Ἄρχουσιν h. e. principibus.

Antequam huic dissertationi finem imponam; videndum & de Ἄρχοντες vocabulo; quod in N. F. pro variis adjunctis varia significat. Nihil heic dicam de ἄρχουσιν τῶν δαιμονίων *principibus daemoniorum*: nec de eo vocabulo γενικῶς sumpto, ut Matt. XX. 25. οἱ ἄρχοντες τῶν ἐθνῶν, nec de ἄρχοντι τῆς συναγωγῆς principe synagogae Luc. VIII. 41. sed de iis locis videndum, ubi quis *princeps Judaeorum*, ubi *princeps populi*, ubi absolute *princeps*, aut *principes nostri, vestri*, dictum reperitur. Scire enim interest, quid sibi velit hoc vocabulum; membra ne synedrii notet, an βουλῆς *Curiae*? Membra synedrii fuisse haud praestare ausim: videndum an βουλῆς membra fuerint.

Sane ex Josephi II. ἀλωσ. cap. 17. initio (alias fine cap. XVI.) ἄρχοντες distinguuntur a βουλευταῖς. Ait enim εἰς δὲ τὰς κώμας εἴτε ἄρχοντες καὶ οἱ βουλευταὶ μεριεθέντες τὰς φόρους συνέλεγον, *Insuper tum principes tum decuriones per vicos distributi, tributa colligebant.* Non continuo tamen nihil ἄρχουσι cum βουλῇ commune fuit. Quid si enim ἄρχοντες iidem ac δέκα πρῶτοι? Scimus ἄρχοντας Athenis numero decem fuisse. Itaque respondebant ceterarum urbium δέκα πρώτοις. Quumque ἄρχοντες τῶν Ἰουδαίων, aut ἄρχοντες λαοῦ legitur, quid hoc aliud, quam δέκα πρῶτοι significat? Accedit, quod τῶν φόρων ἡ συλλογὴ tributorum onerumque fiscalium exactio peculiare munus decemprimorum erat, ut alibi ostensum fuit. Itaque si ἄρχοντες iidem ac decemproti, non a βουλευταῖς *decurionibus* ita diversi erant, ut ad curiam non pertinerent, sed ut supra ceteros decuriones eminerent. Ceterum quia quaedam Evangelii loca sunt, ex quibus appareat ἄρχοντας LXX virali synedrio interfuisse, videtur ex iis posse intelligi, non omnes βουλευτὰς *decuriones*, sed tantum ἄρχοντας, seu δέκα πρώτους membra fuisse synedrii.

Quando nam haec πολιτεία, de qua hucusque, introducta fuerit? Restat hoc disquirendum, quando primum ea πολιτεία in Terram Israëliticam inducta fuerit, ut in singulis urbibus βουλαὶ, & στρατηγίαι fuerint. Herodesne id primus aggressus est? quem certe Judaeorum patrios mores, inducta gentium πολιτεία, adulterasse frequens apud Josephum & gravis querela popularium fuit. An antea sub Gabinio? qui cum terram Israëlitarum universam in quinque conventus dispertierit, verisimile est ab eodem & βουλὰς & στρατηγίας singulis in urbibus Romano more invectas. An postremo id tum demum in mores inductum fuit, quum Judaea in provinciae formam redacta, etiam civitates regimen reliquo Romano imperio consentaneum obtinuerunt?

SPI-

---

viri de civitate, & cerebrum ejus baculo collisere. Glossa id vocabulum interpretatur שני שרים *duo principes*. Baal Aruch exponit שני שלחים *duo legati*. In Jonathanis paraphrasi פולין *phulm* sunt *legati*.

(42) Luc. III. 14. *Interrogabant autem eum* (Joannem) *& milites* (Graece στρατευόμενοι i.e. *militantes*) *dicentes, Quid faciemus & nos?* Certe Romani milites ab eod. Luca VII. 8. & XXIII. 36. ceterisque Evangelistis usitato vocabulo στρατιῶται appellantur. Nec temere heic στρατευομένων *militantium* vocabulum usurpatur, ut intelligatur, hos ab illis diversos esse. Hi enim Judaei erant, non proprie *milites* (στρατιῶται, quod vocabulum Romanarum legionum peculiare erat) sed tamen *militantes*; Et Judaeos fuisse, non est dubium; quando non unus & alter, sed gregatim multi ab Joanne monita salutis petebant, de quibus mirum si gentiles sollicitos se praeberent.

Digitized by Google

SPICILEGIVM
OBSERVATIONVM LITTERALIVM
IN LVCAM.

PROLOGVS.

SAnctum Jesu Christi Evangelium secundum Lucam] Λευκᾶς *nomen est ex longiore Hebraico more contractum: cujus contractionis exempla non pauca affert Grotius initio in Lucam; & scio plura afferri posse. Neque huic tamen assentior* Lucam *ex* Lucillio *arcessenti, nec Origeni ex* Lucio. *Propius fidem est ex* Lucano Λευκᾶν *curtatum esse; quippe cum in aliquibus antiquissimis scriptis codicibus apud Millium* Lucani *nomen huic Evangelio praescribatur; & in calce codicis Cottoniani apud Mabillonium to. 1. Musei Italici pag. III. sic notatur:* Explicit liber Evangelii secundum Lucanum. *Adhaec in vetustissimo musivo in Ecclesia S. Prisci in Capuae pago cognomine, (quod musivum videtur quinti vel sexti saeculi ni fallor) sub S. Lucae Evangelistae effigie scriptum reperi S. LVCAN... Hickesius quidem lib. 2. thesauri septentrionalis pag. 251. (relatus a Fabricio to. 3. biblioth. Graecae pag. 132. not. 1.) ex more sequioris aetatis id fluxisse credit, quo pro Beda Bedanus, pro Offa Offanus dicebatur: sed de S. Luca non mihi persuadet, praesertim propter Musivi modo memorati epigraphen. Quid si illa inscriptio* Evangelium secundum Lucanum *ex Marcionitarum officina prodierit? scimus Marcionem & ejus sectatores non aliud quam Lucae evangelium, & hoc quidem a se interpolatum, admisisse. Nec Marcio ipse solum, sed & ejus discipulus Lucanus evangelium illud corrupit, teste Origene lib. 2. contra Celsum pag. 77. edit. Cantabrig.* Μεταχαράξαντας δὲ τὸ εὐαγγέλιον ἄλλους οὐκ οἶδα, ἢ τοὺς ἀπὸ Μαρκίωνος, καὶ τοὺς ἀπὸ Οὐαλεντίνου, οἶμαι δὲ καὶ τοὺς ἀπὸ Λευκανοῦ. *Cum ergo sive Lucani asseclae haud ferenda confidentia, sive catholici (si hoc mavis nimirum ad detegendam fallaciam) evangelio illi praescriberent* τὸ κατὰ Λευκανὸν εὐαγγέλιον: *hinc secutis temporibus ex antiquarum rerum ignoratione fieri potuit, ut illa inscriptio etiam in orthodoxa Lucae exemplaria manarit; idque in eam partem fuerit acceptum, quasi qui Lucas, idem & Lucanus diceretur.*

Quod Glycas, Cedrenus, & Nicephorus hunc Evangelistam ex olea pependisse tradunt; ei famae ansam dedisse videtur hoc, quod S. Hippolytus apud eundem Millium narrat, eum in Elide sive Elea regione Peleponnesi cruci suffixum fuisse.

AD LVCAE I. 1.

Quae in nobis completae sunt, rerum] Gr. περὶ τῶν πεπληροφορημένων ἐν ἡμῖν πραγμάτων. Τὸ πληροφορῆσαι ea notione, qua Lucas noster Antiochenus hîc usurpavit, eadem Ignatii comites iidemque Antiocheni, adhibuerunt, qui S. Martyris consummationem Deum orabant, ut quamquam de Martyris beata sorte minime dubitarent, tamen aliquo signo testatam facere dignaretur. Παρακαλέσαντες τὸν Κύριον πληροφορῆσαι τοὺς ἀσθενεῖς ἡμᾶς ἐπὶ τοῖς προγεγονόσι. *Precantes Dominum, ut*

Digitized by Google

uti nobis, utpote infirmis, rei exitum teſtatum faceret. Non enim temere aliquem inter Martyres adſcribebant, niſi Martyris caritas aliunde innotuiſſet. Itaque paulliſper illis indormientibus S. Martyr apparuit, & ſic ἐπληροφόρησεν αὐτὲς ἐπὶ τοῖς προγεγονόσι. Imo in Ignatii ipſius epiſtolis ſaepiſſime hoc verbum, eadem ſemper ſignificatione uſurpatur; ut ep. ad Smyrnaeos pag. 2. editionis If. Voſſii; iterum ep. ad Magneſios pag. 34. & epiſt. ad Magneſios pag. 36. Rurſus in inſcriptione epiſt. ad Philadelph.

AD LVCAE I. 2.

Miniſtri fuerunt ſermonis] Illud *ſermonis* malim de ſermone evangelico, quam de Verbo Divino capi. Nam quod negant, αὐτόπτας ſermonis dici poſſe: ajo αὐτόπτας & ὑπηρέτας ita hîc opponi, uti ſaepe apud Ciceronem *intereſſe* & *praeeſſe*. Itaque ſecundum Ciceronis phraſeologiam verti poſſit: qui ab initio non interfuerunt ſolum his rebus (nimirum ſermoni evangelico, qui omnia dicta & geſta Chriſti & propagationem evangelii amplectitur) ſed praefuerunt, quippe in Apoſtolos allecti.

AD LVCAE I. 3.

Optime Theophile] Nemo unus ex ſacris utriuſque Foederis ſcriptoribus προσφωνητικῷ προοιμίῳ uſus reperietur praeter Lucam; qui Graecis litteris innutritus, Graecos in hoc videtur imitatus in utriuſque ſui ἀπομνημονεύματος limine.

Optime Theophile] Κράτιστος magiſtratuum titulus ſub Caeſaribus fuit, quod pluribus exemplis a viris eruditis eſt demonſtratum. Liceat & haec addere. Dio Pruſaeus or. XLVIII. quae πολιτικὸς ἐν ἐκκλησίᾳ inſcribitur, Varino (procuratore opinor Bithyniae) quem pag. 530. κράτιστον, & pag. 535. ἡγεμόνα appellat, permittente ad Pruſaeenſes cives ſuos eam ſe habuiſſe orationem teſtatur. Artemidorus Caſſium Maximum, cui libros ſuos ὀνειροκριτικῶν nuncupat, pag. 197. κράτιστον quoque vocat, ubi dicit τῷ κρατίστῳ Κασσίῳ Μαξίμῳ conſilio ſe ad ea ſcribenda impulſum, unde & aliquem ab eo geſtum magiſtratum viri docti ſuſpicantur. Exſtitit quondam S. Methodii Tyrii opus de reſurrectione ad Theophilum quemdam, quem κράτιστον appellat apud S. Epiphanium To. I. pag. 540. 560. 590.

Optime Theophile] Laudo quod Theophilum hunc hominem certum, non γενικὸν ὄνομα *Dei amatorem* ſtatuant. At nego fuiſſe provinciae rectorem. Graecum Theophili nomen hunc libertinae fuiſſe conditionis arguit. Libertinis autem ad ἡγεμονίας illis temporibus non patebat aditus, ſed ad minores quaſdam procurationes. Et hi tamen minoris dignationis procuratores nihilominus κράτιστοι appellabantur. Talem reperio apud Spon. pag. 112. in Thyatyrena inſcriptione ΑΝΤ. ΚΛ. ΑΛΦΗΝΟΝ. ΑΡΙΓΝΩΤΟΝ ΚΡΑΤΙΣΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΤΟΥ ΣΕΒ ΑΡΚΗΣ ΛΕΙΒΙΑΝΗΣ &c. *Antonium Claudium Alfenum Arignotum optimum* (non *potentiſſimum* ut interpretatur Sponius, qui & plura alia in ejuſdem inſcriptionis verſione & commentatione peccat, quae non eſt operae huc afferre) *Procuratorem Auguſti arcae Livianae* &c. Apud eumdem Sponium pag. 330. num. XXIII. ΤΟΝ ΚΡΑΤΙΣΤΟΝ ΕΠΙΤΡΟΠΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ &c.

AD LVCAE I. 5.

De vice Abia.] Pares in Levitis ἐφημερίας agnoſcit Alexander monachus Cyprius in Encomio S. Barnabae (apud Bollandiſtas) Sect. XI. ubi Barnabam, quod adhuc ἔφηβος eſſet, ea de cauſa nondum in Levitarum ἐφημερίαν allectum narrat.

AD LV-

Digitized by Google

AD LVCAE I. 6.

Juſti ambo ante Deum] i. e. juſtiſſimi. Hebraiſmus, ſicuti Nemrot dicitur *Venator coram Deo*. Ninive *civitas magna Deo* i. e. maxima.

AD LVCAE I. 10. 11.

Et omnis multitudo populi erat orans foris hora incenſi. Apparuit autem illi angelus Domini ſtans a dextris altaris incenſi] Frequentes hujuſmodi ὀπτασίας ſacerdotibus adolentibus oblatas viri eruditi notarunt, ut eſt in Synopſi heic: id vero tum alias, tum potiſſimum in die expiationis, quo die Simeoni juſto per annos 40. angelum apparuiſſe refertur in Joma apud Ligfootum heic. Sed & illud notari velim, quod in Johannis Nicaeni epiſtola de feſto die natali apud Combefiſium in hiſt. Monothelitar. pag. 302. Julius Romanus epiſcopus reperiſſe dicitur σύγγραμμά τι Ιωσήπου τοῦ χρονογράφου συγγεγραφθὲν παρ' αὐτοῦ, in quo ſcriptum fuerit: menſe ſeptimo in ſollemnitate Tabernaculorum ac die expiationis Dei angelum apparuiſſe, ſacerdotem vero mutum manſiſſe, uſque dum Elizabet ejus uxor in ſenectute concepiſſet. Et ſane vetus iſta perſuaſio fuit, in die expiationis haec contigiſſe, eaque, ut videtur, perſuaſione adducti olim feſtum natalis S. Johannis in Junii menſis exitum contulere, in quem a feſto tabernaculorum, quo conceptum Johannem putarunt, ſunt menſes novem. Sed & illa *omnis multitudo populi* quae convenerat, videbatur non aliam ob cauſſam, quam ad ſollemnem expiationem confluxiſſe.

AD LVC. I. 17.

Et ipſe praecedet ante illum in ſpiritu & virtute Eliae: ut convertat corda patrum in filios, & incredulos ad prudentiam juſtorum, parare Domino plebem perfectam] In quo potiſſimum ſitus ſit *ſpiritus* iſte & *virtus Eliae*, quo Joannes induetur, varii varia dixerunt, ſecuri interim de ipſius Angeli interpretatione, qui in ſequentibus id optime declarat; in eo nimirum quod ſicut Elias alterius Domini adventus anteambulo reſervatur, ſic Johannes prioris. Certe enim de Elia adventum Domini praecurrente Malachias IV. 6. uſurpavit, quod ſequitur, *Vt convertat* &c. Adde & ultima commatis hujus, *Parare Domino plebem perfectam*. Dicas fortaſſis, ſi ita ſit, inſolens hoc futurum loquendi genus, ut inſtantes eventus per ſubſecuturos in fine mundi declarentur; quum ſatius ſit *ſpiritum & virtutem Eliae* zelum ejuſdem interpretari, atque conſtantiam, qua ſe geſſit erga Joabum, pſeudoprophetas, profanoſque ſacrificulos, &c. quibus ſimilia in Johanne licuit animadvertere. At reſpondeo, Gabrielem nos heic remittere ad rem ſero quidem eventuram, at ſatis tamen ex Malachiae prolato vaticinio Judaeis, ac praeſertim ſacerdoti Zachariae perſpectam. Sed venio jam ad ea quae ex Malachia allegantur ab Angelo, in quibus video etiam doctis haeſiſſe aquam.

Vt convertat corda patrum in filios] In Malachia haec ſic ponuntur cap. IV. *Ecce ego mittam vobis Eliam prophetam, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Et convertet cor patrum ad filios, & cor filiorum ad patres eorum*. Quibus notatur, in hoc venturum eſſe Eliam, ut Judaeos immorigeros ad Chriſtum tandem convertat, ita ut Judaei idem jam cum gentibus ſentiant, & in eundem cum gentibus converſis gregem coaleſcant; Judaei enim *patrum* nomine veniunt, gentiles χριστιανοδέντες *filiorum*. Idem prope & Johannis erit miniſterium; in hoc tantum diſpar, quod toto Johannis ἀναδείξεως tempore nulli dum filii illi fuerant, quia nondum vocata gentilitas. Quare, interprete Archangelo,

Digitized by Google

per hoc prorsus Patres ad filios Baptista convertebat, quatenus incredulos ad justorum prudentiam traducebat, eosque ad Christi κήρυγμα praeparabat.

Parare Domino plebam perfectam] Perfectam, non ἁπλῶς sed κατά τι: perfectam, quantum ad praeparationis negotium; id enim significat Graecum κατεσκευασμένην, probe instructam scil. ad admittendum Christi verbum.

AD LVC. I. 23.

Factum est, ut impleti sunt dies officii ejus, abiit in domum suam.] Graece loco *Officii* est τῆς λειτουργίας h. e. *ministerii, functionis*. Et *Officium* quidem veteribus Latinis hoc ipsum prorsus significabat; uti quum non tantum ministrorum obsequia dicuntur *Officia*, sed officiales ipsi & apparitores saepe *Officia* vocabantur. Hinc Donatus in Adelph. *officium* ab *efficiendo* dictum voluit; quod & S. Ambrosius in I. officiorum cap. 8. num. 26. adprobat scribens, *officium ab efficiendo dictum putamus, quasi efficium*. Quamquam ne hac quidem originatione opus habemus. Quid enim vetat, quo minus *officium* sit ab ipsomet verbo *officio*, quatenus id verbum suo primitivo significatu est *Coram facio*, quod proprie ministrorum est, adstantium ut jussa excipiant & dicto citius exsequantur. Hinc in veteribus Glossis *officit* exponitur περιποιεῖται, quod primario est *circum facere* aut faciendo obire, more ministrantium. Id inquam, proprie erat *Officio*. At deinde pluribus gradibus ad tritam *nocendi* notionem ventum (*) fuit. Porro quum Officium nihil aliud quam ministerium sit; recte admodum hoc loco pro λειτουργίας positum est *Officii*, quomodo etiam Ambrosius hunc locum citat in 1. Offic. cap. 8. num. 25. Hinc etiam scite admodum Cursus omnis ecclesiasticus tam psalmodiae, quam sacrificii, sicuti Graecis λειτουργία, sic Latinis *Officium* appellatur. Vide quae dicentur ad Jo: XVI. 7.

AD LVCAE I. 28.

Benedicta tu in mulieribus] Εὐλογημένη σὺ ἐν γυναιξίν. Apprecativa, non indicativa significatione haec sumenda putat cum aliis Grotius; qui & pronomen σὺ nihil aliud esse ait, quam vocativi notam, ut Act. IV. 24. Verum in Actorum loco longe alia structurae ratio est. Hîc autem illud σὺ loco substantivi verbi esse, atque hanc adeo enuntiantis, non bene precantis, esse vocem, mihi plane persuadeo. Ita nempe & Hebraeorum & Judaeorum Hellenistarum consuetudo fert, ut pronomina participio juncta verbo substantivo substituant. Geminus plane locus Ruth. III. 10. quo provocat Grotius, nostram sententiam firmat. Eadem plane verba ibi Hebraice & Graece occurrunt, ברוכה את ליהוה *beruchah ath lejavoh*. Vnde Elisabethae elogium sumtum puto, quod Evangelista iisdem verbis posuit, ut graece in Ruthae libro invenit: ibi εὐλογημένη σὺ τῷ Κυρίῳ: hîc autem εὐλογημένη σύ ἐν γυναιξίν. At Hieronymus Hebraici sermonis non

(*) Nam qui a qui coram & ob oculos aliquid faciunt, lumen occupant; hinc in vet. Glossis *Officio* est ἀντιστατῶ & *Officeret* ἀντιστατήσῃ: id quod est lumen intercipere atque obscurare apud Cic. Alexander Diogeni *officere* h. e. ἀντιστατεῖν dictus fuit. Hinc etiam toties in libris juris arbor aut aedificium alteri *officere* dicitur; unde & tritissimum illud *Officere luminibus* alicujus, h. e. ejus luminibus ex adverso aliquid facere. Hinc etiam *Officio* est simpliciter *Noceo*, in qua notione *Ob* pro *contra* ponitur. Nocere enim quid aliud est, quam contra aliquid efficere?

Digitized by Google

non ignarus in illo Ruthae loco pronomen verbo ſubſtantivo commutavit: *Benedicta es a Domino filia.*

AD LVC. I. 30.

Inveniſti enim gratiam apud Deum] Εὗρες γὰρ χάριν παρὰ τῷ Θεῷ. Similis prope locutio illa Philoſtrati in 2. de Sophiſt. p. 593. de Julio Polluce auctore Onomaſtici loquens: Μελιχρᾷ τῇ φωνῇ βασιλέα Κόμμοδον θέλξας, τὸν Αθήνησι θρόνον παρ' αυτῶ εὔρατο. *Athenienſem rhetoricae cathedram ab imp. Commodo eſt conſecutus, dulcedine orationis ejus delectato.*

AD LVC. I. 35.

Quod naſcetur ex te ſanctum vocabitur Filius Dei] H. e. erit Filius Dei. *Vocari* idem quod *eſſe* tam Hebraica dialecto, quam Graeca heroicorum temporum, ex ſexcentis Homeri locis liquet, & in re ſimili Iliad. XV. 338. ubi Jaſus

Υἱὸς δὲ Σφήλοιο καλέσκετο Βουκολίδαο

Bucolidae at Spheli vocitabant nomine natum.

AD LVC. I. 35.

Quod enim ex te naſcetur ſanctum &c.] Mihi videtur interpungendum poſt τὸ *naſcetur* hoc modo: *quod enim ex te naſcetur, ſanctum vocabitur*, (ſupple & ſive ἐπεξηγητικῶς *Hoc eſt*) *filius Dei*. Confer haec cum verbis legis de purificatione apud eundem Lucam II. ἅγιον τῷ Κυρίῳ κληθήσεται. Huc enim alludit Angelus cum ait: *quod ex te naſcetur, Sanctum vocabitur* (hoc eſt) *Filius Dei.*

AD LVC. I. 59.

Et factum eſt in die octavo, venerunt circumcidere puerum, & vocabant eum nomine patris ſui Zachariam] Iſtud *vocabant*, cum neque de Zacharia muto, nec de Eliſabetha diſſentiente poſſit intelligi; omnino de vicinis & cognatis eſt capiendum, qui ſuperiore commate conveniſſe dicuntur. Mos idem conveniendi Atticis fuit; quem deſcribit Suidas in Δεκάτῃ ἑστιάσει: *Mos erat, cum pueri nati eſſent Atticis civibus, decima noctium convocari paternos maternoſque cognatos, & amicorum proximos, atque iis praeſentibus nomina pueris dare, ac Diis ſacrificare &c.*

AD LVC. I. 61.

Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine] Prope iiſdem verbis de Diadumeno narrat Lampridius in ejus vita cap. 5. *Die qua natus eſt* (*quod Antonini eſſet natalis*) *mulier quaedam propinqua dicitur exclamaſſe ANTONINVS VOCETVR, ſed Macrinum timuiſſe, quod nullus ex ejus genere hoc nomine cenſeretur* &c. Sollemne non apud Hebraeos tantum ſed & profanos, avita nomina infantibus indere. De Romanis praenominibus (quando nomina & cognomina fuere toti familiae communia) res eſt tritiſſima. De Graecorum heroicis temporibus teſtatur Ovidius IX. Met. fab. 12.

Vota pater ſolvit, nomenque imponit avitum,
Iphis avus erat.

Poſterioribus temporibus nihil tam uſitatum, quam plures cognomines in eadem familia reperire. Pythagorae pater & filius Mneſarchi fuere, Empedocles avum cognominem habuit. Ariſtoteli pater & filius Nichomachi fuere; ſic & Cimon nepotem Cimonem habuit. In Hippocratis majoribus ac poſteris ad ſex ὁμωνύμους deprehenduntur.

Quia nemo eſt in cognatione tua, qui vocetur hoc nomine] Mos iſte apud Hebraeos quidem haud antiquiſſimus fuit; videntur enim poſteriores Judaei hoc

Digitized by Google

ex Graecis Romanisque imitati. Apud Graecos quidem jam inde ab Iliacis temporibus Orsilochus (apud Hom. Il. E. 547.) ex Diocleo filio nepotem cognominem habuit. Sic Glaucus avum (an proavum) habuit cognominem. Nomina, Pyrrhus, Philippus, Ptolemaeus in posteris plerumque conservata fuere. Aristophanes Avibus:

Ἱππόνικος Καλλίου, καὶξ Ἱππονίκου Καλλίας.

Hipponicus Calliae, atque ex Hipponico Callias.

Eustathius ad Il. E pag. 441. ed. Basil. hunc antiquissimum morem apud plurimas gentes obtinuisse testatur. Certe clarorum majorum nomina ad praeclara exempla posteros excitabant.

AD LVC. I. 62.

Innuebant patri ejus, quem vellet vocari eum: & postulans pugillarem, scripsit dicens, Joannes est nomen ejus.] Ἐνένευον, *innuebant*: optime; nam quia Zacharias cum obmutuit, simul etiam obsurduit (nec enim fit aliter) idcirco circumstantes ad nutus recurrerunt. Ea ars in Oriente maxime floruit: nam histrionica (mira veterum (*) ars) qua antiquitus quidlibet nutibus & gesticulatione exprimebant ab Oriente per Tuscos propagata in Latium fuit, teste Livio lib. VII. & aliis. Ergo non mirum, si Cognati gesticulandi arte interrogare patrem valuerint, *Quem vellet vocari eum*. At sonus ipse vocis hujus *Joannes* quia nullo nutu gestuve exprimi a Zacharia poterat, quippe quae non nisi plectro linguae (si hujus non defuisset usus) articulari poterat: hinc *postulans pugillarem* coactus est scribere: *Joannes est nomen ejus*.

AD LVC. I. 72.

Et memorari testamenti sui sancti] Quoties in V. & N. T. *Memoror* deponentis syntaxin habet, id ex Itala antiqua manavit; sic enim illo aevo loquebantur. Celerinus epist. ad Lucianum, inter Cyprianicas 20. *Memoratus sum enim caritatis tuae pristinae*. Lucianus Celerino respondet epist. 21. *Mei dignatus es memorare*. Lege *memorari*.

AD LVC. I. 78.

Per viscera misericordiae Dei nostri] Sedem misericordiae ut ethnici in genibus, sic Hebraei in visceribus posuere: unde illud in Johannis epistola *clauserit viscera sua ab eis*. Vide etiam Isa. LXIII. 7. Jer. XVI. 5. & alibi. Hinc Hellenistis verbum σπλαγχνίζομαι factum, Matt. IX. 36. & alibi usurpatum. At εὔσπλαγχνος & εὐσπλαγχνία alia notione scriptores sacros, apud quos misericordem & misericordiam significat, alia exteri usurpant, qui pro *magnis spiritibus* accipiunt.

AD

(*) Gesticulatio (Graecis vocata ὑπόκρισις) a Valla lib. IV. definitur, *Actio quaedam, & quasi pronuntiatio corporis*. Cicero in IV. Acad. 145. *Et hoc quidem Zeno gestu configiebat. Nam cum extensis digitis &c.*

Ceterum totam histrionicam, quae gesticulandi artem complectitur, Romanos didicisse a Tuscis, hos vero ab Oriente eam apportasse, nulli dubium est. In vet. Gloss. *Histrio* tantundem quod παντόμιμος. Pantomimi nihil non mutis gestibus significabant. Mithridati (cujus imperio tot populi subierant, omnes discreti linguis) populus Rom. pantomimum dono misisse dicitur, ut unus apud omnes interpretem ageret, si probe memini.

Digitized by Google

AD LVC. II. 1.

Vt deſcriberetur orbis terrarum] Οἰκουμένη heic non eſt aliud, quam Judaeorum terra habitabilis, quam ab ἐρήμῳ Jordanes medius dividebat. De quo vide dicta ad Kal. Neap. ad IX. April. cap. 7. §. 9. ad Vitae S. Mariae Aegypt. num. 32. Ceterum ut Graece οἰκουμένη (quae heic legitur) eſt apud Graecos rei Romanae ſcriptores idem quod orbis Romanus: ſic & apud Latinos *Orbis terrarum*. Itaque praeter exempla ab aliis producta, Cic. IV. ad Att. 1. *Legem Conſules conſcripſerunt, qua Pompeio per quinquennium omnis poteſtas rei frumentariae toto orbe terrarum daretur*. Taeitus imperatorem Romanum *Rectorem orbis terrarum* appellavit.

AD LVC. II. 2.

Haec deſcriptio prima facta eſt a praeſide Syriae Cyrino.] Herwarti, Schmidii aliorumque interpretatio illud πρώτη comparative accipientium, ita ut ſenſus ſit: *Haec deſcriptio prius facta eſt, quam Syriae praeeſſet Quirinius*; eſt quidem ingenioſiſſima, & permagni facienda: tamen vix eſt ut illi aſſentiar. Cur haec ſermonis proprietas Juſtino Helleniſticam dialectum probe callenti latuit? Hic enim in dial. cum Tryph. diſerte ait: ἀπογραφῆς ὕστης ἐν Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης ἐπὶ Κυρηνίου. Ac Juſtinum quidem vicinum illorum temporum & ad tabulas cenſuales provocantem, teſtem idoneum cui credamus fore exiſtimo: is autem ſub Cyrenio eam deſcriptionem factam ait. At enim Tertullianus (& hic quoque ad Archiva provocat) ſub Sentio Saturnino (alii ſub Quintilio Varo) factum hoc ait. Reſpondeo fore utrunque verum, ſi dixerimus praeter provinciarum praeſides, miſſos quoque extraordinarios magiſtratus qui ſimul cum praeſidibus rem tranſigerent. Certe Dio de Auguſto ait: Ἔπεμψεν ἄλλους ἄλλη τὰ τῶν ἰδιωτῶν καὶ τὰ τῶν πόλεων ἀπογραψαμένους, quod extraordinarios magiſtratus notat. Objicies Lucam dixiſſe de Quirinio ἡγεμονεύοντος &c. Reſpondeo hoc verbum de quavis poteſtate interdum dici; & quem Lucas ἡγεμονεύοντα appellat, eundem Juſtinus apol. 2. πρῶτον ἐν Ἰουδαίᾳ Καίσαρος ἐπίτροπον appellat. Senſus ergo Lucae hic eſto: *Haec deſcriptio prior ex duabus iis fuit, quae ſub Quirinio factae*. Prior facta eſt ſub Quirinio extra ordinem in Syriam ex vicina Cilicia delegato, uti cenſui cum ordinario procos. navaret operam: altera decennio poſt ſub eodem Quirinio tunc Syriae proconſule. Lucae ea cauſſa fuit Quirinium potius quam Saturninum nominandi, quia altera ſub eodem Quirinio cenſio facta fuit, cujus Joſephus meminit, & haec quidem celeberrima ob Judae Gaulonitae ſeditionem. Ad hunc ſenſum videtur nos manu ducere Juſtinus adv. Tryph. ἀπογραφῆς, inquit, ὕστης ἐν Ἰουδαίᾳ τότε πρώτης ἐπὶ Κυρηνίου: nimirum quia altera celeberrima decennio poſt ſub eodem Quirinio fuit.

Et quidem quod cenſus hic prior, de quo Lucas agit, ſub Quirinii extraordinario magiſtratu peractus fuerit, ea ſententia fuit Petavii Grotiique (neſcio tamen an Dionis auctoritate utantur) ego vero ob Tertulliani auctoritatem etiam Saturninum adhibitum puto. Non novum hoc eſt, cenſus plurium opera fuiſſe actos. Tacitus lib. 14. *Cenſus per Gallias a Q. Voluſio & Sex. Africano Trebellioque Maximo acti ſunt, aemulis inter ſe per nobilitatem Voluſio atque Africano.*

A praeſide Syriae Quirini] De P. *Sulpitio Quirino LEGato Caeſaris Syriae* mentio fit in marmore Veneto apud Murat. pag. 670. 1. quod huc afferre non pigebit.

Q. AEMI-

Digitized by Google

Q. AEMILIVS. Q. F.
PAL. SECVNDVS
CASTRIS. DIVI AVG.
P. SVLPITIO. QVIRINO. LEG
CAESARIS. SYRIAE. HONORI
BVS. DECORATVS. PRAEFECT
COHORT. AVG. I. PRAEFECT
COHORT. II. CLASSICAE. IDEM
IVSSV. QVIRINI. CENSVM. FEC
APAMENAE. CIVITATIS. MIL
LIVM. HOMIN. CIVIVM. CXVII
IDEM. IVSSV. QVIRINI. ADVERSVS
ITVREOS. IN LIBANO. MONTE
CASTELLVM. EORVM. CEPIT. ET. ANTE
MILITIAM. PRAEFECIT. FABRVM
DELATVS. A. DVOBVS. COS. AD AE
RARIVM. ET. IN. COLONIA
QVAESTOR. AEDILIS. II. DVVMVIR. II.
PONTIFEX
IBI. POSITI. SVNT. Q. AEMILIVS. Q. F. PAL
SECVNDVS. F. ET. AEMILIA. CHIA. LIB
H. M. AMPLIVS. H. N. S.

Q. AEMILIVS . Q. F. PAL . SECVNDVS . CASTRIS (i. e. in caſtris) DIVI . AVG. &c. De hoc ſecundo mox additur: *Idem juſſu QVIRINI* (dum legatus eſſet Syriae proconſulis) *cenſum fecit Apamenae civitatis millium homin. civium* (Apamenorum non Romanorum; necdum enim Apamea jura civitatis Rom. adepta fuerat) *CXVII.* Ergo quemcumque finxeris Syriae tunc praefuiſſe, cum natus eſt Chriſtus, (ſive ſcilicet Sentium Saturninum ſive cum Noriſio Quinctilium Varum) tunc dicemus, P. Sulpitium Quirinum non quidem proconſulem, ſed legatum fuiſſe proconſulis, & abſente proconſule ſategiſſe cenſualium negotiorum. Τὸ ἡγεμονεύοντος (quod hic Lucas uſurpat) verbum eſt commune omnibus cujuſcumque nominis provinciarum rectoribus, etiam legatis, ubi vice proconſulis aliquid agerent. Ceterum Quirinum legatum ſe cenſionibus immiſcuiſſe, ex hac ipſa inſcriptione conſtat, quia *Secundus* juſſu Quirini legati, Apameae cenſum fecit. Eadem ratione ſive Quirinus ipſe per ſe, ſeu potius alius juſſu Quirini Palaeſtinae recenſendae vacavit, eoque is cenſus recte ab Lucae interprete Quirino tribuitur: *A praeſide Syriae Cyrino.* Etſi Graeca ſatis erat ſic Latine exprimere, *Praeſide* (ſive ſub Praeſide) *Syriae Cyrino.* Κυρῆνον Graeci (quibus familiare eſt propria nomina ad ſuas voces deflectere) vocant, quem Latini *Quirinum.* Hinc & tribum QVIRinam in Latinis marmorib. obviam ipſi Κυρηνίαν in Graecis titulis nuncupant.

Quod verſu octavo ante finem legitur PRAEFECIT. FABRVM, id pro *PRAEFECTVS fuit* ponitur. In pluribus gladiatorum titulis legiſſe memini *SPECTAVIT* (pro *ſpectatus eſt*) *tot vicibus.*

Apamenae civitatis nomine forſan (quippe cum CIVITAS Latinis non urbis unius, ſed gentis regionem totam incolentis nomen ſit) non cives unius Apameae

Digitized by Google

Apameae ambitu contentos notat, ſed univerſam Απαμηνὴν (*Apamenam regionem*), in qua Ptolomaeus urbes aliquot deſcribit. Vide Cellarium pag. 421.

Gaudeo, hoc uno epigrammate finem tot circa hunc Lucae locum rixis aliquando allatum.

AD LVC II. 3.

Vt profiterentur] Gr. ἀπογράφεσθαι. *Profiteri* verbum cenſuale. Quare minus belle Ligfootus hîc in Synopſi videtur intelligere *profiteri ſubjectionem imperio Romano*. Profiteri eſt deferre in cenſum, *far la rivela*. Inde Act. V. 37. *In diebus profeſſionis*, quae fuit altera ſub Quirinio. Spartianus Hadriano cap. 7. *Senatoribus qui non vitio ſuo decoxerant patrimonium, pro liberorum modo, ſenatoriae profeſſionis explevit.*

AD LVC. II. 7.

Et pannis eum involvit] Supple quos ad manus habere potuit. Graece καὶ ἐσπαργάνωσεν αὐτὸν, ſupple οἷς εἶχε (neque enim Mariam domo abſtuliſſe τὰ σπάργανα ſive faſcias involvendo foetui proprias, crediderim: idque rerum omnium inopia, hujuſque myſterii tota oeconomia perſuadet), ut apud Strabonem lib. III. pag. 165. de fortitudine Hiſpanarum mulierum ex Poſidonio narrat, earum quandam ad foſſionem conductam, doloribus partus correptam, non longe digreſſam, edito fetu, ad opus rediiſſe, ne mercedem amitteret, ac re cognita, mercede data a conductore dimiſſam: ἡ δ' ἐκκομίσασα τὸν ηπίον πρός τι χρηνίον, λύσασα, καὶ σπαργανώσασα ΟΙΣ ΕΙΧΕ, διασώσειεν οἴκαδε. *Quae infantem ad quendam fonticulum extulerit, lotumque & quibus habebat pannis involutum, domum incolumem pertulerit.* Simile prorſus eſt ac geminum quod Diodorus lib. IV. in de Liguribus narrat, ac niſi Liguri id mulieri tribuiſſet, idque ſuo tempore accidiſſe dixiſſet, videri poterat ex eodem Poſidonio accepiſſe. Nam de Liguribus & Ariſtotele lib. περὶ θαυμασίων ἀκ. ait: Ἴδιον δέ φασι καὶ τοῦτο παρ' αὐτοῖς εἶναι· Αἱ γυναῖκες ἅμα ἐργαζόμεναι τίκτουσι, καὶ τὸ παιδίον ὕδατι περικλύσασαι, παραχρῆμα σκάπτουσι. Et Varro *In Illyrico*, inquit, *hoc amplius: praegnantem ſaepe, cum venit patiendi tempus, non longe ab opere diſcedere, ibique enixam, puerum referre, QVEM NON PEPERISSE SED INVENISSE PVTES.* Quae poſtrema verba in Deiparam mire conveniunt. Vt & allata exempla de mulieribus ſtatim a partu curantibus foetus ſuos: quod Maria hic feciſſe legitur; adeo nihil incommodi ex partu paſſa.

Quamquam illud ἐσπαργάνωσεν hîc apud Lucam poteſt & απλῶς verti *involvit*; ut non neceſſario de pannis ſit capiendum, ſed & de paleis, foeno, aut quaecumque ad manum habuit. Tale eſt illud Plutarchi ſymp. VI. probl. 6. de nive: Ἀχύροις σπαργανῶντες αὐτήν, *paleis eam faſciantes*. Vt ſaepe hoc accidit, ſpecici vocabula συνεκδοχικῶς generi attribui: ut οἰνοχοεῖ ὕδωρ &c. Diodorus lib. IV. de muliere illa, quam in opere ipſo enixam narrat, ait φύλλοις ἐνειλήσασα, *cum foliis fetum involviſſet*. Tale aliquid a Virgine ob rerum omnium inopiam factum, haud prorſus abnuerim.

AD LVC. II. 7.

Et reclinavit eum in praeſepio.] Rectum hujus vocabuli duplex, *Praeſepe* & *Praeſepium*: verum illud uſitatius fuiſſe, hoc minus probum, oſtendit Ambroſius in hunc locum (lib. 2. in Luc. num. 42.) ubi in Iſaiae loco *Praeſepium* in Itala vetere fuiſſe teſtatur, nec id vocabulum eſſe delicatulis faſtidiendum con-

Digitized by Google

contendit. Locum adscribere proderit, quia ad indolem veteris novaeque versionis pernoscendam non erit inutilis. *Non audis bovis Dominum agnoscentis mugitus: Agnovit enim bos possessorem suum, & asina praesepe Domini sui* (Is. I. 3.) *immo PRAESEPIVM dixerim, sicut scripsit qui transtulit* (vetus scilicet interpres) *nihil enim apud me distat in verbo, quod non distat in sensu. Nam si orator* (Demosthenes) . . *negat in hoc positas esse fortunas Graeciae, hoc an illo verbo usus sit . . . quanto magis nos negligere verba debemus, spectare mysteria.* Ergo aevo Ambrosii cultiores viri cavebant, ne id nomen recto casu in IVM terminarent. Hinc eodem aevo Hieronymus in ea translatione quam ex Hebraica veritate suo marte protulit, quum in eo Isaiae loco in Itala vetere PRAESEPIVM reperisset, ipse PRAESEPE reposuit, quod & in aliis veteris Instrumenti locis fecit. At idem Hieronymus quia Novum Foedus non suo ingenio vertit, sed olim translatum Graecae fidei reddidit, ideo vocem *Praesepio* a recto *Praesepium* inclinatam ter hoc capite, & semel infra (XIII. Luc. 15.) retinuit. Ceterum quamvis IV. saeculo viri elegantes a nominativo *Praesepium* abstinuerint, tamen nec Apulejus id fuerat aspernatus, & in Philoxeni Glossis utraque terminatio in E & in IVM. reperitur, ac Φάτνη redditur.

Illud miror cur aevum Ambrosii *Praesepium* recto casu aversaretur, quum ejusdem terminationis ALTARIVM nec Hieronymus, nec Severus Sulpicius, viri elegantiae singularis, ut alios plurimos taceam, non respuerint.

AD LVC. II. 11.

Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, in civitate David] Angelus lingua Hierosolymitana יְשׁוּעַ dixerat, quod et Jesu κύριον ὄνομα, & appellativum *Salvatoris* aeque notabat. Lucae autem, qui Graece scriberet, liberum fuit sive Ἰησοῦς sive Σωτῆρ in Evangelio suo ponere. At hoc posterius maluit, quod & appellative accipi, & tanquam κύριον ὄνομα (non enim novum Graecis erat peregrinorum nominum propriorum interpretationes usurpare, uti pro Isaac Γέλως &c.) posset.

Venio ad Latinum *Salvator*, quod ex vetere interpretatione Hieronymus retinuit. A quo nihil est cur delicatiores critici abhorreant, cum sub Trajano apud Grut. XIX. 5. reperiatur IOVI · CVSTODI · QVIRINO · SALVATORI · PRO · SALVTE · CAESARIS · NERVAE · TRAIANI · AVG· &c. Post Trajani aetatem frequentius ea vox usurpata, tum apud Tert. III. adv. Marcion. 18. tum Cyprianum Epist. 47. ubi tamen in nonnullis MSS. legitur *Salutari*.

Ceterum vox *servatoris*, quam critici usurpare malunt, non omnino vim Graecae σωτῆρος exprimit. Cic. Ver. IV. 36. σωτῆρα verbo uno exprimi posse negat; itaque circuitionem hanc affert *qui salutem dedit*. Hinc Tertullianus, qui *servatoris* vocem parum idoneam esse intelligeret, *salutificatoris* vocabulum ter usurpavit.

AD LVC. II. 14.

Et in terra pax hominibus bonae voluntatis] ῥῆσιν hanc *Bona voluntas* esse barbariei falso suspectam, exemplis aliquot comprobat Valesius ad excerpta illa quae ad calcem Ammiani evulgavit, quibus istud *bonae voluntatis* semel & iterum legitur. Plancus ad Ciceronem X. epist. 8. *Fructuosissimam esse professionem bonae voluntatis*. Vellejus fine lib. 2. *Ex quo apparet Varum saepe gravem & bonae*

Digitized by Google

bonae voluntatis virum. Seneca lib. 1. de Clementia cap. 13. *Bonae ac fidae voluntatis ministri*. Adde eundem lib. de vit. beata cap. 8. & Sallustium or. ad Caes. de rep. ordinanda.

AD LVC. II. 14.

Gloria in altissimis Deo] Ex eo quod sequitur, (*& in terra*, inquit, *pax hominibus*) luculenter perspicitur τὸ *In altissimis* tantundem esse quod *in caelestibus*, quia *terra altissimis*, *homines* vero *Deo* e regione respondent. Vide de his longe plura ad Gen. I. 1. ubi veterem interpretem attuli, qui ad Job XXII. 12. pro *caeli* nomine τὰ ὑψηλὰ h. e. *excelsa* posuit. Nam τὸ *Shamaim* revera *celsitudinem* designare pluribus ibi ostensum fuit, ut etiam ad Gen. VI. 4. & XI. 4. & Deut. X. 14. Ex eo vero quod *Shamaim* appellative *altitudinem* notat; hinc aliquoties *caelum* & *caelestis* ubi appellative ponuntur, *altitudinem* designant. Itaque *caelum caeli* est *altitudo caeli*, & *Caelestis* non raro idem quod *Altissimus*; certe quia in talibus locutionibus *Shamaim* generalem celsitudinis, non peculiarem loci notionem obtinet.

AD LVC. II. 15.

Vt discesserunt ab eis Angeli in CAELVM &c.] Ea angelorum sedes, ut hinc discimus. In Orphicis

Τῷ δὲ θρόνῳ πυρόεντι παρέστασι πολύμοχθοι
Ἄγγελοι, οἵσι μέμηλε βροτοῖς ὡς πάντα τελεῖται.

Non negarim tamen sicut mali angeli partim inferna loca, partim per terras aeremque discurrunt, bonos quoque angelos praeter Caelum propriam illorum sedem, per aerem quoque terrasque vagari, sed utrum ad obeunda tantum ministeria, an διαμενόντως, ignoro.

AD LVC. II. 19.

Maria autem conservabat omnia verba haec.] Gr. συνετήρει τὰ ῥήματα ταῦτα i. e. hosce rerum eventus tacita considerabat, sive observabat. Respondet Hebraeo שמר *sciamar*, *observare*. Gen. XXXVII. 11. similis est locus, ubi de Jacobo dicitur *Rem tacitus considerabat*, (Heb. שמר, LXX. διετήρει.) quorsum res evaderet scil. Tale est illud Syracidae IV. 23. συντήρησον καιρόν.

AD LVC. II. 20.

Quae audierant; & viderant sicut dictum est ad illos] Interpunctio post *audierant* adhibenda, post τὸ *viderant* autem nulla; quia quod sequitur *sicut dictum est ad illos* ad *viderant* solum refertur. Viderant, inquit Lucas, praedictis consentanea. At in editis Graecis Latinisque haud recte interpungitur.

AD LVC. II. 24.

Par turturum aut duos pullos columbarum.] Vide dicta ad Gen. XV. 9. Addi potest, turtures in Ornithonib. asservari potuisse. Ceterum Virginis Mariae inopia eam coëgisse videtur, ut quae viliore pretio venibant, ea compararet.

AD LVC. II. 27. 28.

Et venit in spiritu in Templum. . & ipse accepit eum in ulnas suas.] Hinc colligere mihi videor, hanc non fuisse functionem sacerdotalem, quod multi sibi persuaserunt. Si haec fuisset functio sacerdotalis, ad eos utique pertinuisset, qui ministrarent in ordine vicis suae, i. e. ad sacerdotes stationarios. Atqui Simeon, *Spiritus* instinctu venit in Templum, ex quo apparet eum illo tempore non ministrasse; si sacerdos erat. Ad haec autem non fuisse sacerdotem

Digitized by Google

vetuſtiſſimus auctor Celſus inter opera Cyprianica perſuadet, qui Simeonem caecum fuiſſe tradidit. Nam, quidquid ſit de Simeonis caecitate, certe perſuaſum illi fuit Simeonem non fuiſſe ſacerdotem, quando caeci a ſacerdotio arcebantur. Praeterea haec Ambroſius, cum totus in eo eſſet, ut probaret Chriſtum ab omnibus conditionibus teſtimonium accepiſſe, Zachariam inter ſacerdotes, Simeonem inter ſenes recenſuit; ut intelligatur Simeonis ſacerdotium Ambroſio non innotuiſſe. Nec porro Lucas de Simeonis ſacerdotio tam opportuno loco tacuiſſet, qui de Zachariae ſacerdotio non ſiluit.

AD LVC. II. 29.

Nunc dimittis ſervum tuum Domine] Hoc tertium putant ex N. T. hymnis. Equidem merum Simeonis vaticinium proſa oratione contextum, arbitror. Deeſt ἐπεξήγησις: quae unus eſt Hebraicae poëſeos διακριτικὸς χαρακτὴρ mea ſententia.

Nunc dimittis ſervum tuum Domine] Gr. δέσποτα. At ceteri ſcriptores ſacri dixiſſent Κύριε, quippe reſpondens Syr. *Mar*, & ſic ſemper ubi de honorifico titulo agitur. Nam δεσπότην tantum de hero dicunt. At Lucas ab Helleniſtica dictione ſaepe recedens, heic & Act. IV. 24. praeter morem Helleniſtarum magiſtrum vocavit δεσπότην.

AD LVC. II. 30. 32.

Lumen ad revelationem &c.] Ante haec verba removenda eſt τελεία ſtigmè; nam Φῶς ad σωτήριον ℣. 30. eſt referendum; ut ordo ſit τὸ σωτήριόν σου φῶς, ὃ ἡτοίμασας &c. *Salutare tuum lumen, quod paraſti* &c. Similes porro trajectiones in Zachariae cantico cap. praec. obſervare licebit. Cur ſic jungam, facit quod nemo, quod ſciam, ſcriptorum N. Faederis σωτήριον ſubſtantive uſurpavit (niſi ſicubi ex V. T. aliquid affertur, ut Luc. III. 6.) multo minus Lucas ceteris elegantior in hoc vertendo carmine uſurparit. Σωτήριον ſubſtantive eſt e LXX qui illud ſaepe pro שלם *ſchelem*, ſacrificio pacifico, ſaepe pro ישע *jeſcha*, *ſalute*, uſurparunt. At apud profanos nunquam, quod ſciam, σωτήριον ſubſtantivum occurrit (*). Hinc vetus Latinus interpres, qui intelligeret σωτήριον ſubſtantive non dici, putavit eſſe neutrum τῦ σωτήριος, idque ut imitaretur, *ſalutare* quam *ſalutem* vertere maluit.

AD LVC. II. 34.

Et benedixit illis Simeon] Sollicite quaerunt commentatores utrum parentibus tantum benedixerit Simeon, an etiam Chriſto. Et negant aliqui, hoc nempe veriti, ne minor majori benedixerit. Quanquam nihil erat pertimeſcendum; non enim iſtaec benedictio ſacerdotalis fuit, majorem auctoritatem in benedicente prodens ex ep. ad Heb. VII. 7. (tametſi ne hanc quidem Chriſtus reſpuebat, qui ritibus omnibus ſe ſubjecturus venerat) ſed merus μακαρισμὸς ſimilis illi: *Beatus venter qui te portavit* &c. & Luc. I. 45. *Beata quae credidiſti*. Hujuſmodi vero κηρυγμὰς in Chriſtum aeque ac parentes pronuntiaſſe ſenem mihi fit veriſimile ut Luc. I. 42. Sane celebres octo μακαρισμὰς Matth. V. *benedictiones* appellavit Ambroſius: *Et mandatum*, inquit, *accipis octo illis partem dare fortaſſe benedictionibus*. Et ante hunc Dionyſius Alex.

(*) Apud veterem poëtam de virib. herbar. quem Fabricius to. 2. bibl. Graecae inſeruit ter σωτήριον reperi ℣. 83. 109. 122. Sed (praeterquam quod φάρμακον ſubaudiri poterat, ut eſt apud Pollucem V. ſegm. 132.) ſi cum praecedentibus nectas, invenies modo ad herbam neutrius generis, modo ad ἄκος referri.

Digitized by Google

Alex. apud Euſebium; cujus locum ad Matt. V. 3. adſcripſi.

In ſignum cui contradicetur] Prudentius praefat. alterâ in Apotheos ℣. 33.

Lapis ecce noſtro fixus offenſaculo eſt,
Impingat in quem vanitas,
SIGNVM caventi, non caventi ſcandalum:
Hunc ſternit, illum dirigit.

AD LVC. II. 35.

Ut revelentur ex multis cordibus cogitationes.] Solet hoc ad eos hominum actus vulgo referri, qui longe ex diverſa, quam putantur, cauſſa proficiſcuntur; ut mulieres illae, quae de Patrocli morte ejulabant, re vera de ſuis unaquaeque incommodis conquerebantur apud Hom. Il. XIX. 301.

Ὡς ἔφατο κλαίουσ', ἐπὶ δὲ στενάχοντο γυναῖκες
Πάτροκλον πρόφασιν, σφῶν δ' αὐτῶν κήδε' ἑκάστη.
Tantum effata gemebat; at adgemuere ſorores
Patroclum in ſpeciem; ſua ſed mala cuique dolebant.

Hae ſunt occultae cogitationes, quae in apertum proferentur. Verum his omiſſis; hanc periocham referendam eſſe ad praecedens comma 34. id vero quod ſequitur: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius*, παρεντίθεσθαι oportere, omnino viris eruditis aſſentior. Id modo conſiderandum, num quod heic Graece legitur ὅπως ἂν ἀποκαλυφθῶσιν, verti poſſit *utcunque revelabuntur*. Scio ὅπως ἂν haud raro eſſe idem quod ἵνα: ſed ſcio etiam ſaepe reddi *quomodocunque* aut, quod heic quadrat, *utcunque*. Ariſtides: ὅπως ἂν συμπίπτοι τῷ λόγῳ, *prout* ſive *utcunque inciderit in ſermonem*. Sic illud ὅπως ἂν ἔλθωσι καιροὶ ἀναψύξεως Act. III. 20. eadem notione vertitur ab Eraſmo, *utcunque venerint tempora* &c. Deinde illud πολλῶν non haeret τῷ καρδιῶν, ſed ab hoc regitur, ut ſit ἐκ τῶν καρδιῶν τῶν πολλῶν, *ex multorum cordibus*. Ergo ſic verti poteſt: Utcunque ſe prodiderint ex multorum cordibus cogitationes. Eſt autem totius loci ſenſus: *Hic poſitus eſt in ruinam* &c. *& in ſignum cui contr.* &c. Id vero malum diu cordium penetralibus incluſum premetur celabiturque, tum vero demum foras erumpet, *utcumque* tale aliquid inciderit, quod perverſum ingenium foras prodire coget: tum vero tuam ipſius animam, o Maria, pertranſibit gladius.

AD LVC. II. 41.

In die ſollemni Paſchae] Haec flexio peregrini nominis heic & alibi videtur ex antiqua translatione profecta. Sic aevo illo loquebantur. Genitivum *Paſchae* habet ſaepe Tertullianus, habet Cyprianus ep. 24. habet Arator lib. 2. *Gaudia paſchae* &c. Rufinus in ſuis verſionibus, & alii. Et quidem femineo genere occurrit in Conc. Cabarſuſſitano: *Intra dies paſchae futurae*. Appendix commonitorii Honorii Aug. in cauſſa Eulalii & Bonifacii apud Baron. *Dies qui imminebant ſanctae paſchae* &c. Paſcha auferendi caſu reperitur Joh. II. 23. & XVIII. 39. Porro Graeci olim Φάσχα per Φ ſcribebant. In palaeographia Bern. Montfauconii lib. V. cap. 1. pag. 344. legi in computis Eccleſiaſticis Graecorum ubique φάσχα pro Πάσχα litterarum compendio ſcriptum occurrere. Ex quo liquet nexum illum litterarum eſſe antiquiſſimum, inde uſque manantem cum vox illa per aſpiratum elementum notabatur. Et quoniam, ut ait Joh. Damaſcenus, ſic Hebraei pronuntiabant, inde uſus manavit ad Graecos. Hieronymi aetate ℘ Hebraicum Graeco elemento Φ reſpondebat, non τῷ Π, aut Latino P, cujus ſonum negat

Digitized by Google

hebraice exprimi posse. Nec aliter Syri olim & nunc suum *Pe*, quam per φ Graecorum pronuntiant: unde Syro-Graeci suum φάσχα hauserunt; ac mirum ni Lucas Antiochenus, ceterique Evangelistae scripserint in eundem modum.

AD LVC. II. 44.

Existimantes autem illum esse in comitatu] Graece ἐν συνοδίᾳ. In Glossis Philoxeni συνοδία redditur *Comitatus*. Suidas: Συνοδία· τὸ μετά τινος συμπεριπατεῖν. *Synodia est cum aliquo iter facere*. Est & illa vetus sententia:

Ἀνδρὸς ποτῆ φεῦγε συνοδίαν ἀεί.

Nequam viro numquam in via te adjunxeris.

Cui simile est illud Sap. VI. 25. ὅτι μὲν φθόνῳ τετηκότι συνοδεύσω. *Neque cum invidia tabescente iter habebo*. Et venit a masculino σύνοδος, qui Hesychio est συνοδοιπόρος. Haec eo notavi, ne Heinsio credas, qui συνοδίαν idem esse quod συγγένειαν, docuit. At in Graeco Nehemiae VII. 5. 64. (qui est Heinsianae interpretationis fundus) συνοδία idcirco τῷ ῬΠ' *genealogiae* respondet, quia illae iter facientium συνοδία secundum cognationes, uti par erat, recensebantur. Addit etiam Heinsius, monachorum συνοδίαν a cognatione ipsorum spirituali nomen inveniisse. Falso. In veteribus Glossis Συνοδία, & *comitatus* redditur & *conventus*; quorum hoc alterum monasticae συνοδίᾳ respondet, nam & hodie apud nos eorum monasteria *Conventi* appellantur. Si quaeras, cur monachi dicantur συνοδῖται, & eorum conventus συνοδίαι; respondebimus, id ex scripturarum locutionibus profectum, in quibus Christiani *in via esse* & *ad patriam pergere* dicuntur. Hinc coenobitae, quia simul iter ad Caelum carpebant, non invenuste συνοδῖται *viae comites* dicebantur. Exstat pluries id vocabulum in Asceticorum auctore Basilio tributorum, in Socrate, & alibi, quorum exempla Sviceri thesaurus suppeditabit. Ad hunc Lucae locum quod attinet, συνοδία *comitatus* est, quam hodie *caravanam* appellant: de quo vide heic Grotium.

Existimantes esse in comitatu] Assentior iis, qui συνοδίαν idem, quod Persico vocabulo *Caravanam* appellant, interpretantur. Ea certe notione συνοδίαν Latinus interpres accepit, quandoquidem *comitatum* vertit. Id enim probis Latinis scriptoribus *comitatus* significat. Livius XXVIII. 22. de Astapensibus procursationibus & latrociniis assuetis: *Magnum etiam comitatum, quia paucis parum tutum fuerat, transgredientem fines, positis insidiis, circumventum iniquo loco interfecerant*. Caesar eadem notione lib. I. B. C. cap. 48. 51. 54.

AD LVC. II. 47.

Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentia & responsis ejus] Josephus in vita sua narrat, se quatuordecim annos natum a sacerdotibus & primoribus civitatis variis interrogationibus exercitum ac tentatum fuisse: Συνιόντων ἀεὶ τῶν ἀρχιερέων καὶ τῶν τῆς πόλεως πρώτων ὑπὲρ τοῦ παρ' ἐμοῦ περὶ τῶν νομίμων ἀκριβέστερόν τι γνῶναι. Grotius ad hunc locum digitum intendit.

AD LVC. II. 49.

In his, quae Patris mei sunt, oportet me esse] Ἐν τοῖς τοῦ Πατρός μου. Viri docti interpretari malunt, *in domo Patris mei* h. e. templo; ac similia multa exempla afferunt, quibus articulus τὰ cum genitivo personae eam significationem habeat. Plane assentior: nisi quod ea loquendi ratio non tantum domum sed & locum aut regionem aliquando significet. Veluti τὰ Κολλυθίωνος *vicus* (κώμη dicitur Dionysio Alex.) fuit in Mareotica praefectura, quo se relegatum scribit Dionysius

Digitized by Google

Dionyſius Alex. lib. contra Germanum apud Euſeb. VII. hiſt. 11. in hunc modum: ἐπεὶ δὲ μετασκηνώσειν εἰς τὰ Κολλυθίωνος ἀπηγγέλη μοι, *Poſtea vero quam mihi renuntiatum fuit, ut ad Colluthionis vicum* ſive *regionem migrarem*. Item τὰ Βυκόλα tractus quidam Aegypti dicebatur. Nempe a dominis qui ea loca poſſederant, ſic dicebantur; ita ut Valeſii judicio in his locutionibus μέρη ſupplendum videatur.

AD LVC. II. 51.

Et erat ſubditus illis] ἦν ὑποτασσόμενος αὐτοῖς. In his Divinis ſcriptoribus paſſivum ὑποτάσσεσθαι (quod ceteroqui apud profanos eſt in poteſtatem redigi) valet *parere*. Exempla vide in Concordantiis Graecis V. ac N. T. Itaque heic ὑποτασσόμενος eſt ὑπήκοος, *dicto audiens*. Baſilius (vide locum in Mantiſſa mea de Joſephi opificio in *De Dedication. Sub Aſcia*) ex hoc loco probat, Jeſum fuiſſe materiarium, Joſepho ὑποτασσόμενον.

AD LVC. II. 52.

Proficiebat aetate & ſapientia] Quin ἡλικία heic ſtaturam potius, quam exactorum annorum ſummam deſignet, non dubito. Nec tamen culpandus interpres, qui *Aetatem* vertit. Nam etiam Latinis eam vocem pro *ſtatura* poni, teſtis eſt Exjoſippus ſive Ambroſius in Excidii Hieroſ. hiſtoria, imo & Ambroſius ipſe. Eorum loca videbis in Comm. ad Kalendar. Marmor. Neap. die 29. Junii parte I. cap. V. §. 5.

Proficiebat . . aetate] Eadem notione ſcriptori Actor. S. Marci Evangeliſtae fuiſſe dicitur μεσήλιξ h. e. mediae ſtaturae. Quem locum confer ex Comm. ad Marmor. Kal. pag. 242. col. 1. verſus finem.

Et Jeſus proficiebat ſapientia & aetate] ἡλικία, heic *ſtaturam* ſignificari, non dubiis argumentis oſtenderem, niſi id a viris doctis jam antea animadverſum comperiſſem. Nec vitio dandum interpreti, quod *aetatem* reddiderit. In Gloſſis enim veteribus *Aetas* & *aevitas* τῇ ἡλικίᾳ reſpondet, ut omnino exiſtimem, id totum quod vox ἡλικία ſignificat, Latino *Aetatis* vocabulo contineri. Hinc illa epitheta *aetas grandior*, *firma*, *infirma* &c. quae magis ſunt ſtaturae quam annorum adjuncta. Et quidem quin *Aetas* quaſi *aevitas* dicta fuerit, non ſinit nos dubitare Priſcianus, & quod *aevitatis* vox uſurpata apud Varronem & in XII. tab. reperitur. At *aevum*, unde eſt *aevitas*, videtur pro ſtatura aut ſtaturae augmento uſurpari in Horatiano verſiculo, *Creſcit occulto velut arbor aevo*. Ergo tam Graeca vox, quam Latina interpretis heic apud Lucam non tempus, ſed *ſtaturam* deſignat.

AD LVC. II. 52.

Et gratia apud Deum & homines] Videtur copula & (Heb. ו) more Hebraico ſumi pro *autem*, hoc ſenſu: *Gratiâ autem non ſolum apud Deum, ſed & apud homines*. Quo in membro illud προέκοπτε ita ἀπὸ κοινοῦ ſupplendum eſt, ut tamen ad *homines*, non item ad *apud Deum* referatur, apud quem nullus poterat in Chriſto gratiae profectus eſſe: at apud homines poterat; apud quos ut ſapientiâ, ita & gratiâ (quocumque modo haec accipiatur) magis magiſque proficiebat. Qui compendio ſtudent, multa lectoribus relinquunt commoda interpretatione juvanda; nemoque adeo ſcriptorum eſt, in quo talia multa non occurrant, quae ſi alioqui ad obruſſam exigas, multa circuitione ſermo indigebit.

AD

Digitized by Google

AD LVC. III. 2.

Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha] Graeca praepositio ὑπὸ temporis notationi servit, quam veteres Latini non adhibebant, qui dicebant Illo & illo consulibus. Sed posteriores aevi scriptores sicut multa, sic istud etiam imitati. Namque Spartianus Hadriano cap. 3. *Praetor factus est sub Surano bis, Serviano iterum Coss.* Idem Antonino Pio: *Ipse Antoninus Pius natus est . . . Sub Domitiano duodecimum & Cornelio Dolabella Coss.*

Sub principibus Sacerdotum Anna & Caipha] Apud Asiaticos pontificum nomine anni consignabantur. Patet id ex nummorum inscriptionibus apud Spanhemium de praest. & us. num. (secundae editionis) pag. 693. ΕΠΙ · ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ · ΚΛΑΥ · ΒΙΑΝΤΟΣ · ΚΙΑ · *Sub pontifice Claudio Biante Cianorum.* ΕΠ · Μ · ΑΥΡ · ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ · ΑΡΧΙ · ΑΠΑΜΕΩΝ · *Sub M. Aurelio Alexandro pontifice Apamensium.* In epistola Smyrnaeorum passus dicitur Polycarpus ἐπὶ ἀρχιερέως Φιλίππου. Id eo factum puto, quia pontifex communis alicujus, ejusdem & princeps erat, uti statim probabitur. Foedus antiquissimum inter Smyrnaeos & Magnetes sic incipit (apud Prideaux in marm. Oxon. pag. 2. lin. 34.) ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΗΓΗΣΙΟΥ ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΔΕ ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ ΜΗΝΟΣ &c. Sub Sacerdote Hegesia, Stephanephoro Pythodoro, mense &c.

Cur autem duos affert pontifices, cum nonnisi unum gens illa agnoscere? Vexatissima difficultas. Caipham tum vere fuisse ἀρχιερέα nemo ambigit. De Anna est controversia. Prorsus assentior Hammondo & iis, qui quo tempore Caiphas pontificatum gerebat, Annam fuisse Judaici Synedrii *Nasi*, & ἄρχοντα λαοῦ arbitrantur: qui potestatem summam in populares haberet, sed limitatam, sine jure vitae & necis, & principi extraneo obnoxiam, qualem omnino olim αἰχμαλωτάρχαι habuere. Idque mihi liquido patere videtur ex Joh. XVIII. 13. Non enim alia de caussa duxerunt Jesum *ad Annam* primum, quam quia ea summa apud gentem potestate polleret; qui ubi de Jesu cognovisset, *misit eum ligatum*, ut ℣. 24. ejusdem capitis dicitur. Vide dicta ad Joh. XVIII. 13. Adhaec Act. IV. 6. inter concilii patres Annas primus omnium suo merito nominatur, ut pote *Nasi* sive praeses synedrii. Vide quoque ibi dicta.

Tamen cur idem ἀρχιερεὺς diceretur (neque hic solum, sed etiam Act. IV. 6.) nondum, quod sciam, idonea ratio est assignata. Nam quod ajunt semel pontificatu functos, nihilo minus ἀρχιερεῖς appellatos, id, ut verum sit, tamen non sequitur eorum nomine consignari annos potuisse, ut diceretur ἐπὶ ἀρχιερέως τοῦ δεῖνα, ut hic apud Lucam. Quae locutio hanc habet vim, non ut ex gesto olim pontificatu expontificem notet, sed in praesentia pontificem.

Dicam equidem, quo me conjectura duxerit. Apud Asiaticos qui totius communis concilio praeerant, Asiarchae appellabantur, eorumque similitudine Bithynarchae, Syriarchae, Cappadocarchae, Phoenicarchae, Cypriarchae, aliique in eundem modum appellati reperiuntur. Ergo eâdem analogia Judaici concilii praesidem Judaearcham non dubitaverim appellare, aut saltem ethnarcham, quemadmodum Simon Judaeorum ἐθνάρχης in Machabaicis dicitur; eodemque nomine Judaeorum Alexandriae princeps in edicto Claudii apud Josephum nuncupatur.

Errant autem qui Asiarchiam & cetera ejusdem formae apud alias gentes nomina, sacerdotii vocabula fuisse vulgo opinantur. Strabo lib. XIV. Asiarchas fuisse docet κρατεύοντας κατὰ τὴν ἐπαρχίαν. Idem de Lyciarchis: ἐν δὲ τῷ συνεδρίῳ πρῶτον

Digitized by Google

πρῶτον μὲν Ασιάρχης αἱρεῖται, εἶτα ἄλλαι ἀρχαὶ αἱ τῶ συνήματος. Vlpianus Asiarchiam *Praefidatum Asiae* appellat. Sed errori anſam praebuit, quod qui Aſiarchae erant, h. e. gentis & concilii praeſides, iidem ſacerdotium gentis capeſſerent: quo fit ut promiſcue modo Aſiarchae, modo ἀρχιερεῖς dicebantur, ut in Epiſtola Smyrnaeorum Philippus ille modo Aſiarcha, modo ἀρχιερεὺς appellatur: interdum autem utraque appellatio conjungitur, ut inſcriptio numiſmatis apud Spanhemium de praeſt. & uſ. num. pag. 692. praeſefert: ΦΡΟΝΤΩΝΟΣ · ΑΣΙΑΡΧΟΥ · ΚΑΙ · ΑΡΧΙΕ · ΓΙ · ΠΟΛΕΩΝ · ΚΟΙΝ · *Frontone Aſiarcha & Pontifice XIII. civitatum communis* Aſiae. Nonne vides Aſiarchiam a pontificatu ſecerni? Sed confuſa haec duo fuere, quod qui Aſiarcha, idem & ἀρχιερεὺς aut eſſet aut diceretur. Nam fieri poteſt, ut is appellatione magis & jure, quam functione ſacerdos eſſet. Nam & ſub Chriſtianis imperatoribus Aſiarchae fuere, quos honore magis & appellatione ἀρχιερεῖς fuiſſe oportet, nil niſi de ludorum procuratione ſollicitos.

Lactantius de mort. perſec. cap. 36. ubi dixiſſet Maximinum *ſacerdotes maximos per ſingulas civitates ſingulos ex primoribus* feciſſe, qui ſacrificia diis facerent, ſtatim, & hoc adjecit. *Parumque hoc fuit, niſi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu ſingulos QVASI PONTIFICES ſuperponeret, & eos utroſque candidis chlamydibus ornatos juſſit incedere.* Nemo non videt Bithynarchas, Syriarchas & ceteros in eundem modum ethnarchas intelligi, quos *quaſi pontifices* appellat, quia nomine tenus ἀρχιερεῖς erant &c. Verum utut eſt, ex Aſiaticorum more hoc manaſſe putem, ut & Judaici Concilii praeſidi ſive ethnarchae Lucas hic & in Actis, ἀρχιερέως appellationem tribuerit. Et quidem Lucas commodum in ea paſſim uſitata appellatione compendium nactus, ſic maluit, quam iſto modo: ἐπὶ ἄρχοντος ſive ἐθνάρχου Ἄννα, ἀρχιερέως δὲ Καϊάφα. In Actis autem IV. 6. tantum Annam τὸν ἀρχιερέα nuncupavit, non item Caipham ea appellatione donavit, quia Annas τῶν ἐκ γένους ἀρχιερατικῶ & Senatus princeps erat. Vide quae ad eum Lucae locum notavimus. Similiter Act. XXIII. 2. 4. Ananias (quem ex ℣. 5. ἄρχοντα h. e. *Naſi* ſeu Synedrii principem fuiſſe conſtat) ὁ ἀρχιερεὺς quaſi κατ' ἐξοχὴν nuncupatur (Vide quoque ibi quae diximus in eandem ſententiam) fortaſſe quod eſſet *perpetuus pontifex*.

Nam ſane Judaici Concilii praeſidem non tantum ἀρχιερῆ appellatum, verum etiam ἀρχιερῆ διὰ βίου, mihi facile perſuadeo: cum alter ille qui pontificias functiones obibat, diceretur *Pontifex anni illius*. Vide dicta in hanc ſententiam ad Joh. XVIII. 13.

Quod Aſiarcha nomen ſit praefecturae potius quam ſacerdotii, Conſtantinus Porphyrog. lib. 1. de thematibus cap. 3. Τὸ δὲ νῦν καλούμενον θρακησίων θέμα, πάλαι μὲν καὶ κατ' ἀρχὰς Ασία μικρὰ ὠνομάζετο, καὶ ὁ ταύτης ἀνθύπατος Ασιάρχης ἐλέγετο. In eo fallitur quod proconſulem Aſiae *Aſiarchen* dictum olim narret, ſed quin *Aſiarchae praefecturae nomen fuerit*, mihi non eſt dubium.

AD LVC. III. 5.

Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur, & erunt prava in directa & aſpera in vias planas] Vtrunque ὁδοστρωσίας peculiare fuit. Romani teſte Strabone lib. V. pag. 235. ἔστρωσαν δὲ καὶ τὰς κατὰ τὴν χώραν ὁδοὺς, προσθέντες ἐκκοπὰς τε λόφων, καὶ ἐγχώσεις κοιλάδων. *Itaque & per regiones ſtraverunt itinera, tum excavatis collibus, tum cavitatibus ingeſta materia complanatis.*

Et

Et erunt prava in directa & aspera in vias planas] Ter. Phorm. V. 2. 6. contrariam sententiam extulit, ubi sic Demipho de lenone conqueritur: *His nunc praemium est, qui recta prava faciunt.*

AD LVC. III. 12.

Venerunt autem & publicani] Vide quae de publicanis afferunt interpretes ad Matt. V. 46. ubi primum nominantur. Nos praetermissa aliis notasse non poenituerit. Τελώνας non duum tantum, sed trium fuisse generum deprehendi. Primi erant equites illi Romani, qui *mancipes* appellabantur. Asconius in Divinationis in Q. Caecilium cap. X. *mancipes* esse ait principes publicanorum, qui quaestus sui causa exigenda a sociis suo periculo exigant & reip. repraesentent. Horum etsi honesta conditio erat (quippe teste Cic. pro Planc. *Flos equitum R. ornamentum civitatis, firmamentum reip. publicanorum ordine continetur*) tamen Val. Max. VI. 10. inter exempla sublimitatis a statu humili statuit T. Ausidium, qui cum Asiatici publici exiguam particulam habuisset, postea Asiam procos. administrarit. Alterum genus erat eorum, qui socii appellabantur, qui ab ipsis mancipibus publica redimebant, sive eorundem periculo exigebant. Postremo infima fors illorum fuit, qui sociis operam dabant, ac pretio conducti sordidis exactionibus suam inopiam sustentabant. Tria haec genera didici ex Val. Max. VI. 10. *At P. Rutilius non publicanum in Sicilia egit, sed operam publicanis dedit* (h. e. socius publicanorum fuit) *idem ultimam inopiam suam auctorato sociis officio sustentavit* (en tertium genus) *ab hoc postmodum consule leges universi Siculi acceperunt.* Ad hoc tertium genus τελῶναι illi sunt referendi, quos describit Plut. περὶ πολυπραγμοσύνης. Καὶ γὰρ τοὺς τελώνας βαρυνόμεθα καὶ δυσχεραίνομεν, οὐχ ὅταν τὰ ἐμφανῆ τῶν εἰσαγομένων ἐκλέγωσιν, ἀλλ' ὅταν τὰ κεκρυμμένα ζητοῦντες, ἐν ἀλλοτρίοις σκεύεσι καὶ Φορτίοις ἀναστρέφωνται. Ex quo vides discreta quidem his tribus classibus apud Latinos fuisse nomina, ut alii mancipes essent, alii socii, alii auctorati sociis; apud Graecos vero communi omnes vocabulo τελώνας appellatos. Quae cum ita sint Evangelicos τελώνας ad quodnam genus referri putem? Viri doctissimi vulgo existimant fuisse socios h. e. alterius classis. Equidem arbitror tertii fuisse generis. In istos quippe sordidos exactores qui quo jure quaque injuria crumenas emungunt, & supra constitutum modum lucelli sui causa pecuniam extorquent, Baptistae monitum quadrat, ne quid ultra constitutum sibi modum exigerent. Deinde si isti socii fuere, quid Zachaeo locuplete ἀρχιτελώνῃ fiet, de quo Luc. XIX. 2.? Non enim Zachaeum unum ex equitibus R. mancipibus fuisse crediderim. Restat igitur, ut unus sociorum fuerit, qui comparate ad istos sordidos exactores sive auctoratos, ἀρχιτέλωνης appelletur. Matthaeum autem, quem pari cum ceteris Apostolis inopia laborasse crediderim, in eandem tertiam publicanorum classem ablegaverim.

AD LVC. III. 13.

Nihil amplius, quam quod constitutum est vobis, faciatis.] Recte jam viri docti notarunt, vertendum fuisse *exigatis*, sed tamen sicut hic, & alibi apud scriptores, simplex πράσσειν pro composito ἐκπράσσειν ponitur; sic & apud Latinos *agere* pro *exigere* reperitur. Ter. Adelph. I. I. 26. *Do, praetermitto: non necesse habeo omnia pro meo jure agere.* Quod exigere interpretantur. In hac ipsa re vectigali *agere publicum* dicitur pro exigere. Suetonius Vespasiano cap. 1. *Publicum Quadragesimae in Asia egit.* Val. Max. VI. 10. *P. Rutilius non publicum*

Digitized by Google

cum (sic fort. legendum, pro quo codex, quem ad manus habeo, *publicanum*, quanquam enim *publicanum egit* Latinum est, est tamen mancipibus cum sociis commune,) *in Sicilia egit*. Quidni autem, sicuti *exercere vectigalia* pro *exigere* dicitur, sic etiam sermone idiotico *facere* eadem notione forsan usurpatum fuerit; ita ut interpres eodem sensu *faciatis* posuerit, quo Lucas πράσσετε? Certe *facere manum* est *colligere*, & eadem significatione Terentius dixit, *facere quam plurimum gnatis*.

Ceterum opportune Baptista dirigit hoc monitum in publicanos. Nam si Zachaeus, cum dives esset & ἀρχιτελώνης, aliquid se tamen defraudasse innuit Luc. XIX. 8. quanto magis minutissimorum hoc πραχτόρων genus, viventium in diem, quos Praecursor alloquitur? Publicanos hujus generis ut deterreret a fraudibus M. Antoninus, narrante Capitolino cap. XI. *Dedit . . . . . curatoribus regionum ac viarum potestatem, ut vel punirent, vel ad praefectum urbis puniendos remitterent eos, qui ultra vectigalia quicquam ab aliquo exegissent*.

AD LVC. III. 14.

Neminem concutiatis] Quid sint *concussiones*, jam alii explicuerunt. Spartianus de Pescennio Nigro cap. 3. *Nunquam sub eo miles provinciali lignum, oleum, operam extorsit*. Vopiscus in Aureliano: *Oleum, sal, lignum nemo exigat: annona sua contentus sit*.

Neque calumniam faciatis] Notant viri eruditi τὸ συκοφαντεῖν hoc loco tantundem esse, quod dolo, ac fraudulenter (aut certe occulte, non vi aperta) aliquid surripere, ac rapinis quamlibet frivolas & injustas caussas praetexere. Habet opinor, & eandem vim Latina translatio: id enim nonnunquam & *Calumniae* vocabulum significat, uti liquet ex Nervae nummo, cujus aversa parte inscribitur.: CALVMNIA . FISCI . IVDAICI . SVBLATA. Sicut & Domitianum *fiscales calumnias* repressisse narrat Suetonius cap. 9. Quid enim sunt aliud fiscales calumniae, quam iniquae extorsiones absurdo quovis praetextu palliatae? Idem Suetonius Caligula cap. 38. *Ad rapinas convertit animum, vario & exquisitissimo calumniarum & auctionum & vectigalium genere*. Victor alter, sive Victorinus in vita Constantii: *Cujus* (Trajani) *procuratores cum provincias calumniis agitarent, illa* (Plotina) *conjugem corripuit*. Vtitur saepe Latinus V. T. interpres *calumniandi* verbo, ut respondeat τῷ συκοφαντέω Graecae translationis, quod pro עשק *asak*, *oppressit*, Graeci reponere consueverunt.

Eandem significationem habet συκοφαντέω apud eundem Lucam cap. XIX. εἴτινός τι ἐσυκοφάντησα, *defraudavi*. Quae cum ita sint: non possum in eorum sententiam ire, quibus οἱ στρατευόμενοι, ad quos haec monita diriguntur, sunt legionarii milites. Ad illud militiae genus hi pertinebant, de quo illi fuerunt, qui postea *frumentarii*, *curiosi*, *agentes in rebus*, *sagones*, *veredarii &c.* sunt appellati. Jam vero *speculatorum* his ipsis in libris mentio exsistit, qui milites erant, sed non legionarii. Omnino στρατευόμενοι isti ad id genus militiae sunt revocandi, qui sive ipsi Procuratori Aug. sive fiscalibus exactoribus apparebant. Horum peculiare erat *calumniari* & συκοφαντεῖν, non item manipularium militum.

Quanquam ceteroqui latius patet verbum *calumnior*, cui in veteribus Glossis verbum ἐπηρεάζω respondet h. e. *injuriam* aut *damnum infero*, *infestum esse &c.* Qua notione vetus adagium apud Victorem Vitensem II. 1. est interpretandum: *Rex egens magnus est calumniator*.

Digitized by Google

AD LVC. III. 23.

Et ipse Jesus erat incipiens quasi annorum triginta, ut putabatur, filius Joseph, qui fuit Eli &c.] Καὶ αὐτὸς ἦν ὁ Ιησοῦς ὡσεὶ ἐτῶν τριάκοντα ἀρχόμενος, ὢν, ὡς ἐνομίζετο, υἱὸς Ιωσὴφ, τοῦ Ἡλὶ &c. Imperite faciunt, quicumque τὸ ἀρχόμενος referunt ad τριάκοντα ἐτῶν, quasi Jesus inierit tantum annum tricesimum, non item impleverit. Atqui primum non exacte, sed παχύτερον hîc annorum summam colligit Lucas, uti liquet ex illo condimento ὡσεὶ, quod rotundato ab se numero adhibendum putavit: nec porro desunt, qui ἀποδείξεις se afferre putant, quibus excessisse tunc Jesum annum tricesimum conficiant. Deinde non raro ἀρχόμενος absolute ponitur: quoties autem sic usurpatur, referri debet πρὸς τὸ ὑποκείμενον. Vt in illo Batrachomyomachiae v. 1. Ἀρχόμενος subaudiri oportet τῆς ἀειδῆς: apud Lucam vero supplendum est τῆς διακονίας. Perverse etiam hoc faciunt quod ὢν, quod statim sequitur, cum ἀρχόμενος conjungunt, quod a communi sensu abhorret, qui docet, post ἀρχόμενος notandam esse ὑποστιγμὴν ac resistendum; tum illud ὢν ad sequentia referendum. Postremo Bertramus in de rep. Judaeor. praeter modo rejectas interpretationes, quas cum aliis communes habet, de ἐνομίζετο peculiaria sua tradit, ac totum hunc locum sic interpretatur: *Atque ipse erat Jesus incipiens esse* (ἀρχόμενος ὢν) *quasi annorum triginta, ut consuetudine receptum erat, filius Joseph, qui fuit filius Eli*: idest, erat Jesus ejusmodi, quem moribus lege Mosis confirmatis, Joseph pro suo habere potuit, quippe quem infantem redemerat ac postea eduxerat, atque enutrierat &c. de quo vide auctorem. Falsa prorsus interpretatio. Si quod Bertramus in interpretatione posuit, Lucas dicere voluisset, non ἐνομίζετο dixisset, sed νενόμιστο, aut ἐνενόμιστο. Bene se habet vulgata versio. *Putabatur* Josephi filius h. e. putabatur ab eo genitus. Similis locutio apud Capitolinum Macrino cap. 8. *Ac Bassiani, ut putabatur, filium sequendi, idest Heliogabalum*. Quamvis ceteroqui tum ob eas, quas Bertramus affert rationes, tum etiam quia *aedificium solo cedit* (filii autem a בנה *banah*, *aedificare*, nomen invenerunt apud Hebraeos, apud quos & *aedificare domum* tantundem est, quod liberis operam dare) legitimus non item naturalis, Josephi filius vere dici potuisset. Et quidem *putativos*, uti loquuntur, filios non ignoravit antiquitas. Othon & Ephialtem Aloei filios putativos fuisse tradit Apollodorus lib. 1. cum revera ex Neptuni genitura illos Iphimedia suscepisset. Vnde & *Aloidae* vulgo appellati fuere. Virg. VI. 582. *Hic & Aloidas geminos* &c. Branchus Macharei filius putatitius ab Apolline genitus erat.

Qui fuit Eli, qui fuit Mathat, qui fuit Levi &c.] τοῦ Ἡλὶ, τοῦ Ματθὰτ, τοῦ Λευὶ &c. Nescio quid Ligfooto venerit in mentem, totam hanc Lucae genealogiam pervertere, dum contendit in unaquaque propagine non υἱοῦ intelligendum esse, sed υἱός, hocque ad Christum semper referri oportere in hunc modum υἱὸς .... Ἰωσὴφ (υἱὸς) τοῦ Ηλὶ (υἱὸς) τοῦ Ματθὰτ &c. h. e. *filius Joseph, filius Eli, filius Mathat* &c. Miseret me certe hominis, quem apparet aut parum graece peritum, aut certe Lucam, in quo Graeci sermonis proprietatem omnes admirantur, ejusdem ignarum facere voluisse. Quis unquam isto modo stemma contexuit, ut unum aliquem patris, avi, proavi &c. filium diceret? Deinde, si hoc, quod Ligfootus vult, Lucas dicere voluisset, dixisset sane ὁ Ηλὶ, ὁ Ματθὰτ &c. Neque enim Alexander τοῦ Φιλίππου dicitur, sed ὁ Φιλίππου. Omnino enim in talibus articulus vocis υἱὸς vicem

Digitized by Google

vicem gerit, eodemque articulus adhibetur, quo υἱὸς esset usurpandum. Postremo si apud Lucam articulus non vicariam vim habet, sed praepositivam, cur Josepho istud τοῦ non praefigitur? Mitto quod inscite Noster singulis gradibus τὸ *qui fuit* adjecisset; eademque opera tota antiquitas inscitiae damnanda esset. Nam quod egregie religiosus homo veretur, ne in extrema genealogia Adamus dei filius dicatur (id quod *durum & ferme blasphemum* esse vociferatur) non video quid sit periculi, Adamum Dei filium vel per creationem vel per adoptionis gratiam agnoscere. Quanto sapientiores ethnici, ex quibus recitat hoc Paulus τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν? Genealogia Matthaei methodo, uti Dialectici appellant, syntheticâ; Lucae vero analyticâ fluit. Matthaeus Hebraeus homo & Hebraice scripturus Evangelium, genealogiam Christi Hebraico more pertexuit, ut a communi stipite inciperet, & in postremum ramusculum desineret: contrariam rationem secutus est Lucas, quippe Hellenista Graecos suorum temporum est imitatus, qui non alio modo genealogias disponebant (praesertim ubi de unius alicujus progenitoribus demonstrandis agebatur: nam certe opus genealogicum edendum fuisset, quod fecit Hesiodus, Matthaei methodus erat magis apposita) quam ut ab ultimo ad summum stipitem retro vestigia relegerent; idque brevitate summa, repetito semper articulo τοῦ. Reperi apud Phlegontem in fragmento περὶ τῶν ὀλυμπιχῶν Lycurgi genealogiam huic prorsus similem, quam Lucas usurpat. Λυκοῦργος δὲ ὁ Λακεδαιμόνιος, υἱὸς ὢν τοῦ Πρυτανέως, τοῦ Εὐρόπου, τοῦ Σώσου, τοῦ Προκλέους, τοῦ Ἀριστοδήμου, τοῦ Ἀριστομάχου, τοῦ Κλαιοδαίου, τοῦ Ὕλλου, τοῦ Ἡρακλέους καὶ Δηιανείρας.

Eadem genealogiae ratio apud Virg. VII. 47. de Latino rege:

Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica
Accipimus. Fauno Picus pater; isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis VLTIMVS auctor.

Saturnus primus auctor generis, idemque VLTIMVS dicitur: quod ἀναλυτικῶς in eum desineretur.

Eam genealogiae methodum Jul. Africanus apud Eusebium lib. I. hist. Eccl. cap. 7. pag. 22. media, vocat κατ' ἀνάλυσιν. quod non apposite interpretatur Valesius *gradatim*. Certe optimum exemplum analyticae methodi, ut genealogia Matthaei syntheticae. Ergo analytica methodus veteribus nota fuit; de qua videndus Budaeus Com. L. G. pag. 198. ubi docet, quid sit κατ' ἀνάλυσιν. Notandum quoque, quod eadem analytica genealogiae methodus reperitur 1. Reg. I. de Anna Samuelis matre, & Judith. cap. 8. ex quo apparet Hebraeis fuisse usitatam.

AD LVC. III. 35. 36.

Qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxad.] Qui *Sale* & *Cainan* duo ejusdem viri nomina fuisse censent (ut sic & Lucae & Mosi sua veritas constet) dicere coguntur, articulum ΤΟΥ Cainani praefixum non σχέσιν heic continere filii ad patrem (ut in tota hac Lucae serie) sed esse ἐξηγητικὸν, cujusmodi inter plura ejusdem nomina inseri solet, ut Ἰούλιος ὁ Καῖσαρ. Verum hoc tantummodo inter nomen & cognomen usurpatur, ut Πτολεμαῖος ὁ Φύσκων, non inter duo justa hominis ejusdem nomina. In binominibus enim inserebatur quidem articulus, sed junctim cum copula καὶ. Vt Act. XIII. 9. Σαῦλος δὲ, ὁ καὶ Παῦλος, *Saulus qui & Paulus*. Vide ad eum locum exempla innumera quae protulimus; nec enim copula omitti potest, nisi quum quod sub-

Digitized by Google

jungitur, eſt cognomen; aut etiam cum cognomini nomen ſubjungitur; aeque enim Καῖσαρ ὁ Ἰούλιος dicebatur. Sed Σαῦλος ὁ Παῦλος nullo modo. Quare & heic τῦ Σαλὰ τῦ καὶ Καϊνὰν dicendum fuerat. Nec abnuerem, ſic ſcripſiſſe Lucam, ſi veteres libri addicerent. Ac ſane ſuſpicor primam in Καϊναν ſyllabam fraudi librariis eſſe potuiſſe, ut praecedens καὶ omitterent. Sed praeſtare id non audeo. Interim ne hoc quidem admiſſo Sela binomine, in eorum ſententiam conceſſerim, qui ex Lucae loco, qui duplex uni Patriarchae nomen affixerat, male intellecto, duplicem patriarcham cum ſua quemque aetate in LXX irrepſiſſe. Non aſſentior inquam, quippe vetuſtius id flagitium in LXX textu fuit; uti patet ex Demetrii apud Euſeb. Praep. 21. calculo, qui ſine Cainan non ſibi conſtabit.

AD LVC. IV. 2.

Et nihil manducavit in diebus illis] Quadraginta ipſos dies nihil cibi attigiſſe, pertinet ad θεότητος indicia. Libanius or. de imp. Juliani ira (quam Fabricius vol. VII. bibl. Gr. inſeruit cap. IX. pag. 215.) hoc inter Julianum deoſque diſcrimen aſſignat, quod ille ciborum neceſſitate teneretur. Καὶ τῶν θεῶν τῷ μὲν σῖτον ἐσθίειν διέφηκεν &c.

AD LVC. IV. 5.

Et duxit illum diabolus in montem excelſum, & oſtendit illi omnia regna orbis terrae, in momento temporis.] Iſtud ultimum ἐν στιγμῇ χρόνῳ h. e. *in momento temporis*, omnes, quos viderim, ad proxime antecedens *oſtendit illi* referunt. Hinc natae ſunt illae otioſae diſputationes, quo pacto oſtenderit, num per picturam vi Chriſti imaginatrici propoſitam, an alio miro modo. Atqui ſic propoſuit, ſicut Severo, antequam conſequeretur imperium, omnia regna ſecundum quietem fuere propoſita. Vide quae Matth. IV. 8. diximus. Haec ergo, uti vides παχύτερον oſtenſa fuere, nec multo ſubtilius, quam ſi intra cubiculum quis conſiſtens, & cardines mundi percurrens, deſignaret qua parte Romanum imperium, qua Parthicum &c. ſe porrigeret. Jam vero illud ἐν στιγμῇ χρόνῳ ad omnia quidem praecedentia refertur, ſed ad illud potiſſimum *Duxit illum in montem excelſum*. Vult enim ſignificare, non pedibus ſcandiſſe cacumen montis Chriſtum, ſed *momento temporis* per aërem fuiſſe a maligno ſpiritu illo translatum: nam a ſpiritibus momento temporis motiones locales perficiuntur.

AD LVCAE IV. 24.

Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua] Dio Chryſoſtomus or. XLVII. quae δημηγορία ἐν τῇ πατρίδι inſcribitur, quaedam habet in hanc ſententiam, ubi & Stagiram uti noluiſſe ait Ariſtotelis beneficio, e tenui vico felicem ac nobilem civitatem reddere volentis; & Homerum, Pythagoram, Zenonem, Chryſippum, Cleanthem patria excedere maluiſſe, quam patriae injurias, ut Socrates, experiri.

AD LVC. IV. 29.

Vſque ad ſupercilium montis] Gr. ἕως τῆς ὀφρύος &c. Euſtathius ad 1. Il. Ὀφρῦς ὄρους διὰ τὰς τῶν ζώων ὀφρῦς, καὶ πόδες διὰ τὰς πόδας. Nam montibus tanquam humana membra, *vertex*, *ſupercilia*, *latera*, *ſcapulae* (Tert. de pallio c. 2. *Scapulae montium*) *pedes* aſſignabantur; ut de poetis taceam multo plus ſibi indulgentibus. Virg. IV. Aen. 248.

Atlan-

Digitized by Google

Atlantis, cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput & vento pulsatur & imbri:
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Praecipitant senis, & glacie riget horrida barba.

Suidas: εἰς τρία διήρηται τὸ ὄρος, εἰς ἀκρώρειαν, εἰς ὑπώρειαν, εἰς τέρμα. Καὶ ἀκρώρεια μέν ἐστιν ἡ κορυφὴ, ὑπώρεια δὲ τὰ πλευρὰ τοῦ ὄρους, τέρμα δὲ τὰ τελευταῖα καὶ πόδες. Omisit παρώρειαν Suidas, quia non unius montis vox est, sed continentium juga montium notat: quam παράφρειαν aliter, tracto ab animalibus vocabulo, ῥάχιν h. e. *spinam* Graeci, Latini *dorsum* appellant.

AD LVC. VI. 1.

Confricantes manibus] Gr. Ψώχοντες i. e. *friantes*. Sed nonnunquam *frico* idem quod *frio*. Glossae veteres *fricare* exponunt ψώχειν.

AD LVC. VI. 12.

Exiit in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.] Gr. ἐν τῇ προσευχῇ τοῦ Θεοῦ. Articulus προσευχῇ praefixus, proseucham heic esse intelligendam, submonet: & ceteroqui, si de precatione agitur, insolens locutio esset προσευχὴ τοῦ Θεοῦ pro εἰς vel πρὸς τὸν Θεὸν, ut viri docti notarunt. Quod pernoctasse in proseucha dicitur, id non abhorret a proseucharum more Act. XX. 9. Joh. XVIII. 1. & seq. de quo vide dicta ad Act. XVI. 13. Ceterum non nunc primum proseuchae in montibus statuuntur. Moses Ex. XVII. 10. in monte orationi vacabat interim, dum Josua Amalecitas adoriretur. Jam vero proseucham omnium antiquissimam in Maspha fuisse positam constat ex Jud. XI. 11. & XX. 1. & aliis locis, ac potissimum ex 1. Mach. III. 46. ubi Judas Machabaeus idcirco in Maspha coetus coëgisse dicitur, ὅτι τόπος προσευχῆς εἰς Μασσηφὰ τὰ πρότερον τῷ Ισραὴλ. Maspham autem sive Massepham in edito positam & vox ipsa clamat, quae speculam significat, & ex Jud. XX. 3. potest perspici. Fluxit is mos ab Hebraeis ad ceteras nationes, quae in religionis actibus excelsa semper sunt loca sectatae, ut propius a caelo abessent; & de *excelsorum* quidem superstitione plenae sunt veteris Instrumenti paginae. In caenaculis aut solariis etiam excelsioribus precationis loca instituebantur, ut alibi notatum, ob eandem causam; & quod liberior inde ad Templum aspectus esset, uti liquet ex Dan. VI. 10. Postremo in ejuscemodi locis ab omni strepitu seductioribus commodius Deo vacari poterat. Ad Act. XVI. 13. memini notasse proseuchas plerumque θεατροειδεῖς fuisse: atqui eum loci positum sinuata & in sese reducta montium latera (ut & amnium ripae Act. XVI. 13.) abunde suppeditabant.

AD LVC. VI. 22.

Et ejecerint nomen vestrum] Assentior Grotio, qui ἐκβαλεῖν τὸ ὄνομα *differre rumoribus* interpretatur. Nec erat necesse eam significationem ex Hebraea phrasi arcessere. Nam ἐκβαλεῖν τέκνον apud Euripidem Jone, non *expellere* sed *exponere* significat, Camerario interprete, apud H. St. in thes. L. G.

Adhaec Athenaeus lib. VI. cap. 4. ubi de iis disputat, quae ἀδιάφορα Stoici appellant, ait, aurum, argentum, & horum similia idcirco naturam in terrae venas abdidisse, neque in lucem propulisse (Graece οὐδὲν γὰρ ἡ φύσις ἐκβέβληκεν h. e. *in lucem prodidit*, sive *exposuit*) ut defatigati desinant ea magnopere inqui-

Digitized by Google

inquirere. Vides opinor Evangeliſtae locutionem eſſe bene Graecam. Etiam vernaculo ſermone apud Italos *cacciar fuori* tantundem valet, quod ſpargere in vulgus.

Apud Cypr. lib. *de Lapſis* ſic iſta referuntur: *Beati eritis cum perſecuti vos fuerint* memoriter nempe haec recitans, ex alio Evangeliſta ſic promſerat; nam epiſt. 56. *cum odio vos habuerint homines*. At ſequentia utroque loco apud Cyprianum ſic producuntur: *Et ſeparaverint vos, & expulerint, & maledixerint nomini veſtro quaſi nequam, propter filium hominis*: Vbi vides antiquos qui non intelligerent quid eſſet ἐκβαλεῖν ὄνομα, trajicienda ac loco movenda duo iſta verba exiſtimaſſe in hunc modum, καὶ ἐκβάλωσι καὶ ὀνειδίσωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν.

Atque hinc Laërtii locus V. 88. illuſtrari poteſt, non adhuc recte expoſitus, ubi Heracliti opus tum alios illuſtraſſe dicit, tum Scythinum jambicis Graecis ἐκβαλεῖν, id quod Laërtii interpretes *exploſiſſe & oppugnaſſe* vertunt, uti etiam Stanleius p. 724. hiſt. philos. Non hoc ſignificat, ſed ejus contrarium, nimirum Heracliti opus proſa oratione contextum mox Scythinum ſenariis expreſſum *edidiſſe* ſive *evulgaſſe*. Verum quid plura? eadem ſignificatione Matt. XII. 35. XIII. 52.

Poſtremo videtur Vulgatus interpres non male *Ejiciendi* verbo uſus; nam & Aelius Lampridius Commodo cap. 9. dixit: *multos praeter ea paraverat interimere; quod per parvulum quendam proditum eſt, qui tabulam e cubiculo EJECIT, in qua occidendorum erant nomina ſcripta*. Vbi *Ejecit* non tantum eſt *extulit*, ſed etiam *in vulgus edidit*.

AD LVC. VI. 23.

Secundum haec enim faciebant Prophetis patres eorum] Gr. Οἱ πατέρες αὐτῶν. Iſtud αὐτῶν non refertur ad proximum προφήταις, ſed ad remotius illud ἄνθρωποι praecedentis commatis. Quare *Illorum*, quam ut in Vulgato eſt interprete, *eorum*, vertere malim. Sic etiam ℣. 26.

AD LVC. VI. 30.

Omni autem petenti te, tribue] Barnabas epiſtolae parte altera cap. 1. iiſdem verbis: πάντι αἰτοῦντί σε δίδυ· Totus vero locus ſic habet: ὃ διφάσεις δῶναι, ὅλε δώσεις γογγύσεις. παντὶ αἰτοῦντί σε δίδυ· γνώσῃ δὲ, τίς ὁ μισθῦ καλὸς ἀνταποδότης. Vetus interpres: *Dare non ambiges, neque dans murmurabis; omni petenti te da. Cognoſces autem, quis ſit bonus mercedis retributor*. Paullo ante dixerat: μὴ γίνυ πρὸς μὲν τὸ λαβεῖν ἐκτείνων τὰς χεῖρας, πρὸς δὲ τὸ δῶναι συσπῶν. Verſio vetus: *Ne porrigas manum tuam ad accipiendum, eam vero ad dandum claudas*.

AD LVC. VI. 35.

Mutuum date, nihil inde ſperantes] Hebraeis vetabatur uſura ex ὁμοφύλοις exigi, at ſinebatur ab extraneis. Hoc alterum ſive ad duritiam cordis eis permittebatur, ſive Deo transferente in eos dominium rei alioqui fraudulentae. Itaque ex hoc Hebraeorum facto nihil inferi poteſt, ut uſurae licitae oſtendantur.

At vero Jeſus Chriſtus legem perfecturus, uſuras in totum vetuit: certe quia jure naturali illicitae ſemper fuerunt. De jure naturae ſatis admonet Catonis illius ſenioris auctoritas, qui librum de Re Ruſtica ſic orditur. *Eſt interdum praeſtare, mercaturis rem quaerere, ni tam periculoſum ſiet; & item FOENERARI, SI TAM HONESTVM SIET. Majores enim noſtri ſic habuerunt, & ſic in legibus* (quibus, niſi XII. tabularum?) *poſiverunt, furem dupli condemnari, foenerato-*

Digitized by Google

neratorem quadrupli. Quanto pejorem civem existimarint FOENERATOREM QVAM FVREM, hinc licet existimari. Huc quoque pertinet pulcher Tullii locus extremo altero officiorum libro, ubi quum idem Cato pastioni primas, secundas, tertias detulisset partes, mox interrogatus, *Quid foenerari?* respondit, *Quid hominem occidere?*

In Graeco, est μηδὲν ἀπελπίζοντες. Ἀπελπίζειν τινὰ in re ἰατρικῇ est spem omnem de aegrotante abjicere. In celebri tabula olim Aesculapii templo affixa, quae exstat apud Grut. LXXI. ΑΦΗΛΠΙCΜΕΝΟΙ (pro ἀπελπισμ.) ii dicuntur, quorum cum esset desperata salus, tamen ab Aesculapio sanati. Ibi vide, itemque nostra ad Judith. IX. 16. adnotata.

AD LVC. VI. 38.

Date & dabitur vobis: mensuram bonam & confertam & coagitatam, & supereffluentem dabunt in sinum vestrum.] Haec prolixitas non tantum erga homines praecepta heic intelligitur, sed etiam erga Deum: quanquam & quae hominibus praestantur, ea Deus, tamquam foenori sibi data, remuneratur. Omnino vera pietas non tantum legem servare pensi habebat, verum & quaedam opera praeterea admetiebatur, ad quae lex non adigebat: id quod est ἐπίμετρον τῷ νόμῳ. Hinc חסד *chesed*, *pietas*, Aben Esrae definitur דבר שאינו חיוב *res quae non fit ex debito*. Hanc vero prolixiorem pietatem Deus mensura compressa coagitata & supereffluente compensat.

Mensuram bonam, confertam, & coagitatam, & supereffluentem] Mensoribus aridorum, nec frumenta comprimere, nec modium concutere licebat, qui demum hostorio abradebatur, ut cumulus in terram decideret. Hae tamen leges domini benignitatem non impediebant, quominus si cumulate metiri vellet, praeter tria illa etiam ἐπίμετρον admetiretur.

AD LVC. VI. 48.

Et posuit fundamentum super petram] Gr. Καὶ ἔθηκε θεμέλιον ἐπὶ τὴν πέτραν. Vitruvius III. 3. satis habuit praecipere fundationes fodiendas esse *ab solido & in solidum* h. e. qua late patet aedificium, solido inniti debere, *si queat inveniri*, ut idem ait. Quae causa fuit cur Christus ἐπὶ τὴν πέτραν dixerit? Nimirum, quia Judaea maximam partem ὑπόπετρος, Strabone teste, ex more regionis loquitur Servator noster.

AD LVC. VII. 5.

Diligit enim gentem nostram, & synagogam ipse aedificavit nobis] Quam bene se animatos erga Judaeorum religionem gentiles praebuerint, ad Matt. XXIII. 15. supra pag. 72. demonstravimus. Vide & Philonem in de legatione ad Cajum, ubi multus est in Augusti in suos populares beneficiis enarrandis. Quod synagogam ab homine gentili aedificatam Lucas heic tradit, geminum habet Juvenalis de Romanis testimonium initio Sat. III. ubi de proseucharum multitudine conquerens ait:

Nunc sacri fontis nemus & DELVBRA LOCANTVR
Judaeis, quorum cophinus foenumque supellex;
Omnis enim populo mercedem solvere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat silva Camoenis.

Quos

Digitized by Google

Quos quidem verſus ad Matt. XXIII. 14. fuſius enarravimus. Interim illud *Locantur* interpretes & eruditi omnes in eam partem acceperunt, quaſi ſi Judaeorum habitationibus, vel, ſi mavis, proſeuchis non tantum nemora, ſed & Deorum delubra occupata fuiſſe ſuis temporibus poëta expoſtulet. Credibile ne eſt, Judaeos in profanis gentium fanis habuiſſe conducta, aut, quod multo gravius, ibidem ad preces divinas conveniſſe? Equidem haud puto dubitandum, quin *Delubra* apud Aquinatem poëtam ſint Judaica προσευκτήρια, quae Romano more delubra appellavit. Ergo in Romanos invehitur, Judaeis tam impenſe faventes, ut etiam delubra h. e. proſeuchas in eorum gratiam aedificandas *locarent*. Non *locari habitanda* Judaeis delubra poëta conqueritur, ſed in eorum gratiam redemptoribus *extruenda locari*.

AD LVC. VII. 12.

Cum autem appropinquaret portae civitatis] τῇ πύλῃ τῆς πόλεως. Non memini apud profanos Scriptores πύλην numero ſingulari legiſſe, qui vel tum cum de una aliqua civitatis porta loquuntur, πύλας dixere. Exempla paſſim apud Homerum alioſque ſcriptores. Itaque Herodianus περὶ ταῖς πύλαις, & Luc. πρὸς ταῖς πύλαις ἦν dixerunt, non πύλῃ. Id ex eo factum arbitror, quod portae civitatium binae ſingulis locis non ſingulares, ut hodie, eſſent; uti patet ex gentis Cariſiae nummis duobus (apud Vaillantium num 11. 12.) quibus Emeritae civitatis portae ſimul binae conſpiciuntur; itemque ex veteribus muſivis apud Ciampinum to. 1. Vet. Mon. Ex eo inquam factum crediderim, ut πύλαι non πύλη dicerentur. At Graeci interpretes ubicumque in Hebraeo שער *ſchaar* repererunt, ibi πύλην ſingulare repoſuerunt; idque apud Helleniſtas manſit; unde ſaepe in N. T. id reperias.

AD LVC. VII. 15.

Et reſedit qui erat mortuus] ἀνεκάθισεν. Eadem locutio in re eadem occurrit apud eundem hunc Lucam Act. IX. 40. Plato Phaed. ὁ δὲ Σωκράτης ἀναπαθιζόμενος εἰς τὴν κλίνην, συνέκαμψε τὸ σκέλος. Quod non *recumbere*, ſed *reſidere erecto corpore* ſignificat; ex eo utique geſtu, qui ibi exponitur. Sic & καθίζω heic & Act. IX.

AD LVC. VII. 19.

Et convocavit duos ex diſcipulis ſuis Johannes, & miſit ad Jeſum] Quin perrexit ipſe? An quod inſtituti eremitici tenaciſſimus? An quia per legatos haec tranſigi ſolebant? Nam & ipſe Johannes ſimiles legatos ab Hieroſolymitanis acceperat, Joh. I. 19. An poſtremo, cum ſibi quidem perſuaſum eſſet, ipſum eſſe Meſſiam, diſcipulis non item, idcirco eos ad Jeſum ablegavit, ut magis jam ipſi ſibi, quam magiſtri ſui de Chriſto praeconio crederent? Ita prorſus opinor.

AD LVC. VII. 19. 20.

Tu es qui venturus es &c.] Quibus verbis mandata legatis Johannes dederat, iiſdem prorſus legati dedicant (ut vetere verbo utar, ejus rei proprio) mandata. Id quod in Homero ſexcenties occurrit, ut & in V. Teſtamento. Fidei ne legatorum id tribuendum, nefas ducentium verbum addere aut immutare; an potius Divinorum librorum ſimplicitas, & φιλαλήθεια demiranda? Nam in ceteris hiſtoricis plus elegantiae, quam veritati ſtudentibus, mira verborum varietas in mandata dantibus, eademque enuntiantibus.

AD

Digitized by Google

AD LVC. VII. 21.

Multos curavit a languoribus & plagis] Posterius hoc Graece est μαστίγων, vox Hellenistica, nonnunquam a Graecis interpretibus pro מכה *macchab* aut נגע *nega* aut מכאוב *machob* repositа, saepius autem a Siracide usurpata; qua significatione, nemo non videt; notat enim θεομηνίαν· eoque significatu dixit etiam Homerus μαστίγα Διός.

AD LVC. VII. 35.

Et justificata est sapientia ab omnibus filiis suis] Eadem occurrunt Matt. XI. 19. Δικαιοῦσθαι verbum est judiciale, de quo vide dicta ad Ps. CXVIII. 5. Δικαιοῦσθαι & *vincere*, sive caussa superiorem evadere, συνωνύμως ponuntur Ps. L. 6. *Ut justificeris . . & vincas cum judicaris. A filiis ejus* h. e. pharisaeis & νομικοῖς, sapientiae professoribus; non enim audio Grotium longe alios sapientiae filios heic intelligentem. Gr. ἀπὸ τῶν τέκνων αὐτῆς. Ἀπὸ heic vel respondet Heb. מן *min*, *prae*; vel potius positum pro ὑπὸ, ut apud eundem Lucam IX. 22. XVII. 25. Act. X. 21. ut serviat ablativo personae agentis; cujusmodi est illud de publicano, qui descendit δεδικαιωμένος a pharisaeo, Luc. XVIII. 14. Vbi vide notata: praesertim vero quae de δικαιώμασιν ad Ps. CXVIII. 5. disputavimus.

AD LVC. VII. 38.

Et stans retro secus pedes ejus, lacrymis coepit rigare pedes ejus, & capillis capitis sui tergebat, & osculabatur pedes ejus, & unguento ungebat.] An Aegyptio unguento? quod pedibus ungendis peculiare fuisse tradit Antiphanes apud Athenaeum XV. 12. ut ceteris partibus sua unguenta fuere:

Ἐκ χρυσομολλήτου δὲ καλπίδος μύρῳ
Αἰγυπτίῳ μὲν τὼ πόδας καὶ τὰ σκέλη,
Φοινικίνῳ δὲ τὰς γνάθους καὶ τιτθία,
Σισυμβρίνῳ δὲ τὸν ἕτερον βραχίονα,
Ἀμαρακίνῳ δὲ τὰς ὀφρῦς καὶ τὴν κόμην,
Ἑρπυλλίνῳ δὲ τὸ γόνυ καὶ τὸν αὐχένα.

Tunc aureo ex myrothecio linit unguine
Aegyptio pedes quidem atque utrumque crus,
Phoenicio sed & genas & ubera,
Tum brachium alterum linit Sisymbrino,
Amaracino supercilia & crines leves,
Serpyllino cervicem & ambo poplites.

AD LVC. VII. 43.

Aestimo, quia is, cui plus donavit] *Aestimo* pro *existimo*, quod hic & alibi in Nostro interprete legitur, ex usu est sequioris aevi: qua notione id verbum usurpant Aurelius Victor in Caesaribus, Sulpic. Severus in vita S. Martini, ac frequentissime Ammianus Marcellinus.

AD LVC. VII. 46.

Oleo caput meum non unxisti] Judaeis שמן *schemen*, *olei* & *unguenti* nomen unum est. Hinc Helleniſtis Judaeis ἔλαιον interdum idem ac μῦρον. Sed & Homerus (si fides est Athenaeo XV. cap. XI.) οἶδε τὴν χρῆσιν τῶν μύρων, ἔλαια δ' αὐτὰ καλεῖ μετ' ἐπιθέτου. *Novit usum unguentorum, sed ea tamen olea, etsi nonnisi adjecto epitheto, appellat.* Epitheta sunt ροδόεν ἔλαιον Il. Ψ. 186. At Il. Ξ. 171.

Digitized by Google

ἀλείψατο δὲ λίπ' ἐλαίῳ
Ἀμβροσίῳ, ἑδάνῳ, τό ῥά οἱ τεθυωμένον ἦεν.
Pingui unxit olivo,
Divino, ſuavi, quod aromate condiit ipſe.

Quare fruſtra eſt Plinius, qui XIII. 1. unguenta ulla Iliacis temporibus innotuiſſe negat, niſi tantum olea odoribus additis. Nam quid quaeſo inter hujuſmodi olea odoribus condita & unguenta, diſcriminis intereſt ?

AD LVC. VII. 47.

Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum] Praecedentia ac ſubſequentia ſuadent eſſe exponendum : *Dimiſſa ſunt ei peccata multa, ideo dilexit multum.* Ὅτι pro διότι non raro lingua Helleniſtica dicitur Pſ. XVI. Ἐγὼ ἐκέκραξα, ὅτι ἐπήκουσας μου Θεός· cum ſit ſenſus, *clamavi, ideo exaudiſti me.*

AD LVC. VIII. 1.

Κατὰ πόλιν καὶ κώμην] *Oppidatim.* Κατὰ cum num. ſing. diſtributive ponitur non tantum Act. II. 46. κατ' οἶκον, ſed etiam non ſemel apud S. Mart. Ignatium κατὰ ἄνδρα legitur h. e. *viritim.* Lucae IX 23. καθ' ἡμέραν ſupple ἑκάστην.

AD LVC. VIII. 26.

Et navigaverunt ad regionem Geraſenorum &c.] Gr. κατέπλευσαν h. e. *tranſmiſerunt.* Quo aevo Latina vetus translatio prodiit *Navigo* ea ſignificatione uſurpabatur. Cyprianus ep. 45. *Nos enim ſingulis navigantibus, ne cum ſcandalo ullo navigarent, rationem reddentes, ſcimus nos hortatos eos eſſe, ut Eccleſiae catholicae radicem & matricem agnoſcerent ac tenerent* (Romam nempe). Ergo Romam tranſmittere id ἁπλῶς *navigare* Africani dicebant. Sic & Romanis *in Africam trajicere* in eundem modum *navigare* dicebatur. S. Cornelius epiſt. ad Cyprianum (inter Cyprianicas 46.) *Nicephorum acolythum deſcendere ad navigandum deſtinantem ad vos ſtatim dimiſi.*

AD LVC. VIII. 31.

Et rogabant illum (daemonia) *ne imperaret illis, ut in abyſſum irent.*] Antiquitas heic *Abyſſum* pro Aquarum congregationibus intellexit. Sic certe accipit Ambroſ. in Hexaëm. lib. I. n. 32. tamquam ea interpretatio confeſſa apud omnes tunc eſſet. Vide locum.

AD LVC. IX. 19.

Vnus Propheta de prioribus ſurrexit Gr.] Προφήτης τις τῶν ἀρχαίων ἀνέστη. Prophetae ἀρχαῖοι, ſunt quorum ſcripta Judaeorum archiva ſervabant, quorum poſtremus Malachias fuit. Ab illo tempore rariſſimi prophetae (fuiſſe tamen aliquos vel hinc conſtat, ubi ἀρχαῖοι ad diſcrimen poſteriorum ponitur) nec tanta dignatione fuerunt.

AD LVC. IX. 31.

Viſi in majeſtate] Gr. Ἐν δόξῃ. Tum hic tum ſaepe alias δόξα *lumen* ſignificat. Hinc ergo apparet, Moſis etiam & Eliae vultus coruſcaſſe.

AD LVC.

Digitized by Google

AD LVC. X. 11.

Etiam pulverem, qui adhaesit nobis de civitate vestra, extergimus in vos] Ex hoc maxime loco sententiae similes illustrantur Luc. IX. 5. Matt. X. 14. Mar. VI. 11. Act. XIII. 52. Significatur enim nihil cum impiis commune nobis habendum. Hor.

. . . Vetabo, qui Cereris sacrum
Vulgarit arcanae, sub iisdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Solvat phaselum . . .

Eodem spectat excussio vestimentorum Act. XVIII. 6. ubi & hoc adjungitur: *Sanguis vester super caput vestrum: mundus ego ex hoc ad gentes vadam.* Cui similis est Pilati lotio, dicentis Matt. XXVII. 24. *Innocens ego a sanguine &c.*

Redeo ad Evangelistae locum. Illud καὶ *etiam* est ἐμφατικώτατον. Alibi a me notatum memini מבשר *mebaser* (quem Graeci εὐαγγελιστὴν dixere) inde dictum videri, quod hujusmodi nuntiis victimarum carnes, & alia praeberi solerent, quae Graeci εὐαγγέλια nuncuparunt. Praecipit ergo Christus, ut Apostolus non receptus testatum faciat, se non modo εὐαγγέλια nulla ex impia civitate secum auferre, sed ne pulverem quidem pedibus adhaerentem.

AD LVC. X. 18.

Videbam Satanam sicut fulgur de caelo cadentem.] *Fulgur* heic *fulgorem* significat, sicuti & ὅπλων ἀστραπὴ est *fulgor armorum*, & in vet. Glossis ἀστραπὴ non tantum, *fulgur* sed & *fulgor* redditur, & ἀστράπτειν saepe est *micare*. Referebat Satanas stellas cadentes. Imo nisi Latino interpreti propositum jure merito fuisset, primarias nominum significationes plerumque sequi, reddere potuisset *sicut stellam de caelo cadentem*: nam revera alludit Christus ad illud Is. XIV. 12. *Quomodo cecidisti de caelo Lucifer* i. e. stella? Vide dicta in Dissertat. ad eum locum p. 261. ubi & ostensum fuit, agi illic de Satanae casu, sed cum allusione ad casum regis Babylonii.

AD LVC. X. 19.

Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.] Haec indidem sunt; nam in vetere cantico de Satanae casu (cujus fragmentum ibi Isaias usurpat) Satanas, uti draco tortuosus describebatur: unde & Typhon illinc adumbratus (ut in dicta Dissertatione ostendimus) saepe a poëtis uti sinuosus serpens aut *Leviathan* describitur. Alibi quoque in Scripturis Diabolus (Apoc. XII. 9.) *serpens antiquus* vocatur. Idem quando Evae imposuit, sub serpentis exuviis apparuit.

AD LVC. X. 29.

Et quis est proximus meus?] Eruditam sane quaestionem movet iste legis peritus de *proximi* notione. Quae quidem quaestio minime intelligenda est de Graeco, quod hic & ℣. 27. legitur τῦ πλησίον vocabulo, sed de Hebraeo ei respondente. Si de Graeco lis esset, promptissimum esset respondere, saepe scriptores Graecos τῦς πέλας, & τὸς πλησίον de quibusvis hominibus etsi nulla cognatione aut societate junctis, usurpasse; ita ut *alios* interpretari possis. Thucydides lib. I. p. 28. νομίζω δὲ τάς τε διανοίας τῶν πέλας παραπλησίους εἶναι (*aliorum sententias similes & pares esse nostris*). καὶ τὰς προσπιπτούσας τύχας ὑ λόγῳ διαιρετάς: ubi Scholiastes τῶν πέλας exponit τῶν ὁμοίων

Digitized by Google

ἀνθρώπων. Eodem lib. p. 46. δικαίωσις ἀπὸ τῶν ὁμοίων τοῖς πέλας (*aliis*) ἐπιτασσομένη. Aristoteles Reth. 2. τῇ γὰρ αὐτῶν ἀκακίᾳ τὸς πέλας μετρῶσι. Idem Ethicorum IV. 2. διὰ τὸ μήτε βλαβεραὶ τῶν πέλας εἶναι. Dionysius lib. IV. de delatoribus sub Tarquinio superbo: οἱ συγκαθιέντες εἰς ὁμιλίαν τῶν πέλας (*in aliorum coetus*) καὶ ἔστιν ὅτε κατὰ τῦ τυράννυ λέγοντες αὐτοὶ, πειραν. τῆς ἑκάστυ γνώμης ἐλάμβανον. Aeschines contra Ctesiph. Ἤδη γάρ ποτε εἶδον μισηθέντας τὸς τὰ τῶν πλησίον αἰσχρὰ λίαν σαφῶς λέγοντας. Si gentiles τὸς πλησίον isto modo interpretabantur, quanto aequius fuit Judaeos non strictiore significatu accipere? Nunc vero de Hebraica prorsus voce jurisconsultus quaestionem proposuit, ac de illo utique vocabulo, quod Levit. XIX. 18. reperitur (inde enim praeceptum hoc hauserat ἀγαπήσεις τὸν πλησίον συ ὡς σεαυτόν) ubi est רע *rea*, cui fere semper vocabulo respondet is qui apud LXX ὁ πλησίον dicitur; aut interdum τῷ אמית *amith*, quod idem significat; aut demum τῷ אח *ach*, *frater*, tribus locis, Gen. XXVI. 31. Levit. XXV. 14. & Joel II. 8. Ergo nihil dubium, quia hoc νομικὸς quaesierit, ὁ רע *rea* quid significet, tum aliis locis, tum potissimum Levit. XIX. 18. unde illud praeceptum recitarat. Si omnino, quae τῷ *rea* subjecta sit notio, quaeritur, nosse poterat iste νομικὸς, ita *socium* aut *amicum* significare, ut etiam quemvis alium a se hominem notare possit. Hinc est, quod Gen. XXXI. 49. Isa. XIII. 8. & XXXIV. 14. רע *rea* per ἕτερον vertitur, prorsus ut scriptores Graeci τὸν πέλας & τὸν πλησίον accipiunt. Ergo intelligere debebat praecepti vim ad omnes homines extendi debere, non ad solos ὁμοέθνεις: & ex ea lege descendere, *quod tibi non vis ALTERI ne feceris*. Hinc est quod non solum רע *rea* per ἕτερον quandoque redditur, sed & אח *ach*, *frater*, idque Ex. XVI. 15. & Num. XIV. 4. ut intelligamus non solum *proximi*, & *socii*, sed & *fratris* vocabulum quo pacto interpretari nos oporteat; ubi de insitis naturae nostrae caritatis igniculis agitur.

AD LVC. X. 30.

Suscipiens autem Jesus dixit] Gr. ὑπολαβὼν δὲ. Vbi ὑπολαβὼν tantundem est quod Homero ἀπαμειβόμενος. Nec minus eleganter Interpres reddidit *Suscipiens*. Nam sic etiam Virgilius Aen. IV. 718. *Suscipit Anchises*. Sed & saepiuscule Varro, ubi unum ex interlocutoribus alteri respondentem facit in I. de R. R. cap. 2. Sect. 14. *Suscipit Stolo, Tu, inquit, invides tanto scriptori*. Et initio cap. 23. *Suscipit Agrasius, Et quoniam &c.*

AD LVC. X. 31.

Accidit autem, ut Sacerdos quidam descenderet eadem via, & viso illo praeterivit.] Graecum ἀντιπαρῆλθεν, quod heic & ν. seq. Interpres non male per nudum *praetereo* reddidit; nam Sap. XVI. 10. videtur ἀντιπαρῆλθε pro παρῆλθε positum. Quod siquis de vi praepositionis ἀντὶ hoc loco quaerat, putarim *vicissim* reddi posse, sive certe in hunc modum: *& viso illo* (non clanculum se subduxit, sed quod majoris crudelitatis fuit, palam audacter, & adverso obtutu) *praeterivit*. Certe Grotium aliosque eruditos viros heic interpretantur *praeteriit contrario itinere*, quasi si sacerdos iste ab Jerichunte Hierosolyma perrexisset. Non enim animadverterunt de Sacerdote non minus, quam de saucio illo, τὸ κατέβαινεν usurpari, quod nonnisi de Jerichuntino ab Jerusalem itinere potest intelligi.

AD LVC.

Digitized by Google

AD LVC. X. 38.

Mulier quaedam Martha nomine] Occurrit hoc nomen in ethnico marmore sepulcrali apud Fabrettum pag. 158. n. XXVII. VALERIA · L. ↄ. L. MARTA. Fuit & in Etruria Marta fluvius. In Syntagmate Gudiano *LXXV.* 10. legitur: ALFIA · P· F· MARTA · MVLIEBRE (an est gynaeceum?) A · SOLO &c.

Vocabulum est Babylonicum, dominam significans. In Bereschith Rabba sect. 47. legitur: *Rabbini Babyloniae dominam appellant* מרתא *Martha*. Julia Severi Aug. uxor videtur patria dialecto *Marta* appellata, hoc enim, ut dixi Syro-Chaldaeis idem valet, quod Latinis *Domna*, quod illius Augustae nomen ἴδιον fuit, at idem (post initas fortasse cum Severo nuptias) in cognomen transiit; assumpto Juliae nomine Augustorum uxoribus familiari.

AD LVC. X. 42.

Porro unum est necessarium] Nihil dubium, quin & praecedentium contextus, & horum verborum vis, quemadmodum Graece exstant (in Graeco autem fonte sic legitur: ἑνὸς δέ ἐστι χρεία) hunc maxime sensum legentium animis objiciat, uno nos ferculo contentos esse oportere: idque turmatim viri docti sequuntur. Tamen contendo, ancipitem hanc esse sententiam, & tum hoc quod dixi significare, tum ex hujus occasione aliud longe fructuosius monitum, puta in unius salutis studium, posthabitis ceteris, esse incumbendum. Imo hoc posterius multo magis Christo fuisse propositum fatebitur, quisquis tum Christi τὸ στοχαζόμενον mecum spectaverit, tum potissimum ea, quae sequuntur. Movet enim me, ut sic sentiam, quod cum aperte sequentia de cura salutis intelligantur; tamen ejusdem continuatione metaphorae e re convivali desumptae, necdum aliis intellectae, contineantur. Μαρία, inquit, τὴν ἀγαθὴν μερίδα ἐξελέξατο. In re convivali Μερίδες sunt portiones (1), quae unicuique παρὰ τῦ νέμοντος apponuntur (quae & μοῖραι dicebantur). In Carani convivio, quod Athenaeus describit, legitur: ἡμεῖς δ' ἐκ τῦ Καράνυ δείπνυ πλῦτον ἀντὶ μερίδων εὐωχηθέντες. Plutarchus Agesilao: Ἅμα δὲ αὐτὸς ἔθυσεν εὐαγγέλια, καὶ διέπεμψε μερίδας τοῖς φίλοις ἀπὸ τῶν τεθυμένων. Idem Plut. in sympos. eadem significatione posuit (2). Verum quid externa persequor, cum domesticis abundemus exemplis? Est enim ejus vocis is usus apud LXX frequentissimus. Deut. XVIII. 8. Μερίδα μεμερισμένην φάγεται. Et Gen. XIV. 24. bis eadem significatione. Ecclesiastis XI. 2. Δὸς μερίδα τοῖς ἑπτα. Amos VII. 4. Καὶ κατέφαγε τὴν μερίδα. Quibus locis Hebraice est חלק *chelek*. Adhaec I. Reg. I. 4. 5. & IX. 23. partem eximiam, quam Samuel Sauli apposuit, μερίδα appellat. Et Nehemiae VHI. 12. 14. XII. 46. XIII. 10. Esth. II. 9. IX. 19. 22. Ps. X. 7. His locis omnibus Hebraice מנה *manah*. Gen. XLIII. 34. Ἐμεγαλύνθη δὲ ἡ μερὶς Βενιαμὶν παρὰ τὰς μερίδας πάντων πενταπλασίως. Hebr. משאת *massaah*. Ferculum postremo & illud, quod apud Lucam sequitur, ἥτις οὐκ ἀφαιρεθήσεται ἀπ' αὐτῆς, puto e conviviorum more petitum. Nam siquis per impudentiam optimam sibi partem praeripuisset,

(1) Partem in re simili dixerunt Latini. Lampridius in Alexandro Severo: *semper de mensa sua ministris convivii & panum partes, aut olerum, aut carnis, aut leguminum dabat.*

(2) H. Steph. in thes. nonnisi numero multitudinis id vocabulum ea significatione usurpari dicit. Verum allata Athenaei & Plutarchi exempla id non evincunt, quippe iis locis nonnisi πλεονεκτικῶς ea vox usurpanda erat. Sexcenties vero apud LXX. μερὶς ea notione dicitur, puto & apud scriptores ἰξωτικῶς.

Digitized by Google

puisset, existimo magistri convivii ab eo illam auferre munus fuisse. Nec deerunt fortasse exempla quaerentibus. Non sic cum Maria actum, cujus pars, quam elegit, non ei eripietur e manibus. Jam satis, opinor, est demonstratum continuatam hic esse convivii metaphoram, in quo dignioribus optima pars apponebatur, ut Sauli I. Reg. IX. 23. & Benjamino Gen. XLIII. 34. quae loca jam supra attulimus.

Ergo quemadmodum Mariae μερὶς metaphorica intelligitur, nec aliud quam salutis studium notat; ita nec aliud Servator designavit, cum ex occasione convivii ait: Ἑνὸς δέ ἐστι χρεία.

Vita ne activa (quae per Martam) an contemplativa (quae per Mariam adumbratur) sit praestantior, in utramque partem disputat Maximus Tyrius, dissert. quidem XVIII, ὅτι ὁ πρακτικὸς βίος ἀμείνων τῦ θεωρητικῦ, at IX. ὅτι ὁ θεωρητικὸς βίος ἀμείνων τῦ πρακτικῦ. Ac fuerat de hoc vetus inter Dicaearchum ac Theophrastum dissidium, dum ille πρακτικὸν, hic θεωρητικὸν βίον anteferret, ut est apud M. Cic. ad Att. II. 16.

AD LVC. XI. 2.

Adveniat regnum tuum] S. Maximus confessor hom. εἰς προσευχὴν τῦ Πάτερ ἡμῶν, pag. 350. suffragatur Gregorio Nysseno, qui pro Lucae verbis ἐλθέτω ἡ βασιλεία σου legit: ἐλθέτω σου τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον καὶ καθαρισάτω ἡμᾶς. Tert. contra Marcion. IV. 26. *Cui dicam Pater? a quo Spiritum Sanctum postulem?*

AD LVC. XI. 3.

Panem nostrum quotidianum] Jacobus Gothofredus ad C. Th. t. V. p. 240. observat annonas seu panes civiles, posteriorum imperatorum liberalitate quotidie distribui solitos: unde & ἄρτοι ἡμερήσιοι *panes quotidiani* dicebantur, Codino auctore. Eandem liberalitatem ab imperatore Christo poscere jubemur. Vide ad Matt. VI. 11.

AD LVC. XI. 5.

Amice, commoda mihi tres panes] *Commodare* etiam de iis dicebatur, quae non eadem restituuntur. Vt apud Cic. VI. Ver. 9. *commodare triticum*. Pro Coelio c. 13. *se aurum Caelio commodasse*. Asconius in Ver. de Praet. Vrb. *pecuniae commodatae*.

AD LVC. XI. 22.

Et spolia ejus distribuet] Gr. τὰ σκῦλα αὐτῦ. Proprie σκῦλα sunt quae mortuis, λάφυρα quae vivis eripiuntur. Ergo quod praecedit *vicerit eum*, de cruenta victoria est capiendum.

Et spolia ejus distribuet] Militaris Hebraeorum phrasis; quae & Isaiae LIII. 12. legitur in hunc modum: καὶ τῶν ἰσχυρῶν μεριεῖ σκῦλα. Cum tamen hic Lucas habeat διαδίδωσιν, hinc discе ne Lucam quidem versione τῶν ὁ perpetuo usum.

AD LVC. XI. 33.

Nemo lucernam accendit & in abscondito ponit] Graece εἰς κρυπτὴν τίθησιν, h. e. *in crypta ponit*. Non enim assentior iis qui εἰς κρυπτὸν malunt. Nam veteres omnes scripti codices κρυπτὴν habent. *Cryptae* vocabulo Vitruvius, Suetonius, Juvenalis utuntur. Graecum κρυπτὴ non alibi, quod sciam, quam hic legitur. Nescio autem cur H. St. in thes. παροξυτόνως scripserit Κρύπτη. Quae *Crypta Neapolitana* Senecae dicitur ep. 57. eadem cum addito διώγυξ Strabo-

Digitized by Google

boni usurpatur lib. V. pag. 246. Ἔστι δὲ καὶ ἐνθάδε διώρυξ κρυπτὴ τῆ μεταξὺ ὄρους τῆσδε Διπλαιαρχίας καὶ τῆς Νεαπόλεως. &c. Corsinii inscriptio apud Gudium pag. LXV. 7. legitur. IS · AEDEM · PODIVM · CRYPTAE · PARTEM · FACIENDA. CVRAVIT · pag. LXXIV. 4. 5. PORTICVM. THEATRI · CRYPTAM · PERFICIENDAM · CVRAVIT · & pag. CLI. 9. PROXIM · CRYPTAM. Cryptae vocabulum legitur Jer. XLIII. 9.

Nemo accendit lucernam &c. sed super candelabrum] Haec sententia alia occasione apud ceteros Evangelistas & Lucam ipsum alibi dicta reperitur. Hic autem non alia de caussa inseritur opinor, quam ut comparatio oculi cum lucerna recto stet talo. Sequitur enim: *Lucerna corporis tui est oculus tuus*. q. d. Sicuti lucerna supra candelabrum collocatur, sic oculus in sublimi positus, tanquam lucerna corporis esse videtur.

AD LVC. XI. 39.

Veruntamen quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis] Graece: πλὴν τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην. Non idem dictum Christo tribuitur a Luca heic, & quod Matthaei XXIII. 26. occurrit. Nam apud Matthaeum legitur Καθάρισον τὸ ἐντὸς τῆ ποτηρίε &c. Quid commune habet Καθάρισον cum δότε ἐλεημοσύνην? Dicam equidem quid sentiam. Certum est, זכה *Zachah*, quod *mundum esse* significat, apud Thalmudicos usurpari pro eo quod est eleemosynam elargiri. Exempla tibi Buxtorfii lexicon Thalm. col. 667. suppeditabit. Crediderim Rabbinos istos ex vetere Hierosolymitana dialecto, qua Christus utebatur, id hausisse. Ergo Christus patria lingua dixerat: *Mundate quod intus est, ut & exteriora sint munda*, ut ferme Matthaei interpres Graece est interpretatus. Lucas autem, qui sciret זכה *zachah* etiam ad eleemosynam pertinere, ac lusisse Christum ancipiti verbo (eoque bis diversa significatione usurpato per ἀρταναχλασιν sive πλοκὴν) maluit sententiae adhaerere quam verbis: itaque δότε ἐλεημοσύνην pro καθαρίσατε posuit: id vero Christum voluisse dicere, vel ex injecta prius ἁρπαγῆς mentione elicitur. Hinc jam patet τὰ ἐνόντα Lucae respondere prorsus τῷ ἐντὸς Matthaei. Ex eo, inquit Lucas, quod intus est (interna autem γέμειν ἁρπαγῆς modo dixerat) date eleemosynam, & ecce omnia, non exteriora tantum calicis sed & interiora, munda erunt. Neque enim τὰ ἐνόντα valet hoc quod τὰ παρόντα vel τὰ ὑπάρχοντα, uti vulgo annotant.

Date eleemosynam] τὰ ἐνόντα δότε ἐλεημοσύνην. Eadem appositione utitur Lucas cap. XII. 33. τὰ ὑπάρχοντα δότε ἐλεημοσύνην. Nec alibi δοῦναι ἐλεημοσύνην in sacris scriptoribus (apud quos *facere eleemosynam* perquam est familiare) nisi apud Sirachidem XII. 3. τῷ ἐλεημοσύνην μὴ χαριζομένῳ legitur. Ac vide quaeso, quantopere ratio fugerit viros eruditos; qui ex eo, quod Diogenes Laërtius lib. V. sect. 17. ἐλεημοσύνην διδόναι usurparit, illum continuo Christianis sacris initiarunt. Putarunt enim phrasin illam in N. Faederis libris tritam. Hoccine tritum, quod semel tantum & iterum scriptor elegantissimus Lucas usurpavit?

Sicuti Graeci ἐλεημοσύνην pro stipe usurpabant, sic Sulpic. Severus in vita B. Martini *misericordiam* pro eodem; sic enim lib. 1. cap. 2. ubi de dimidiata chlamyde pauperi data: *Intellexit vir Deo plenus, sibi illum, aliis misericordiam non praestantibus, reservari.*

AD LVC.

Digitized by Google

AD LVC. XI. 49.

Propterea & Sapientia Dei dixit] Nihil hic ex Salomonis libris, cui Sapientiae nomen veteres fecerunt, allegatur: ſed ſapientia Dei, idem eſt quod Deus ipſe. Similis loquendi modus in epiſtola Barnabae cap. V. τί λέγει ἡ γνῶσις; μάθετε. *Diſcite, quid dicat Scientia.* Verum de hac Barnabae γνώσει, dicam infra in diſſert. ad Luc. XI. 52.

AD LVC. XI. 53.

Graviter inſiſtere] Gr. δεινῶς ἐνέχειν h. e. infenſo eſſe animo. Apud LXX Gen. XLIX. 23. ἐνέχειν eſt loco verbi שטם *ſciatam, odiſſe:* καὶ ἐνεῖχον αὐτῷ κύριοι τοξευμάτων. Schol. ἐμίσησαν. Heſychius, ut alii notarunt, τὸ ἐνέχειν exponit μνησικακεῖν, h. e. malevolo in aliquem eſſe animo. Accuratius Euſtathius ait eſſe τὸ κατά τινος ἔχειν i. e. quod vulgo dicimus *averla con alcuno.* Eademque ſignificatione Marcus VI. 19. ἡ δὲ Ηρωδιὰς ἐνεῖχεν αὐτῷ· h. e. infeſto erat in eum animo.

AD LVC. XI. 54.

Inſidiantes ei & quaerentes aliquid capere de ore ejus] Graece θηρεῦσαι τι ἐκ τῆς στόματος αὐτῆς h. e. *venari* ſive *aucupari aliquid ex ore ejus.* Plat. in VII. de rep. παραβάλλοντες τὰ ὦτα, οἷον ἐκ γειτόνων φωνὴν θηρευόμενοι. h. e. *quaſi vocem ex vicino aucupantes.* Et pro *inſidiari* apud Lucianum de Vulcano Martem ac Venerem captante: ἐκ πολλοῦ, οἶμαι, ταῦτα εἰδὼς ἐθήρευεν αὐτούς. Pſ. LVIII. 3. Graeci interpretes habent: ὅτι ἰδοὺ ἐθήρευσαν τὴν ψυχήν μου· Vbi heb. eſt ארב *arab, inſidiari.* Item Pſ. XCIII. 21. θηρεύσουσιν ἐπὶ ψυχὴν δικαίου. Similis locus Matth. XXII. 15. ὅπως αὐτὸν παγιδεύσωσιν ἐν λόγῳ. Vide ibi dicta.

AD LVC. XII. 19.

Habes multa bona . . . comede, bibe, epulare.] Horum ultimum Graece eſt εὐφραίνου, *laetare.* Sed optime interpres *Epulare.* Nam ſaepe nomen generis ſpeciei eximiae aptatur. Deinde ex praecedentibus, *Habes multa bona poſita in annos plurimos*, hoc rectius conſequitur, *Habes quo non tantum famem ſitimque depellas, ſed & quo ſplendide epuleris*, quam γενικῶς *Laetare.* Sic etiam infra ſaepiuſcule in prodigi parabola cap. XV. Ac primum v. 23. pro Φαγόντες εὐφρανθῶμεν, recte interpres, *manducemus & epulemur*; & v. 24. pro ἤρξαντο εὐφραίνεσθαι, idem, *Et coeperunt epulari.* Et v. 29. *Nunquam dediſti mihi hoedum ut cum amicis meis epularer:* at Gr. εὐφρανθῶ: ſicuti etiam v. 32. Et ſic quoque XVI. 19. de Epulone illo dicitur: *Epulabatur* (at Gr. εὐφραινόμενος) *quotidie ſplendide.* Atque hanc credo verbi notionem Lucae uſitatam habens ob oculos Gloſſarum, quae Cyrillo tribuuntur, auctor, ſic poſuit: Εὐφραίνω, *Laetifico, Epulor.* Nam *Epulor* poſuit pro *Epulum praebeo.* In eod. Gloſſario εὐφρασία eſt *Epulatio.* Quamquam non hoc ita B. Lucae peculiare fuit, ut non etiam alii uſurpaverint. Athenaeus lib. VII. ſic incipit: *Interea dum cena perageretur, Cynici arbitrati Phageſiorum peragi feſtum, largius ceteris epulabantur.* Graece ηὐφραίνοντο: quod male interpres vertit *laetabantur*, ut recte annotat Caſaubonus: quod ipſum etiam τῶν Φαγησίων (quaſi ſi *Comeſtualia* dixeris) vox indicat.

Digitized by Google

AD LVC. XII. 32.

Nolite timere pusillus grex] Pusillus grex fuit Ecclesia, quamdiu persecutionibus impetita fuit. Imo & sub ipsa pacis initia ejusdem pusillitas in Constantini & Licinii constitutione pro Christianis apud Euseb. X. hist. 5. notatur, ubi dicitur, ἅτινα πάντα τῷ σωματίῳ τῶν χριστιανῶν . . . παραδίδοσθαι δεήσει. *Quae quidem omnia* (loca) *pusillo Christianorum corpori . . . restitui oportebit*. Σωμάτιον appellat, praeut aliae θρησκεῖαι numerosae erant.

AD LVC. XII. 37.

Beati servi, quos cum venerit Dominus ejus, invenerit vigilantes: amen dico vobis, quod praecinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis] Inter species manumissionis, quae libertatem minus justam dabant (sic manumissi Latini Juniani dicebantur) erat convivii adhibitio. Gajus in institutionibus: *Latini sunt, qui aut per epistolam, aut inter amicos, aut convivii adhibitione manumittuntur*. Ac merito dubitari possit, utrum eo heic alludatur. Τὸ παρέρχεσθαι Hellenisticum, ut & עבר *abar*, quod fatigat interpretes, verbum est convivale, ac ministrorum peculiare (ut alibi notavi) quod Latinis est *Discurrere*.

AD LVC. XII. 54.

Quum videritis nubem orientem ab occasu, statim dicitis, nimbus venit; & ita fit.] Mare Internum respectu Palaestinae occidentale erat. Inde fit, ut non raro sacri sciptores *mare* pro occidente usurparint: contra heic occidens pro mari. Nullum autem certius secuturae pluviae προγνωστικὸν (*praesagium*), quam ubi ab ea plaga, qua mare est, sustolli nubes cernimus. Tum quamlibet sudum sit cetera caeli regione, imber certissimus imminet. Confer geminum plane locum III. Reg. XVIII. 43. *Et dixit* (*Elias*) *ad puerum suum: Ascende & prospice contra mare. Qui quum ascendisset, & contemplatus esset, ait: Non est quidquam. Et rursum ait illi: Revertere septem vicibus. In septima autem vice ecce nubecula parva, quasi vestigium hominis, ascendebat de mari. Qui ait: Ascende, & dic Achab: Junge currum tuum, & descende, ne occupet te pluvia . . . Ecce caeli contenebrati sunt, & nubes & ventus, & facta est pluvia grandis.*

AD LVC. XIII. 33.

Non capit prophetam perire extra Jerusalem] Graece ἐνδέχεται, quod apud optimos scriptores eleganter pro *consentaneum est* ponitur: quia vero κατὰ λέξιν *capit* significat, hinc orta ea interpretatio hujus loci. Quanquam quo tempore prior Latina interpretatio prodiit, is Graecismus usitatissimus fuit, ut *Capit* eo, quo dixi, significatu usurparetur. Tertullianus IV. contra Marc. 5. de Lucae Evangelio: *Nam & Lucae digestum Paulo adscribere solent. Capit magistrorum videri, quae discipuli promulgarunt*. Et lib. de anima cap. 4. *Capit itaque & facturam dici &c.* Et saepe alias apud eundem Afrum. Apud Prudentium Apotheosi ✝. 86.

Nec capit humanis angoribus excruciari

Divina natura scil. Ibidem ✝. 212. & 214. *Non recipit* eadem notione usurpatur, & ✝. 517. *Quod fieri recipit, recipit quandoque perire.*

Quanquam verisimilius judico, istud Latinorum *Capit* venire ex Graecorum

Digitized by Google

χωρεῖ & ἐγχωρεῖ, quod eadem notione tanquam impersonale usurpatur: etsi revera impersonale non sit; puto enim subaudiri λόγος· id quod illa phrasis αἱρεῖ λόγος mihi persuadet. Dionysius Alex. apud Eusebium VII. hist. 24. μήτε εἰ λόγος αἱρεῖ, (*si sit opus*) μεταπείθεσθαι αἱρούμενοι· Eusebius de Mart. Palaest. cap. 4. οὐχ' αἱρεῖ λόγος μὴ ... παραδῦναι τῷ λόγῳ τὴν ἱστορίαν. Illud rarum quod ibidem cum dandi casu Eusebius usurpavit: κατὰ τὸν αἱρῦντα (h. e. πρέποντα) χριστιανισμῷ λόγον.

AD LVC. XIV. 12.

Cum facis prandium aut cenam, noli vocare amicos tuos ... ne forte te & ipsi reinvitent, & fiat tibi retributio.] Hunc locum sic pulchre reddidit Lactantius in VI. Instit. 12. *Idem Deus praecepit, ut si quando cenam paraverimus, eos in convictum adhibeamus, qui REVOCARE non possint & vicem reddere.* Eleganter *Revocandi* verbum (pro Graeco ἀντικαλέω, quo Evangelista utitur) usurpavit. *Vocare* aut *Rogare* absolute posita, sollemnia erant invitandi verba. Hinc *Revocare* erat prandii vicem reddere. Apud Phaedrum lib. I. fab. 26. Ciconia a vulpe ad cenam invitata, postea vulpem *revocavit*. Cicero in ea pro Sex. Roscio cap. 18. *Domum suam istum non fere quisquam vocabat. Nec mirum, qui neque in urbe viveret, neque revocaturus esset.*

AD LVC. XIV. 26.

Si quis venit ad me, & non odit patrem suum & matrem ... non potest meus esse discipulus] Sermone orientali *odisse* est minus amare seu postponere. Cujusmodi illud est, *Jacob dilexi, Esau autem odio habui*, i. e. postposui. Hanc esse geminam explicationem, declarat eadem haec sententia, prout exponitur Matt. X. 37. *Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus.* Ex quo liquet τὸ שִׂנְאָה *sane*, & Hellenistarum μισεῖν, tantundem esse quod *postponere*; quandoquidem quod Lucas dixit *non odisse*, id Matthaeus explicuerat *plus amare*; ita ut ipsum *odisse* sit *minus amare* aut *postponere*.

AD LVC. XV. 16.

De siliquis quas porci manducabant] Non leguminum siliquae heic intelliguntur, quae Graecis sunt λόβοι, sed arboris, cujus vaginae (unde vulgo *vaginelle*) Graecis κεράτια dicuntur. Hinc vulgo apud aliquos hodie dicuntur *seleccole*, quod est *siliquae* ὑποχοριστικόν. De his intelligendus Horatius, *Vivunt siliquis & pane secundo*. Ad hujus siliquae proprie dictae similitudinem etiam leguminum vaginae dicuntur siliquae. Ac porcis quidem pluribus in locis hodie in Italia siliquae arboris sive κεράτια (vulgo *seleccole*) comedendae apponuntur.

AD LVC. XV. 17.

Quanti mercenarii &c.] *Quanti* pro *quot*, Graecismus familiaris posterioris aevi scriptoribus. Graece heic est πόσοι μίσθιοι. Non solum *quantos* pro *quot*, sed & *tantos* pro *tot* (Graecis τόσοι & τοσοῦτοι confunduntur) & *aliquantos* pro *aliquot* apud Tertullianum, & hujusmodi aetatis scriptores invenias; etiam apud Manilium, quo sane indicio non tantae antiquitatis, quantae vulgo videbatur, hic poëta arguitur.

AD LVC.

Digitized by Google

AD LVC. XV. 25.

Erat autem filius ejus ſenior in agro &c.] Ex eo quod major natu filius ruri vilicum ageret, noli inde colligere, minoris aeſtimatum quam alterum.

Imo hac parabolae parte mire τὸ πρέπον ſervatur; non minus certe quam apud Caecilium comoediographum ſenex quidam pluris faciebat *Eutychum filium ruſticum, quam illum alterum Chaereſtratum*, quem in urbe ſecum habebat: comici exemplo utitur Cicero in Roſciana, num. 46. uti demonſtret, Sex. Roſcium Amerinum majore in pretio fuiſſe apud patrem, quam fratrem alterum in urbe degentem.

Audivit ſymphoniam & choros] Symphonia, quatenus Graecum eſt vocabulum, *concentum* ſive vocum conſonantiam notat. At quatenus Syriacum nomen eſt (quod quidem dicendum fuiſſet *ſiphonia*, niſi Graeci illud ita pro ſuo ingenio interpolaſſent, ut Graecum vocabulum videretur) eſt muſicum inſtrumentum ex genere τῶν ἐμπνεύστων, de quo inſtrumento ac vocabuli natura & etymologia copioſe diſputavimus in Exercit. Etymologica ad Dan. III. 5. Nunc quaeramus, utra ſignificatio heic veniat. Syrus interpres videtur heic pro *concentu* habuiſſe tum *ſymphoniae* vocabulum, tum etiam *choros* (nam χορὸς *Ammonio* eſt *coetus puerorum cantantium*) qui ſic reddidit locum: *Audivit vocem* zemoro i. e. *cantus multorum*. Arabs: *Audivit voces conſonas* (ea eſt ſymphonia) *& tripudium* h. e. χορὸς pro χορείαν. Poſtremo Aethiops: *Audivit tibias & cantica*. Optima interpretatio.

AD LVC. XV. 29.

Ecce tot annis ſervio tibi, & nunquam mandatum tuum praeterivi &c.] Δουλεύω dixit, quia, ut tum mores erant, patria poteſtas parum aberat ab herili dominio.

AD LVC. XVI. 1.

Villicum] Graece οἰκονόμον. Grotius in hunc locum ait: *Villicum dicit Latinus interpres pro more ſaeculi ſui: pridem enim vox illa extra nativum ſenſum proferri coeperat*. Verum fateor nihil magis proprie verti potuiſſe. Mitto quod in gloſſis veteribus *Villicus* eſt *exactor*, *actor*, *diſpenſator* & in gloſſis G. L. exponitur οἰκονόμος. Venio autem ad veteres inſcriptiones, quibus VILICVS (nam ferme ſemper ſimplex L ſcribitur, ut a *vilis* quam a villa, unde Varro de R. R. I. deducit, potius deducendum videatur) ad omne genus diſpenſationes accommodatur. Apud Fabrettum pag. 2. n. 3. VILIC · XX · LIB. h. e. *viceſimae libertatum*. Pag. 3. n. 13. VILICVS · AMPHITHEATRI · Pag. 36. n. 138. VILicus SVMMARum. Pag. 301. n. XXVI. VILIC. AQVAE · CLAVDIAE · Capuae: VILIC · A · PLVMBO · Apud Grut. pag. 1033. n. 9. VILICVS · AB · ALIMENTIS · Et alibi ſaepe. Nuſquam vero alibi, quam in inſcriptionibus nativa verborum proprietas perſpicitur. Non poenitendus Latinitatis auctor Tibullus:

Vilicus aerari quondam, nunc cultor agelli.

Sic & Juvenali praefectus urbi *Vilicus* appellatur,

Pegaſus attonitae poſitus modo vilicus urbi.

AD LVC. XVI. 3.

Fodere non valeo, mendicare erubeſco] Agricolis, quibus nullam aliam artem

Digitized by Google

addiſcere curae fuit, alius non eſt quam εἰς τὸ πτωχεύειν gradus. Libanius or. parentali in Julianum haud longiſſime a fine, inter mala illius mortem conſecuta hoc refert, καὶ τοῖς γεωργοῖς ἄμεινον εἶναι δοκεῖ προσαιτεῖν ἢ γεωργεῖν, *cum agricolae mendicando, quam rure colendo, vitam tolerare praeſtabilius ſibi ducunt.*

AD LVC. XVI. 24.

Vt intingat extremum digiti ſui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma] In monumento Graeco apud Fabrettum pag. 466. n. 102. ΕΥΨΥΧΕΙ ΚΥΡΙΑ ΚΑΙ ΔΟΙ (pro δῳη) COI OCIPIC ΤΟ ΨΥΧΡΟΝ ΥΔΩΡ. *Bono animo ſis domina, & det tibi Oſiris* ſive Pluton *aquam frigidam*. Et apud eundem pag. 741. Sotas Olympiadi frigidam aquam adprecatur. Quae paria ſunt divitis hujus votis.

AD LVC. XVI. 26.

Inter nos & vos chaos magnum firmatum eſt] Gr. χάσμα μέγα ἐστήρικται. Poterat ultima vox verti *extenditur*, *porrigitur*. Nam ad χάσμα ſive hiatum major minorve intercapedo pertinere poteſt, firmitudo nullo modo poteſt. Eſt autem Helleniſtis familiare, ut quemadmodum στερέωμα & στερεόω pro *Expanſo* & *expando* paſſim in LXX virali verſione poſuerunt (pro רקיע *rakiah* & רקע *rakab* ſcil.) ſic etiam ſynonymum στηρίζω eodem, opinor, ſignificatu. Quid quod haec notio ne exemplis quidem ex illuſtriore Graecia caret? Homerus Il. Λ.

- - - Ἶριν ἐοικότες, ἄς τε Κρονίων
Ἐν νέφεϊ ΣΤΗΡΙΞΕ τέρας μερόπων ἀνθρώπων.
- - *Iridibus ſimiles, quas Jupiter udis*
Nubibus EXTENDIT, ſignum mortalibus aegris.

Cur in verſione *Extendit* (*) pro στήριξε uſurpaverim, Homerus ipſe auctor mihi fuit; qui in eadem plane re τανύσσῃ pro στήριξε poſuit. Sic enim Il. P.

Ἠΰτε πορφυρέην Ἶριν θνητοῖσι τανύσσῃ
Ζεὺς ἐξ οὐρανόθεν τέρας ἔμμεναι ἢ πολέμοιο,
Ἠ καὶ χειμῶνος δυσθαλπέος.
Qualem purpuream extendit mortalibus Irin
Caelitus in belli ſignum gelidaeve procellae
Jupiter . . . .

De Polluce, cur lib. I. 235. de arboribus dici affirmet στηριχθῆναι, ut & ῥίζας ἐκτεῖναι; ut etiam de Heſychio, qui τὸ στηρίξαι interpretetur ἁρμόσαι alii viderint; nolo enim praeſtare de extendendi ſignificatu eos cogitaſſe.

AD LVC. XVII. 10.

Servi inutiles ſumus.] Cic. I. Ep. Fam. 8. *Quum plus contenderimus quam poſſumus, minus tamen facietmus, quam debemus.*

AD LVC.

(*) Non negaverim τὸ στήριξε τέρας apud Homerum ſic eſſe poſitum, ut στήριξε σῆμα apud Heſiodum, utrobique ſcil. pro *Conſtituit ſignum*. Sic enim Heſ. Theog. de ingenti ſaxo.

Τὸν μὲν Ζεὺς στήριξε κατὰ χθονὸς εὐρυοδείης
Σῆμ' ἔμεν ἐξαπίνης. . . .

Ea ſi genuina ſignificatio fuerit, tum nihil impedit, quominus & apud Lucam verti poſſit: *Hiatus magnus eſt conſtitutus*; ut firmitudo, quae ineſt vocabulo, non ad hiatum pertineat, ſed ad Divinae ordinationis ſtabilitatem.

Digitized by Google

AD LVC. XVII. 13.

Jesu praeceptor, miserere nostri] Videtur illud *Praeceptor* cognomenti instar proprio Jesu nomini subjunctum. Tantundem enim valere existimaverim hoc Ιησῦ ἐπιστᾶτα, quod Ιησῦ ὁ ἐπίκλην Ἐπιστᾶτα. Nos ad Matt. XXIII. 8. hoc discrimen attulimus inter recentiorum Judaeorum ac veterum saltem Hellenistarum consuetudinem, qua Rabbi sive Magistri appellationem usurparunt; quod haec Judaeorum recentiorum more praenominis vicem gerat, contra vero antiquis cognomenti instar proprio nomini subnecteretur. Id non modo ex hoc Evangelistae loco licet cognoscere, verum etiam ex luculentissimo Anatolii viri doctissimi (qui tertio exeunte saeculo floruit) loco apud Euseb. VII. hist. 32. qui duorum celebrium circiter aetatem Christi Judaeorum meminit, eodem cognomento insignium. Μαθεῖν δ' ἔστιν ἐκ . . . τῶν ἔτι παλαιοτέρων ἀμφοτέρων Ἀγαθοβούλων τῶν ἐπίκλην διδασκάλων. *Id vero ex aliis antiquioribus* (prae Philone & Josepho) *duobus Agathobulis cognomento Doctoribus licet cognoscere*. Sane Valesius in notis ad eum locum de Agathobulorum aetate suspicionem movet, ex eo quod Eusebius, & ex Eusebio Syncellus, Agathobulum philosophum Hadriano imperatori aequalem faciant. Verum primum videndum, utrum iste Hadriano aequalis Agathobulus Judaeus fuerit; tum annon cognomines alii aetate praecesserint, ne temere Anatolium virum eruditissimum, quem inter & Hadrianum haud toti centum anni intercurrerunt, erroris arguamus.

AD LVC. XVIII. 14.

Descendit hic justificatus in domum suam ab illo] Pro eo quod in multis codicibus legitur παρ' ἐκεῖνον, videtur vulgatae auctor legisse levissima mutatione παρ' ἐκείνῳ, ut sit hic ablativus personae agentis (quemadmodum Luc. I. 45. παρὰ pro ὑπὸ) potius, quam *prae*. Vult dicere, glorioſum istum pharisaeum justificasse prae se publicanum. Favet huic interpretationi quod Alexander Episc. Alex. (ep. contra Arium, quam habes apud Socratem I. 6.) ait, multas quidem ante Arium haereses Χριστομάχους exstitisse: ἔτοι δὲ (Ἀρειανοὶ) διὰ πάντων αὐτῶν τῶν ῥημάτων ἐπιχειρήσαντες ταῖς ἀναιρέσεσι τῆς τοῦ Λόγου θεότητος, ΕΔΙΚΑΙΩΣΑΝ ἐξ ἑαυτῶν ἐκείνας (αἱρέσεις), ὡς ἐγγύτεροι τοῦ ἀντιχρίστου γενόμενοι. *Isti vero Verbi divinitatem cunctis sermonibus suis moliti subvertere, priores illas haereses pro viribus justificaverunt* (sive absolverunt) *ut qui propius ad Antichristum accesserint*. Illud ἐξ ἑαυτῶν, quod Valesius vertit *quantum quidem in se est*, dubito utrum *prae se ipsis* sive *comparatione sui*, reddendum videatur. Vide quae ad similem locum supra Luc. VII. 35. diximus; & ad illud Ps. L. *Ut justificeris* (δικαιωθῇς) *in serm. tuis* &c. tum vero quae fusius ad Ps. CXVIII. 5. disseruimus.

AD LVC. XVIII. 27.

Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum] Apud Jamblichum in vita Pythag. c. 28. versus duos Pythagorei ad auctorem Linum referebant, etsi eos forsan ex sua schola prodiisse non ignorabant; qui sic habent.

Ἐλπεσθαι χρὴ πάντ', ἐπεὶ οὐκ ἐς' ὑδὲν ἄελπτον.
Ῥᾴδια πάντα θεῷ τελέσαι, καὶ ἀνήνυτον οὐδέν.

Digitized by Google

AD LVC. XVIII. 29. 30.

Nemo eſt qui reliquit domum aut parentes &c.] Duo haec commata ita producuntur a Cypriano epiſt. 56. ut quaedam admetiatur ex aliis Evangeliſtis: *Nemo eſt qui relinquat domum (aut agrum) aut parentes , aut fratres (aut ſorores* Marci X. 30.) *aut uxorem aut filios, propter regnum Dei , & non recipiat ſepties tantum* (ſic expreſſit πολλαπλασίονα Lucae, Hebraico more, apud quos ſeptenarius numerus ſic ponitur , ut Graecis μύρια , Latinis *ſexcenta*) *in iſto tempore, in ſaeculo autem venturo vitam aeternam* . Sic etiam III. teſtim. 16. niſi quod heic, quia τὸ *catà Lucam* expreſſe citat , abeſt *agrum* & *ſorores*.

AD LVC. XVIII. 32.

Flagellabitur & conſpuetur] Flagra conſpuitione etiam per ſummum dedecus cumulari ſolebant . Petronius : *Vocatque cubicularios & me jubet catomidiari* (h. e. verberari) *nec contenta mulier tam gravi injuria mea, convocat omnes quaſillarias familiaeqae ſordidiſſimam partem, ac me conſpui jubet*. &c.

AD LVC. XIX. 2.

Et hic princeps erat publicanorum] Equites Romani qui publica redimebant, Aſconio mancipes & *principes publicanorum* dicuntur. Hic autem Zachaeus ἀρχιτελώνης & *princeps publicanorum* dicitur , ut a ſordidis exactoribus minutiſſimis homuncionibus ſecernatur; nam hunc quidem Zachaeum nihil amplius, quam unum ex ſociis fuiſſe reor. Sed de his fuſius ad Luc. III. 12. diſſeruimus.

AD LVC. XIX. 4.

Aſcendit in arborem ſycomorum, ut videret eum] Videtur *ſycomorus* a *ſycamino* non re ſed vocabulo diverſa fuiſſe, utraque vero Heb. שקמים *ſhikmim* reſpondiſſe . Nam ubi in V. T. *ſhikmim* legitur , ibi Graeci interpretes συκάμινον reponunt, etſi alii quipiam σύκομωραίαν, aut συκόμορον aut paullo aliter. Non inepte affirmari poſſit, *ſycomorum* & *ſycaminum* non re, ſed potius dialecto diſcrepaſſe , ita ut quae in Palaeſtina *ſycomorus*, ea in Aegypto *ſycaminus* vocaretur.

SYCAMINVM haud aliam plane fuiſſe , quam quae Heb. שקמים (nam ſingulari numero nuſquam in ſacro textu occurrit) dicitur , idque nomen ab Hebraeo procul dubio derivatum, ex eo fit manifeſtum, quod Heb. *ſhikmim* numquam aliter, quam συκάμινος a Graecis interpp. redditur. Et eſt cur in eo interpretibus iſtis credatur, qui Alexandrini cum eſſent , ſycaminum aſſidue ob oculos habebant, arborem Alexandrinam , ut infra demonſtrabitur . Quae quum ita ſint; non eſt dubium, quin ex Heb. *ſchikmim* , Graeci συκαμίνῳ nomen detorſerint: nam quod N pro M in penultimam irrepſerit , id ex Chaldaeor. & Syrorum dialecto venit, apud quos id nomen plurali numero שקמין *ſhikmin* aut *ſhekmin* dicitur , unde retento N plurativo fluxit συκάμινος . Poſtremo quod iidem Graeci ϒ in prima ſyllaba adpinxerunt, id cauſae fuit, ut ei voci Graecam originem pro ſua conſueta vanitate Alexandrini conciliarent . Nam notum eſt illud Demetrii Ixionis apud Athenaeum lib. 2. ficulneum etymon, συκάμινα dicta eſſe quaſi σύκων ἀμείνω i. e. *ficubus meliora* nugantis: quae olim licuere ineptiae: nunc minus licent. Venio jam ad SYCOMORVM. Hanc quidam apud Dioſcoridem eamdem ac ſycaminum eſſe putarunt, ſatis optime: etſi alii negarint, at equidem nihil inter eas fuiſſe diſcriminis, certum habeo ob haſce rationes . I. Vtraque arbor

Digitized by Google

arbor Aegyptia eſt, nam & ſycomorus Plinio *ficus Aegyptia* dicitur. Et Sycaminum ad Niloticos aggeres continendos fuiſſe eiſdem aggeribus implantatam atque praetextam, diſcimus ex Vlpiano l. 10. *de extraord. criminib.* II. deinde *Sycaminum* & *Sycomorum* duo fuiſſe ejuſdem plantae ſynonyma, ex eo oſtenditur, quod in citato Vlpiani loco pro *Sycaminum* (ſive *Sycaminonem*, ut in Pand. Flor. legitur) Vulgati omnes *Sycomorum* praeferunt: ſicuti & ubicumq. in LXXvirali translatione συκάμινος occurrit, ibi Vulgata Latina habet *Sycomorum*; ſed & Amos VII. 14. pro Seniorum συκάμινα alii poſuere συκομόρους. Item Pſ. LXXVII. 52. alii συκαμίνους, alii συκομόρους legunt. III. Sed locus Amos VII. 14. ſiquis alius aperte oſtendit, Sycaminum a Sycomoro diverſam non fuiſſe: qui locus in Vulgata ſic legitur: *Non ſum propheta, & non ſum filius prophetae: ſed armentarius ego ſum, vellicans ſycomoros*. Nec tantum Vulgata, ſed & Aquila & Symmachus & Theodotio heic *Sycomoros* habent, ubi tamen LXX. poſuere συκάμινα: quod argumento eſt, *ſycaminum* & *ſycomorum* duo fuiſſe ſtirpis ejuſdem ſynonyma. Nec dubitandum eſt, quin apud Amoſum illud Seniorum ξυστῶν συκάμινα (quod recte Noſter reddidit *vellicans ſycomoros*) proprium ac peculiare ficui Aegyptiae ſive *ſycomoro* fuerit, cujus fructum Plinius XIII. 7. non aliter matureſcere ſcripſit, quam *ſcalpendo ferreis unguibus* ſive carminando. Id vero cum LXX ſycamino tribuerint; manifeſtum eſt, hanc non aliam arborem a ſycomoro fuiſſe, de qua id ſcripſit Plinius. Ceterum cur e *ſycamino* (quae vox tota orientalis eſt) Graeci *ſycomorum* fecerint; ſive illa ratio eſt, quia hujus arboris folia quidem moro, fructus vero ficui ſit quadantenus ſimilis, unde συκομωραίαν (ex ficu & moro compoſita voce) appellarint: ſive (ſi iſta mori & ficus ſimilitudo (*) commentitia eſt) quia Hebraicum nomen Orientali aliqua dialecto R a fine fort. adſcivit, quod ſaepe fit; unde poſtea Graeci pro שקמור *ſchikmor* dixerint συκωμορέαν, aut variante ſcriptura, συκομοραίαν, aut paullo aliter, cui demum ſcripturae cauſas ſupra expoſitas ſuperſtruxerint. Vtut eſt; utrumque nomen ab oriente eſt.

AD LVC. XIX. 21.

Tollis quod non poſuiſti, & metis quod non ſeminaſti] Gr. αἴρεις ὃ οὐκ ἔθηκας: fort. pro κατέθηκας; ut ſaepe apud Helleniſtas ſimplicia pro compoſitis uſurpantur. Παροιμιώδης ea locutio fuit, ex Solonis lege apud Laertium, ut opinor, profecta, quae ſic habet: Ὃ μὴ κατέθηκέ τις, μὴ ἀναιρεῖσθαι· εἰ δὲ μή, θάνατον εἶναι τὴν ζημίαν. *Siquis tollat, quod non poſuerit, capital ei eſto*. Κατατίθημι enim in recita lege non diverſam habet a τίθημι Lucae ſignificationem, ſive *numero*, aut *pendo* ſignificet (cujuſmodi eſt illud in Ranis Ariſtophanis: Εἰ μὴ καταθήσεις δύο δραχμάς, μὴ διαλέγου. & alibi ſaepiſſime) ſive *pono in fenore*; quale eſt illud Horatii,

Dives agris, dives poſitis in fenore nummis.

AD

(*) Ea inquam ſimilitudo commentum redolet; praeſertim quum id nomen varie ſcribatur, modo cum O, modo cum Ω, & in penult. modo cum diphthongo AI, modo cum E. Sed Luc. XIX. 4. inter eas quatuor ſcripturas (nim. συκομωραίαν . . . μωραίαν . . . μωραίαν . . . μορέαν) prima cum Ω conſtantior ac receptior eſt; quam etiam Syrus Interpres ſecutus eſt, ut qui *ficum inſipidam*, ſive *fatuam* reddidit. Omnino quae nomina multiplicem & inconſtantem ſcriptionem habent, ea ab oriente eſſe, experimento didici

Digitized by Google

AD LVC. XXI. 23.

Erit enim preſſura magna] Gr. θλῖψις. Eſt ab Itala vetere vox iſta, quae & Eccli. LI. 6. & ſaepe in N. Foedere. Cyprianus epiſt. 7. ad Clerum de precando Deo, ſaepe hanc vocem uſurpat, & alibi ſaepiſſime. Tertullianus quoque non raro. Veteres *preſſuram* nonniſi proprie uſurpabant, ut Columella *preſſuram vinaceorum* dixit, & Plin. XVIII. 31. *Preſſura una culeos viginti implere debet*. Nec alio ſenſu Graeci olim θλῖψιν adhibebant. At Graeci bibliorum interpretes θλίψεως uſum metaphoricum invexerunt; quod Latini patres *preſſuram* verterunt.

AD LXC. XXI. 38.

Et omnis populus manicabat ad eum] Praeter ea, quae de verbo *Manico* reperiuntur in Cangii Gloſſario, & Calmeto heic, ut & de Ὀρθρίζω in Synopſi: ſciendum eſt in Codice S. Gatiani Turonenſis ante mille an. ſcripto, in quo vetus ante Hier. translatio contineri dicitur, ſcribi MANIFICABAT. At in vetere Onomaſtico verbo Ὀρθρίζω reſpondet verbum *Anteluco*. Atque haec de verbis *Manico*, *Manifico*, *Anteluco*, quae verba omnia in vetere Vulgata Veteris Noviq. T. exſtitiſſe non dubito; eaque expreſſit neceſſitas, ut Graecum Ὀρθρίζω uno Latino verbo redderent, qui mos erat Vulgatae veteris, ut verbum verbo appenderet.

Quod attinet ad Graecum Ὀρθρίζω, putat Grotius heic Helleniſticum eſſe verbum, ab eis effictum ad exprimendam vim Hebraei השכים *hiſhchim*, cui in V. T. millies reſpondet. At revera verbum eſt bene Graecum, quippe quum ex indicio τῦ ἐπορθρισμὸς, quod uſurpat Plutarchus (*), neceſſe ſit & compoſitum ἐπορθρίζω & ſimplex ὀρθρίζω fuiſſe. Vſus potius verbi ὀρθρίζω Helleniſticus eſt, atque ex ingenio Hebraei השכים *hiſhchim*. Itaque & hoc non tantum eſt *Mane vigilo*, ſed & *matutinus venio*; ſic etiam apud Graecos interpretes Ὀρθρίζω cum praep. εἰς conſtruitur Gen. XIX. 27. Jud. XIX. 9. Cant. VII. 12. Vide loca. Sic & Auctor Machabaici prioris XI. 67. Ὤρθρισαν τῷ πρωῒ εἰς τὸ πεδίον· *Matutini venerunt in campum*. Hac tantum συντάξει verbum ὀρθρίζω Helleniſticum eſt; qua ſyntaxi heic etiam uſurpatur.

AD LVC. XXII. 6.

Vt traderet illum ſine turbis] Gr. ἄτερ ὄχλυ. Poëtis quidem famuliare eſt τὸ ἄτερ· ſed ſic tamen, ut & proſae ſcriptoribus fuiſſe alicubi uſurpatum H. St. meminerit, etſi nullum exemplum proferre potuerit. Vtitur infra ℣. 35. iterum Lucas ἄτερ βαλαντίυ καὶ πήρας, *ſine ſacculo & pera*. Vtitur & auctor Machabaici ſecundi cap. XII. 15. τὸν ἄτερ κριῶν καὶ μηχανῶν ὀργανικῶν καταχρημνίσαντα τὴν Ιεριχώ, *ſine arietibus & machinis Jerichuntem excidit*.

AD LVC. XXII. 7.

Venit autem dies azymorum, in qua neceſſe erat occidi Paſcha] Qui putant anno paſſionis dominicae decimamquartam diem, (qua nimirum die inter duas veſperas mactabatur agnus Paſchalis) incidiſſe in feriam quintam, pridie quam cruci affixus eſt Jeſus; mirum quantum exſultant in hoc Lucae loco. Haec, inquiunt,

(1) Apud Plut. in III. συμπων. 7. matutinum tempus infeſtant praeter cetera, quae ibi enumerat, etiam τελωνικῶν ἐπορθρισμοὶ κεκραγμῶν i. e. *publicorum clamantium manicationes* ſive *antelucani clamores publicanorum*. Ejuſdem eſt ingenii verbum ὀρθριάω a Theocrito uſurpatum.

Digitized by Google

quiunt, dies, in qua *neceſſe erat occidi Paſcha*, erat utique XIV. lunae dies. Is autem dies jam advenerat (ἦλθε) tum cum de parando ſibi Paſcha Chriſtus mandata dedit, pridie ſuae crucifixionis. Ergo non XIV. ſed XV. die primi menſis mortuus eſt Chriſtus, poſtridie quam neceſſe eſſet occidi Paſcha. Reſpondeo, Graecum aoriſtum ἦλθε, cum ſit indefinitae ſignificationis, commoda interpretatione eſſe donandum. Cum ergo ex Johanne & aliunde aperte conſtet, fer. VI. quo die Chriſtus occubuit, mactandum fuiſſe Paſcha: quid aliud ſequitur, niſi ut illud ἦλθε interpretemur *veniebat, appetebat jam dies azymorum, in qua* &c. Simile exemplum occurrit infra ℣. 66. Καὶ ὡς ἐγένετο ἡμέρα, συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον &c. h. e. *ubi dies adventabat, cogebatur ſenatus*. Hoc nanque concilium non aliud ab illo eſt, quod Matth. XXVI. 57. 59. deſcribitur, quod noctu coactum, ad diluculum uſque protractum fuit, ex Matth. XXVII. 1. 2.

AD LVC. XXII. 10.

Occurret vobis homo quidam, amphoram aquae portans] Graecum κεράμιον, ex notatione quidem nominis, quidlibet vas fictile ſignificat: at peculiariter *amphoram*: unde & in veteribus Gloſſis Κεράμιον redditur *Amphora*: & Dioſcorides ſcriptum reliquit: Ἀμφορεῦς, ὅ ἐστι κεράμιον. Poſtremo amphoras plerunque fuiſſe fictiles Horatius in Arte innuit - - *Amphora coepit*

Inſtitui currente rota, cur urceus exit?

Quamquam Petronius cap. 34. meminit *Amphorae vitreae diligenter gypſatae*.

AD LVC. XXII. 23. 24.

Et ipſi coeperunt quaerere inter ſe, quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet. Facta eſt autem & contentio inter eos, quis eorum videretur eſſe major.] *Vix credibile* putat Grotius, *tam luctuoſo tempore vacaſſe animos ambitioſo certamini*. Qua de cauſſa vertit *Fuerat contentio* &c. Verum ex illa συζητήσει (*quaeſtione*) *quis eſſet ex eis, qui hoc facturus eſſet*, facilis fuit ad alteram ex ea aptam connexamque deſcendere. Non fuiſſe tempus illud huic contentioni idoneum, facile quidem perſpexiſſent Apoſtoli, ſi mens non laeva fuiſſet. Sed tantulo hoc Paſſionis Dominicae tempore & pluries & gravius eorum plerique offenderunt, praeut iſtud fuit ἁμάρτημα.

AD LVC. XXII. 31.

Expetivit vos, ut cribraret ſicut triticum] Gr. τῦ σινιάσαι· quod eſt *ventilare*, vanno ſive cribro aut pala triticum perpurgare. Cyprianus epiſt. 7. *ad Cler. de prec. Deo*, citat iſto modo: *Poſtulavit ut vos vexaret quomodo triticum. Vexare* a vehendo dicitur, teſte Servio & aliis veteribus grammaticis: itaque id vexari dicitur, quod huc atque illuc raptatur. Gellius II. 6. *Qui fertur & raptatur, atque huc atque illuc diſtrahitur, is vexari proprie dicitur*. Itaque vexari triticum tam belle dicitur, quam σινιάζεσθαι· cum σινιάζω quoque a σείω veniat.

AD LVC. XXII. 40.

Orate ne intretis in tentationem] Graece: προσεύχεσθε μὴ εἰσελθεῖν εἰς πειρασμόν. Ellipſis eſt articuli (quae frequens eſt in his libris) quaſi ſi ſcripſiſſet, προσεύχεσθε τὸ, μὴ εἰσελθεῖν &c. Notatur enim τῆς προσευχῆς τὸ ὑποκείμενον, orationis argumentum erat, orarent Patrem de avertenda tentatione.

AD LVC. XXII. 41.

Quantum jactus eſt lapidis] ὅσει λίθου βολή, proverbialis locutio, qua ſaepe utitur Procopius, ut lib. V. ſive Gothicor. primo, in molis Hadriani deſcriptione:

Digitized by Google

ἀπέχων τῆ περιβόλῃ ὅσον λίθου βολήν. & paucis interjectis: εὖρος μὲν χεδόν τι ἐς λίθου βολὴν ἑκάστη ἔχουσα. Innumera ſunt in hunc modum apud Homerum: ut Il. XXIII. 431.

Ὅσσα δὲ δίσκου ἔργα κατωμαδίοιο πέλονται,
Τόσσον ἐπιδραμέτην.
Quam longe ex humero diſcus vi proſilit actus,
Tantum praecurrere.

Et Il. XXIII. 523. ἐς δίσκουρά, *quantus diſci jactus eſt*. Itemque illud Il. XVI. 589.

Ὅσση δ' αἰγανέης ῥιπὴ ταναοῖο τέτυκται . . . .
Ὅσσον ἐχώρησαν Τρωές.
Quam procul emittit jaculum vir callidus artis . . . .
Tam procul exceſſere Phryges.

Et Il. XXI. 251.

Πηλείδης δ' ἀπόρουσεν, ὅσον τ' ἐπὶ δουρὸς ἐρωή.
Quantum haſtae jactus, refugit violentia Achillis.

Il. XXIII. 529. δουρὸς ἐρωήν, *haſtae jactus intervallo*. & v. 845.

Ὅσσον τίς τ' ἔρριψε καλαύροπα βουκόλος ἀνὴρ . . .
Τόσσον παντὸς ἀγῶνος ὑπέβαλε.
Quamque pedum longe jacit armentale bubulcus . . .
Tanto hic ulterius jactus venit.

AD LVC. XXII. 44.

Factus eſt ſudor ejus, ſicut guttae ſanguinis] Gr. ὡσεὶ θρόμβοι αἵματος καταβαίνοντες, quod interpretantur *quaſi grumi ſanguinis decurrentes*. Sed malo Vulgatum interpretem ſequi, qui *guttas* reddidit. Θρόμβος non tantum ſanguinis grumum ſignificat, ſed translate etiam βυνὸν· ſicut & πάγος, quod eſt a πήγνυμι, eandem quoque ſignificationem habet. Cum vero guttae tum primum erumpentes rotundae ſint & βυνοειδεῖς, hinc factum puto, ut Lucas ſanguinis guttas θρόμβους appellarit; non nova, ut opinor, ſignificatione, ſed inaudita nobis, ad quos priſcorum ſcripta non pervenerunt. Quanquam ne nobis quidem nova ea ſignificatio videri debet, cum Strabo lib. IX. eadem notione dixerit, θρόμβους ἔχον ὕδωρ ῥεῖν. Ridiculum enim eſt grumos in aqua comminiſci, aut vero quenquam ſudare grumos. Ac ſaepe dixi, Vulgatum interpretem gloſſarii inſtar eſſe.

Non tantum veteres quidam Haeretici (fort. *Marcionitae*) hoc ex Lucae Evangelio detractum iverunt; ſed & Photius epiſtola 138. quae eſt ad Theodorum fratrem, ſanguinei ſudoris veritatem elevat, ex particula ὡσεὶ adductus, cui & Theophylactus hîc per omnia adſtipulatur. Sed ſexcenta ſunt exempla, quibus ὡσεὶ non ſimilitudinis eſt, ſed veritatis, ut illud *gloriam quaſi unigeniti*. Ceterum hoc totum παροιμιῶδες ſibi videri idem Photius affirmat. Παροιμία, inquit, λέγεται ἐπὶ τῶν σφόδρα λυπουμένων, καὶ ἀγονιώντων, Αἵματι ἵδρωσεν. ὥσπερ καὶ ἐπὶ τῶν πικρῶς ὀδυρομένων, Αἵματι κλαίει. *Proverbio dicitur de valde maerentibus & metu anxiis, Sanguinem ſudavit: ut & acerbe lamentantes, ſanguinem fiere dicimus.* De paroemia non nego, quarum utraque apud nos etiam Italos uſurpatur; ſed ex veris hiſtoriis locus adagio factus. Hiſtorias eorum, qui ſanguinem ſudaverint, habes apud Ariſtotelem III. hiſt. animal. 16. & III. de part. animal. 5. Theophraſtum lib. *de ſudorib.* ex Monae medici ſententia, & Galenum lib. *de utili reſpir.* Quos non tam verum ſanguinem, quam ſanguineum ἰχῶρα emiſiſſe putat,

Digitized by Google

putat, H. Mercurialis IV. Var. lect. 12. Eoq. fort. ſpectare putem illud ὡσεὶ apud Lucam, quaſi ἰχὼρ ſanguineus fuerit. Sed id non eſt neceſſe.

AD LVC. XXII. 47.

Adhuc eo loquente, ecce turba, & qui vocabatur Judas, unus de duodecim antecedebat eos &c.] Illud *Adhuc eo loquente* formula eſt Hebraeis tum ſaepe alibi in narrationibus uſurpata, tum aliquoties Jobi I. capite; quam & in Homero haud raro reperias, ut alibi notaſſe memini. Eadem formula in hac ipſa narratione de Judae adventu reperitur Matt. XXVI. 47. Mar. XIV. 43.

Et qui vocabatur Judas, unus de duodecim, antecedebat eos; & appropinquavit Jeſu, ut oſcularetur eum] Graece ſic: ὁ λεγόμενος Ἰούδας, εἷς τῶν δώδεκα &c. At mirum, ſi illud λεγόμενος nomini proprio (praeſertim viri noti, quem non nunc primum, ſed jam ſup. v. 3. nominarat) praeponatur. Nam ſolet id participium praeponi aut cognominibus (Matt. I. 16. ὁ λεγόμενος Χριστὸς. IV. 18. Σίμωνα τὸν λεγόμενον Πέτρον. Lucas heic v. 3. εἰς Ἰούδαν τὸν ἐπικαλούμενον Ισκαριώτην) aut obſcuris ſaltem & ignotis nominibus, ut Matth. XXVII. 16. δέσμιον ἐπίσημον λεγόμενον Βαραββᾶν. Ceteri Evangeliſtae in hac narratione Judam ſine praefixo λεγόμενος appellarunt. Et ſane inſolens hujus loci locutio videtur in cauſa fuiſſe, cur Cantabrigienſis codex ſic hunc locum refinxerit: καλούμενος Ἰούδας Ισκαριώθ. Sed abſit, ut lectionem receptam ſollicitemus. Niſi quod ſuſpicor, eſſe heic trajectionem Graecis non inuſitatam, ut ordo verborum eſſe debeat, Ἰούδας ὁ λεγόμενος εἷς τῶν δώδεκα. Vult enim Divinus Evangeliſta, ex quo Satanas in Judam intravit (vide ſup. v. 3.) illum de ſuo gradu excidiſſe; ſive ut idem Lucas in Actis ait, prius quidem κατηριθμημένος ἦν σὺν ἡμῖν, Act. I. 17. *connumeratus erat in nobis*; at deinde παρέβη ἐκ τῆς ἀποστολῆς v. 25. *de Apoſtolatu excidit*. Ex quo ergo Judas δι' ἀποστασίας gradum Apoſtolatus amiſit, nomine tenus *unus de duodecim* dicebatur; at revera non erat: eoque ſcripſit Lucas ὁ λεγόμενος . . εἷς τῶν δώδεκα, qui vulgo *dicebatur unus de duodecim*.

Ac manſit deinceps is mos in Eccleſia, ut Epiſcopi, Presbyteri &c. in haereſim aliudve enorme crimen prolapſi, etiam ſi ſuas ſedes adhuc occuparent, tamen a Catholicis OLIM illius ſedis epiſcopi, aut λεγόμενοι epiſcopi dicerentur. Memini in Euſebio & in Auctorum vetuſtiſſimorum fragmentis ab Euſebio in hiſtoriam inſertis, plura me hujuſmodi exempla notaſſe; quae nunc ad manus non habeo.

AD LVC. XXII. 49.

Si percutimus in gladio] Hebraiſmus eſt, Graecis tamen aeque ac Latinis uſitatus. In Divi Hadriani reſcripto, quod recitat Marcianus L. 1. §. 3. *D. ad leg. Corn. de ſicar. Si gladium ſtrinxerit, & IN EO percuſſerit, indubitate occidendi animo id eum admiſiſſe.*

AD LVC. XXII. 53.

Haec eſt hora veſtra & poteſtas tenebrarum] Illud hora veſtra locutio Judaica eſt. In *Pirke Aboth* cap. 4. *Nullus eſt homo* (שאין לו שעה *ſeen lo ſaah, cui non ſit ei hora* i. e.) *cui non aliquod tempus incidat vel juvandi vel nocendi*. Simile eſt illud in Targum Hier. Gen. XXII. 14. שעת אנקי *ſaat ananki, hora* (i. e. tempus) *neceſſitatis* ſeu calamitatis. Eadem *hora neceſſitatis* i. e. *tempus infortunii* reperitur in Jonathane Gen. XXXVIII. 25. & in Targum ſecundo Eſth. V. 1. ad finem verſus.

Digitized by Google

AD LVC. XXIII. 3.

Pilatus autem interrogavit eum &c.] Judiciorum consuetudo ac forma ferebat, ut Romani praesides reos sibi exhibitos non statim interrogarent, sed ubi eos in custodiam tradidissent, postea per otium in eorum causam inquirerent. Paulus ad Felicem praesidem adductus, prius carceri mancipatur Act. XXIII. 35. ac post quinque demum dies accusatoribus advenientibus coram praeside producitur Act. XXIV. 1. In actis S. Fructuosi: *Et ut venerunt, mox praecepit eos praeses, recipi in carcerem.* Et in actis S. Felicis Tubizacensis Episcopi: *Cumque Felix . . eidem praefecto oblatus fuisset, jussit eum in carcerem recipi.* In actis proconsularibus S. Cypriani Episc. & M. n. 2. Cyprianum ad se perductum *Galerius Maximus proconsul in aliam diem Cyprianum sibi reservari praecepit.* Plura exempla in actis, quae Ruinartus collegit, invenies. Itaque in Procopio Martyre praeter morem hoc factum notat Eusebius lib. de martyrib. Palaest. c. 1. ut *antequam carceris periculum faceret, statim ab ipso ingressu* (nempe civitatis, ut acta Latina innuunt apud Valesium in notis) *ad praesidis tribunal adductus sit &c.* πρὶν ἡ Φυλακῆς πεῖραν λαβεῖν, εὐθὺς ἀπὸ πρώτης εἰσόδου τοῖς ἡγεμονικοῖς παραστὰς δικαστηρίοις. Ac de Procopio non mirum, qui primus post edicta proposita saevienti praesidi objectus fuerit. De Jesu autem minus adeo mirandum, quem tanquam majestatis reum, tam perdite Judaei urgebant ad mortem.

AD LVC. XXIII. 5.

Docens per universam Judaeam, incipiens a Galilaea usque huc.] Gr. καθ' ὅλης τῆς Ἰουδαίας. Peculiare est Lucae κατὰ pro *Per* casu patrio jungere, quod & Atticum est, ut exemplis ad Act. IX. 31. comprobavimus. Ceterum videtur heic Judaeam pro tota Palaestina latiore sensu sumere (quomodo exteri Judaeam intelligebant) cujus videtur partem facere Galilaeam; sic etiam Act. I. 8. Judaea Galilaeam complectitur, Quamquam heic quidem vel si Judaea pro Romana provincia quam Pilatus procurabat, accipiatur; nulla inde absurditas consequetur.

AD LVC. XXIII. 13.

Pilatus autem congregatis principibus Sacerdotum, & Magistratibus, & plebe] Qui Nostro *Magistratus* dicuntur, eos heic Lucas ἄρχοντας appellat. Non alios autem ἄρχοντας apud Judaeos novi, quam ἄρχοντας ἀρχισυναγώγους, de quibus in Judaei cujusdam titulo sepulcrali fit mentio: ARCON ARCOSYNAGOGVS. De quibus ad Matthaeum plura diximus. Sed tamen magis est ut ἄρχοντες iidem fuerint, qui βουλευταὶ, quorum e numero Joseph domo Arimathaeâ, infra versu 50. is non dicitur consensisse consilio perdendi Jesu. Ergo ceteri βουλευταὶ consenserant. Atqui heic ubi de eo consilio agitur, βουλευτῶν nulla mentio: facile ut appareat βουλευτὰς eosdem atque ἄρχοντας fuisse.

AD LVC. XXIII. 16.

Emendatum ergo illum &c.] Scite Interpres: nam *emendari* dicebantur, quibus vita non eripiebatur. Lactantius de mort. persec. cap. 22. de Galerii in Christianos saevitia: *Domestici & administratores lancea emendabantur.*

AD LVC. XXIII. 18.

Tolle hunc & dimitte nobis Barabbam] Gr. αἶρε τοῦτον idem est, quod infra v. 21. σταύρωσον. Quae duo συνωνύμως, opinor, junguntur Joh. XIX. 15. Ἆρον ἆρον, σταύρωσον αὐτόν. quin & Act. XXII. 22. plena locutione legitur: αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς τὸν τοιοῦτον, *tolle* (h. e. extolle) *a terra hujusmodi.* Porro αἴρω inter cetera idem

Digitized by Google

ra idem quod ὑψόω: hoc autem ex Syrorum dialecto eſt in crucem agere, ut ſaepe apud Joh. cap. III. VIII. & XII.

AD LVC. XXIII. 22.

Dixit ad illos: quid enim mali fecit iſte?] Gr. τί γὰρ κακὸν ἐποίησεν οὗτος; Particula Γὰρ *Enim* ex aliquorum ſententia abundat; & ex Grotii interpretatione eſt αἰτιολογία τῦ σωπωμένυ, quaſi ſubaudiatur *Non faciam*. Mihi neutrum videtur; ſed omnino τὸ Γὰρ eandem habet ἔμφασιν, quam habet *Nam* pronomini interrogativo ſubjunctum aut praefixum, ut *Nam quis te, juvenum confidentiſſime* &c. Verti ergo potuiſſet, *Quidnam mali fecit?*

AD LVC. XXIII. 42.

Domine memento mei, quum veneris in regnum tuum] Vſurpat verba Joſephi Gen. XL. 14. *memento mei, quum bene tibi fuerit, & facias mecum miſericordiam, ut ſuggeras Pharaoni &c.* Sic iſte Chriſto (quem Filium Dei eſſe ex incredulorum ſubſannantium praeconio audierat credideratque) μεσίτῃ apud Patrem uti deſiderat. Hoc enim ſibi vult, *quum veneris in regnum tuum.*

AD LVC. XXIII. 48.

Videns autem Centurio quod factum fuerat, glorificavit Deum, dicens: Vere hic homo juſtus erat.] Ἐδόξασε τὸν Θεόν. In Gloſſis eſt Δοξάζω, νομίζω *exiſtimo*, & hoc purior Graecia novit; & eſt Δοξάζω, *Glorifico, honorifico, Clarifico* &c. quod Helleniſtarum eſt, ſexcenties in Vetere Novoq. Foedere uſurpatum. Quanquam ne hoc alterum quidem exemplo ſcriptorum exterorum caret, ut Polyb. ἐπ' ἀρετῇ δεδοξασμένοι ἄνδρες. De qua ſignificatione videatur Budaeus. Heic autem Δοξάζειν meo quidem judicio eandem habet vim, quam Hebraica formula δῦναι δόξαν τῷ Θεῷ h. e. propalam & audacter Deum confiteri; ac vitare tum δυσωπίαν i. e. vitioſum pudorem, tum etiam timorem, ad quos duos ſcopulos ſaepe convictus ceteroqui alliditur animus, impediturque, quo minus in Dei confeſſionem erumpat.

AD LVC. XXIII. 50.

Stabant autem omnes noti ejus a longe] Diſcipulos intellige, quibus pertimeſcendum videbatur, ne, ut Jeſu diſcipuli, eidem calumniae paterent. Nam ſi noti tantum aut familiares Jeſu fuiſſent; non erat res plena periculi propius accedere, cum & mulieres Jeſum proxime ſecutas ex eodem hoc loco intelligamus. Certe eandem τῶν γνωστῶν, hîc ſaltem apud Lucam, ac γνωρίμων notionem fuiſſe mihi perſuadeo. Heſychius: Γνώριμοι. μαθηταί. Suidas quoque γνωρίμους, Φοιτητὰς h. e. diſcipulos interpretatur. Alioqui ſi γνωστοὶ pro *notis* hic poneretur, tertium caſum (ut Joh. XVIII. 15. & apud alios paſſim) ſibi adſciviſſet. Nunc οἱ γνωστοὶ αὐτῦ eodem ſtructurae genere dicitur, quo Strabo lib. I. pag. 7. Anaximandrum Θαλῆ γεγονότα γνώριμον, h. e. diſcipulum affirmavit; & pag. 15. Βίω Ζήνωνος γνώριμος i. e. auditor appellatur. Sic etiam Cicero Lucullo: *Bene autem NOSSE Carneadem Metrodorus putabatur* i. e. audiviſſe, nam Carneadis hic diſcipulus fuit, ex I. de Oratore c. 11. Euſebius in II. Hiſt. Eccl. 17. pag. mihi 54. D. πάντες οἱ τῶν Ἀποστόλων γνώριμοι τὰ κτήματα καὶ τὰς ὑπάρξεις διαπιπράσκοντες, ἐμέριζον ἅπασι &c. *Omnes Apoſtolorum diſcipuli praediis ac facultatibus ſuis divenditis, pretium fratribus dividebant* &c. Idem Euſebius in lemmate cap. 14. lib. IV. ejuſdem Hiſt. τὰ περὶ Πολυκάρπυ τῦ τῶν Ἀποστόλων γνωρίμυ. Item cap. ult. lib. IV. narrantur γνώριμοι h. e. diſcipuli

Digitized by Google

ſcipuli Bardeſanis libros illius e Syriaca in Graecum transfudiſſe. Quanquam eſſe poteſt hebraiſmus; nam γνωστός μου, & γνωστοί μου ſaepe apud LXX. in Pſalmis reperiuntur pro מידע *mejudda* cum pronomine ſuffixo.

AD LVC. XXIV. 1.

Portantes, quae paraverant, aromata] Pollinctura cadaverum muliebre officium fuit, tum apud Hebraeos tum ceteras nationes. Notum eſt illud Ennii

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

Apud Platonem in Phaedone Socrates ipſe ſe abluit, nempe ut feminas eo onere liberaret. Ac ferme cognatae mulieres iſtud officium perſolvebant; niſi forte neceſſitas aliud ſuaderet. Vnde Theagenes orbus uxore, liberis & affinibus, a Cynicis philoſophis lotus eſt, uti narrat Galenus XIII. de methodo medendi 15.

AD LVC. XXIV. 5.

Quid quaeritis viventem cum mortuis?] Gr. τὸν ζῶντα μετὰ τῶν νεκρῶν, i. e. in loco τοῖς מתים *methim* ſive τοῖς νεκροῖς i. e. cadaveribus recondendis deſtinato. Nam ceteroqui illud monumentum, quippe in quo nondum quiſquam poſitus erat, νεκροῖς (cadaveribus) vacuum erat. Non abſimile eſt illud ἠγέρθη ἀπὸ τῶν νεκρῶν, & ἐκ νεκρῶν ἀναστῇ, quod apud Matthaeum, & alios legitur.

AD LVC. XXIV. 26.

Et incipiens a Moyſe & omnibus prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quae de ipſo erant.] Καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ Μωσέως καὶ ἀπὸ πάντων τῶν προφητῶν, διηρμήνευεν αὐτοῖς &c. Mira locutio; nam rectum fuiſſet: ἀπὸ Μωσέως ἕως πάντων τῶν προφήτων. Sicuti ſupra XXIII. 5. ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς Γαλιλαίας ἕως ὧδε. Et Act. I. 22. ἀρξάμενος ἀπὸ τοῦ βαπτίσματος Ἰωάννου ἕως τῆς ἡμέρας &c. Nam certe ſumma veteris codicis partitio (quemadmodum ea his libris traditur) erat in Moſem ſive Legem & Prophetas. Nunc ſi a Moſe & omnibus prophetis auſpicatur; quid reliqui fit, quo deſiviſſe dicatur? Sed hujuſmodi minus accuratae loquendi rationes (quibus ineſt neſcio quis veritatis character) tum in ſacris ſcriptoribus, tum etiam in profanorum probatiſſimis occurrunt plurimae. Quamquam poteſt longe alia τῷ ἀρξάμενος notio ſubeſſe. Hoc enim fort. ſibi vult Lucas, Chriſtum uno aliquo (primum ex Moſe, deinde ex hoc illoque propheta) loco praemiſſo, ſubtexuiſſe παρεκβάσεις, quibus, collatis ſcripturarum teſtimoniis, *interpretabatur quae de ipſo erant*. Ergo Moſis prophetarumque periochae exordii loco erant (hoc ſibi vult ἀρξάμενος) ſingulis ſermocinationis partibus, quum interim & aliis multis ſcripturae locis (ἐν πάσαις ταῖς γραφαῖς h. e. per omnes ſcripturas: nam in N. T. ἐν ſaepe inſtrumentum notat) per ſaturam interpretamenta ſua confirmaret. Cui ſimile illud eſt, quod Act. VIII. 35. Iſaiae locus Philippo exordii vicem praebuit; ubi & idem iſtud ἀρξάμενος eadem notione uſurpatur: καὶ ἀρξάμενος ἀπὸ τῆς γραφῆς ταύτης εὐηγγελίσατο αὐτῷ τὸν Ἰησοῦν.

AD LVC. XXIV. 47.

Vos autem teſtes eſtis horum] Vel *teſtes horum eſtote*. Nam ἐστε, quod heic legitur, προστακτικὸν mihi magis, quam παραστατικὸν videtur; maxime quum Act. I. 8. ἔσεσθε legatur. Futura autem & imperativa eandem vim habent.

DIS-

Digitized by Google

DISSERTATIONES

AD QVAEDAM LVCAE LOCA

DISSERTATIO I.

AD LVC. III. 1.

DE *TETRARCHIAE* SIGNIFICATIONE

Tetrarcha autem Galilaeae Herode] Hunc teſtamento patris Galilaeae & Peraeae tetrarchen fuiſſe ex Joſepho ſcimus. At Peraeae Lucas non duxit heic neceſſariam mentionem, non tam ea de cauſa, quam Lucae ſilentio praetexit Ligtfootus (quia, inquit, etiam Peraea *Galilaea* appellabatur : quod non ſatis probat) quam quia in tetrarchica politia Peraea Galilaeae contributa erat.

Et Lyſania Abilinae tetrarcha] Tum de utroque Lyſania (juniore hoc, & ſeniore altero ejuſdem regionis dynaſta ſub Antonio) tum & de Abilene vulgata ſunt omnia. At illud ſollicitos habet interpretes, quid inter tot principes, qui terram promiſſam inter ſe partiebantur, etiam Lyſaniae meminerit, cujus regio extra terram promiſſam erat. Reſpondent Caſaubonus apud Walaeum, & Calmetus, idcireo Abilenes mentionem injectam, quia in ea plurimi Judaei degerent. At iſto modo & Syriae totius, & Arabiae, & Babyloniae, & cujus non? provinciae ac dominia deſcribenda erant; quippe quum eo tempore Judaeorum διασπορὰ longe lateque diffuſa eſſet. At mihi illa videtur propior cauſa, quod propoſitum Lucae fuerit totam Herodis monarchiam, tum quidem in varias tetrarchias diſſectam, adſcriptis regulorum nominibus, deſcribere. Abilenem vero, antea Ζηνοδώρου οἶκος (1) appellatam, jam tum Auguſtus Herodi attribuerat, quum in Syriam profectus, illac tranſiiſſet : quod anno Herodis XVII. Joſepus aſſignat ; qui in XV. ἀρχαιολ. X. §. 3. ſic poſuit : Καῖσαρ δὲ καὶ τὴν τότε (Zenodori ſcil. qui Abilenem locationis nomine tenebat, tunc mortui) μοῖραν, οὐκ ὀλίγην οὖσαν, Ἡρῴδῃ δίδωσιν, ἣ μεταξὺ τῆς Τραχωνίτος καὶ τῆς Γαλιλαίας ἦν, Οὐλάθαν καὶ Παυιάδα καὶ τὴν περιῆκουσαν χώραν. *Quamobrem & ejus* (Zenodori) *portionem, haud parvam illam quidem, Caeſar Herodi dedit ; quae inter Trachonem & Galilaeam porrigebatur, continebatque Vlatham & Paniadem, & qui circa eſt, tractum.* In quibus verbis praeterquam quod certiſſimum eſt, Abilenem, quae certe a Zenodoro tenebatur, deſcribi; non dubito, quin ſub Οὐλάθας nomine *Abila* (2) veniat. At Herode mortuo, toto ejus regno in tetrarchias diſſecto Abilenae pars (Paneas ſcil. quam Joſephus alibi nominatim Philippo attribuit) Philippo Trachonitidis tetrarchae ceſſit ; reliquum autem, ac praecipue Vlatha ſeu Abilene, huic junio-

(1) Ζηνοδώρου οἶκος apud Joſephum Hebraiſmus eſt. Hebraeorum dialecto regionum dominia huic aut illi principi *ad inhabitandum* concedebantur (id quod & Longobardi biblicarum ῥήσεων amatores imitati, eam locutionem haud raro uſurparunt, apud quos dare cui urbem ad habitandum, eſt gaſtaldum illius urbis facere) unde factum ut Abilenes tetrarchia οἶκος Ζηνοδώρου diceretur.

(2) In voce Οὐλάθα, (ſive Ὠυλάθα, quomodo ſcripſiſſe Joſephum, auguror) θα deſinentia Syriaca eſt ; ר autem non in diphthongum cum priore coaleſcit, ſed ſtat loco בּ, cum qua millies permutatur. O vero ſive ω ſtat loco בּ ex Syriaca dialecto, apud quos Adam dicitur Odom. Ita integrum *Abl*, Graecis Ἄβιλα, conſurgit. Nec inſcite Calmetus Lucae *Abilam* eamdem prorſus fuiſſe ſtatuit, ac *Hoba* ſive *Hobal* (Gen. XIV. 15. *quae eſt ad laevam* i. e. ſeptentrionem *Damaſci*) quem vide ad eum Gen. locum & in Dict. Bibl. in HOBA. Sane vero Joſephi *Oblatha* medium quodammodo eſt inter Geneſeos *Hobal*, & Lucae *Abilam*, ac mirifice eam ſententiam confirmat, quae *Abilam* ad illam antiquam Moſis *Hobal* refert.

Digitized by Google

juniori Lysaniae datum fuit. Ita, ut tota Herodiani regni descriptio Evangelistae constaret, non fuit, cur Abilene praetermitteretur.

Ac de *Tetrarchae* nativa significatione dicere supersederem (maxime post Scaligeri in Eusebium animadversiones, ubi accurate de ea voce commentatur, Victorium in Var. Lection., Hartungum, aliosque viros doctissimos) nisi novandi studio Ligtfootus in alia omnia iivisset, ratus *Tetrarchen* non eum esse, qui quartam regni portionem obineret, sed qui quartus dignitate esset ab imperatore. Itaque sic rationes subducit, ut 1. sit Imperator, 2. provinciae rector, 3. rex, 4. Tetrarcha. Id quia nonnullis persuasit; necesse arbitror ejus vocis notionem tum originariam, tum καταχρηστικὴν, accuratius, quam antea a quoquam factum, ostendere.

Ac primum id vocabulum origine Macedonicum esse, ex Harpocrationis Lexico aperte ostendam. Tradit enim sub Aleva (is Thessaliae rex fuit auctore Plutarcho ad calcem libri περὶ φιλαδελφίας) Thessaliam quatuor in τετράδας *quadrantes* (quorum nomina fuerunt Thessaliotis, Pelasgiotis, Phtiotis, Hestiaeotis) divisam fuisse: postea Philippum Alexandri patrem singulis quadrantibus tetrarchas (sive, uti tunc appellabant, τετραδάρχας) praeposuisse. Harpocrationis locum, quum plurimum huic, quo de agimus, vocabulo lucis afferat, in subjecta additione (3) illustriorem, quam antea fuit, reperies. Simi-

(3) *Ad Harpocrationis locum de Tetrarchia exegesis. Demosthenis ἐναντιοφανὴς sublatum.*

Sic ibi orditur grammaticus: ΤΕΤΡΑΡΧΙΑ. Δημοσθένης Φιλιππικοῖς. *Tetrarchia. Demosthenes Philippicis.* Digitum intendit ad locum ex Philippica, quae nunc tertia numeratur (nam olim inter Philippicas & Olynthiacae numerabantur, & aliae quoque, ut ostendit Valesius adnotatione ad Δικαδαρχία) ubi quum orator τετραδαρχίας scripserit (locus infra producetur) nihil erat, cur lexicographus id vocabulum, cujus Demosthenem auctorem facit, una syllaba multaret. At equidem non dubito, quin Harpocratio ΤΕΤΡΑΔΑΡΧΙΑ scripserit, ut in ipso Oratore legitur; quod deinde indocti pro more suorum temporum syllaba imminuerunt. Sane si curtum istud ΤΕΤΡΑΡΧΙΑ retinere pergis, vix erit, quin in interpretandis, quae infra sequuntur, exaestues: εἴη δὲ ὃν λέγει ὁ Δημοσθένης τὴν τετραρχίαν, ut in loco dicam.

Pergit grammaticus: τεττάρων μερῶν ὄντων τῆς Θετταλίας, ἑκάστου μέρους Τετρὰς ἐκαλεῖτο, κατὰ φησιν Ἑλλάνικος ἐν τοῖς Θετταλικοῖς· Ὀνόματα δέ φησιν εἶναι ταῖς τετράσι, Θετταλιῶτιν, Φθιῶτιν, Πελασγιῶτιν, Ἑστιαιῶτιν. *Quum quatuor Thessaliae partes essent, unaquaeque earum τετρὰς vocabatur, auctore Hellanico in Thessalicis; quarum τετράδων nomina haec recensebat, Thessaliotin, Phthiotin, Pelasgiotin, Hestiaeotin.* Vides hinc, errare Vossium, ubi in Etym. Tetrarchae etymon ducit a τέτταρες, quasi sit τετταράρχης & per syncopam τετράρχης. Male: primum quia sic tetrarches quatuor partium, non quadrantis, dynasta esset: deinde quia ex Demosthene cognoscimus, integrum nomen τετραδαρχία, non τετταραρχία fuisse: postremo totus hic locus clamat, a τετρὰς id nomen esse factum; imo hoc etiam subindicat, primum illud Harpocrationis verbum non τετραρχία fuisse, sed τετραδαρχία, quod recto itinere a τετρὰς fluit.

Sequitur. Καὶ Ἀριστοτέλης δὲ ἐν τῇ κοινῇ Θετταλῶν πολιτείᾳ, ἐπὶ Ἀλεύα τοῦ Πύρρου διηρῆσθαί φησιν εἰς τέτταρας μοίρας τὴν Θετταλίαν. *Sed & Aristoteles in Communi Thessalorum republica, sub Aleva Pyrrhi in quadrantes divisam memorat.* De Aleva hoc insignis est Plutarchi locus ad finem libri περὶ φιλαδελφίας, ex quo, duce Valesio, discas, hunc Alevam colore πυῤῥὸν i. e. *rufum* fuisse, non autem filium. Itaque vertendus erit Harpocrationis hic locus: *sub Aleva illo Rufo.* Fundus animadversionis hujus est oraculi versus ibi a Plutarcho productus,

Τὸν πυῤῥὸν τοι φημὶ, τὸν Ἀρχεδίκη τέκε παῖδα.
Hunc dico rufum, natum Archedice genitrice.

Quem affert paullo aliter Valesius (τὸν φάσκω τὸν πυῤῥὸν, ὃν Ἀρχεδίκη &c.) credo quod memoriter recitasset.

Deinde sequitur. Εἴη δὲ ὃν λέγει ὁ Δημοσθένης τὴν τετραρχίαν. Quae verba sic possunt intelligi, si principio hujus capitis ΤΕΤΡΑΔΑΡΧΙΑ scripserit auctor; ut sit hic sensus: *Quare* (τετραδαρχίας nomine) *Demosthenes* τὴν τετραρχίαν (uti vulgo nunc appellatur) *intelligit.* Ignotum illud τετραδαρχία per alterum vulgo tunc notum τετραρχία interpretatur. Nisi vero malumus, hanc mentem Harpocrationi fuisse, ut Demosthenis locum Philipp. II. emendaret, ibique pro δικαδαρχίαν legeret τετραρχίαν, ut infra ostendam.

Ὅτι δὲ Φίλιππος καθ' ἑκάστην τούτων τῶν μοιρῶν ἄρχοντας κατέστησε, δεδηλώκασιν ἄλλοι τε, καὶ Θεόπομπος ἐν τῇ τεσσαρακοστῇ τετάρτῃ. *Quod vero Philippus cuique quadranti suum principem prae-*

Digitized by Google

Simile quiddam & in Gallograecia usurpatum fuisse, Strabo est auctor; qui lib. XII. p. 567. ubi de Galatia, haec posuit: Τριῶν δὲ ὄντων ἐθνῶν ὁμογλώττων . . ἕκαστα διελόντες εἰς τέτ-

praefecerit (praeter Demosthenem Philipp. III. cujus loci gratia haec scripsit grammaticus) *tum alii docuerunt, tum Theopompus lib. XLIV.*

At enim hactenus adversari videtur alter lexicographi hujus locus in Δεκαδαρχία, ubi quum docuisset ex Socrate, ὅτι Λακεδαιμόνιοι δέκα μόνον ἄνδρας, κυρίους ἑκάστης πόλεως ἐποίησαν: h. e. *Lacedaemoniis unicuilibet urbi decemviros summa cum potestate fuisse praepositos*: mox statim subjungit: Φίλιππος μέντοι παρὰ Θετταλοῖς δεκαδαρχίας οὐ κατέστησεν, ὡς γέγραπται ἐν τῷ ἕκτῳ τῶν Φιλιππικῶν Δημοσθένους, ἀλλὰ τετραρχίας. *Philippus tamen apud Thessalos non constituit Decadarchias* (*uti scriptum est in Philippica sexta Demosthenis*) *sed tetrarchias.* Ex his vides reprehendi ab Harpocratione Demosthenem, quasi qui falso dicat Philip. VI. decadarchias a Philippo in Thessalia constitutas, quum revera ibi rex tetrarchias instituerit. Sed proderit duos Oratoris locos huc afferre atque inter se conferre, tum eum qui est de decadarchia a Philippo imposita, tum alterum de tetrarchia ab eodem stabilita. Prior locus est in Philippica II. qui sic habet. Τί δ' οἱ Θετταλοί; Ἆρ' οἴεσθε, ἔφη, ὅτε αὐτῶν τοὺς τυράννους ἐξέβαλε, καὶ πάλιν Νίκαιαν καὶ Μαγνησίαν ἐδίδου, προσδοκᾶν τὴν καθεστῶσαν ὑπ' ἐκείνου δεκαδαρχίαν ἔσεσθαι παρ' αὐτοῖς, ἢ τὴν Πυλαίαν ἀποδόντα, τοῦτον τοὺς ἰδίους αὐτῶν πιστεύσειν παραιρήσεσθαι; οὐκ ἔστι ταῦτα· ἀλλὰ μὴν γέγονε ταῦτα, καὶ πᾶσιν ἐστιν εἰδέναι. *Quid porro Thessali? An putatis, inquam, quum eorum tyrannos* (Alevadas) *ejiceret, & rursus, quum Nicaeam & Magnesiam daret, expectasse decadarchiam fore apud se, quae nunc apud eos obtinet; aut vero qui Pylaeam* (i. e. concilium Amphyctionicum) *reddidisset, eum proprios ipsorum reditus intercepturum? Nequaquam credidissent. Et tamen facta sunt haec, & in conspectu sunt universis.* En Demosthenis locum, quem Noster reprehendit. At idem orator postea sequenti Philippica, quae nunc tertia est, tetrarchias ibidem ab eodem rege inductas. Τετραδαρχίας κατέστησε παρ' αὐτοῖς. Quomodo haec sibi constant tum in Demosthene, qui modo decemviros, modo quatuorviros inducit; tum in Harpocratione, qui de Decadarchia ab Oratore admissa expostulans, alterius loci de τετραδαρχίαις non meminit. Sed Glossographum prius purgare juvat. Putavit Noster, non Demosthenem errasse, sed librarios (non enim dixit ὡς γέγραφε Δημοσθένης, sed ὡς γέγραπται ἐν τῷ ἕκτῳ &c. *uti* (nunc) *scribitur in sexta Philippica*) librarios, inquam, qui in ea oratione pro τετραρχίαν scripserint per errorem δεκαδαρχίαν: quod facillimum fuit, quippe quum decadarchia passim in Graeciae civitatibus usitata esset. Atque huc verius spectant illa Harpocrationis verba in τετραρχία, quae supra adscripsimus: εἰπὼν δὲν λίγων ὁ Δημοσθένης τὴν τετραρχίαν. H. e. *Ergo Demosthenes* (in VI. Philip. non Δεκαδαρχίαν, uti nunc prave legitur, sed) τετραρχίαν *scripserit*. En Harpocrationis locum, nondum intellectum, plane expositum.

Nunc Oratorem ipsum aggredior. Vera ne est Harpocrationis emendatio? Fruatur, per me licebit, tantus grammaticus judicio suo. Sed tamen proderit alterum Demosthenis locum integrum huc afferre; siquo pacto possit sine violenta nimis hujus lexicographi medicina Demosthenes secum ipse in amicitiam redire. Ergo is in Philippica, quae nunc tertia est, haec posuit. Ἀλλὰ Θετταλία πῶς ἔχει; ἔχει τὰς πόλεις καὶ τὰς πολιτείας αὐτοῖς αὐτῶν ἀφῄρηται, καὶ τετραδαρχίας κατέστησε παρ' αὐτοῖς, ἵνα μὴ μόνον κατὰ πόλεις, ἀλλὰ καὶ κατὰ ἔθνη δουλεύωσιν; *Sed Thessaliae quis status est? Nonne & urbes & usitatas apud eos reip. formas ademit, & tetrarchias apud eos constituit, ut non tantum oppidatim, sed & per gentes* (quasi dicas regionatim) *serviant?* Quomodo haec cum priore loco de decadarchiis stant? An qui prius *decadarchias* more Laconico imposuerat, mox (quando dicta est Philippica tertia) sublatis decadarchiis tetrarchias statuit? An potius decadarchias quidem non ademit, sed hisce tetrarchias superinduxit? Posterius hoc notare videntur illa verba, *Ut non tantum secundum civitates* (quod scilicet per decadarchias Philippus prius est assecutus) *sed etiam per gentes* (constitutis scilicet tetrarchiis) *serviant*. En quomodo secum ipse Orator conciliandus videbatur. At in his ultimis verbis nescio cur *calumniam* oratoris Wolfius agnoverit. Nam *Athenae*, inquit, *divisae fuerunt, non servitutis, sed boni ordinis gratia in decem tribus, & curias*. At aliud est Thessaliam quatuor in regiones partiri, quod Alevas fecerat; aliud iis rectores, uni Philippo obnoxios, imponere.

Verum de his plura, quam necesse erat: Sed profuit tum oratorum principi, tum in primis illustri grammatico lucem afferre; praesertim quum ei loco ex interpretibus & adnotatoribus (ne a doctissimo quidem Valesio) nullae suppetiae: quod & de Suida dictum esto, in quem Harpocratio transfusus fuit.

Digitized by Google

τας μερίδας, τετραρχίαν ἑκάστην ἐκάλεσαν, τετράρχην ἔχουσαν ἴδιον. *Quum autem sint tres gentes eadem utentes lingua . . . quamvis earum quatuor in partes diviserunt, quarum quamlibet tetrarchiam appellarunt, quae suum haberet tetrarchen.*

Et sic quidem olim id vocabulum usurpabatur : at postmodum καταχρηστικῶς usurpari coepit . Nam quibus in locis tetrarchicum imperium erat, fiebat ut plures paucioresve tetrarchae essent (prout uni plures τετράδις permitterentur, aut vero una tetrarchia pluribus principibus obtemperaret) nec ideo minus principes illi *Tetrarchae* usitato vocabulo nuncupabantur . Strabo paucis post adscripta verba interjectis , ait , talem quidem olim Galatiae dispositionem fuisse : Καθ' ἡμᾶς δὲ εἰς τρεῖς, εἶτ' εἰς δύο ἡγεμόνας, εἶτα εἰς ἕνα ἦκεν ἡ δυναστεία εἰς Δηιόταρον· εἶτα ἐκεῖνον διεδέξατο Ἀμύντας· Νῦν δ' ἔχουσι Ῥωμαῖοι καὶ ταύτην, καὶ τὴν ὑπὸ τῷ Ἀμύντᾳ γενομένην, πᾶσαν εἰς μίαν συναγαγόντες ἐπαρχίαν. *Nostra vero aetate in trium, deinde duum, postremo in unius potestatem venit Deiotari ; cui successit* (4) *Amyntas. Nunc Romani ex tota hac, & quae Amyntae paruit, regione unam provinciam effecerunt.* Sane quum Galatia tres , duosve , aut unum , habuit ἡγεμόνας *principes*, non ideo ii minus *Tetrarchae* appellabantur : id quod ex Hirtio discimus de bel. Alex. cap. 67. *Dejotarus*, inquit, *Tetrarches Gallograeciae, tunc quidem paene totius ; quod ei neque legibus, neque moribus concessum esse ceteri tetrarchae contendebant.* At Plinii aevo in eadem regione innumerae tetrarchiae numerabantur ; qui sic ait V. 32. *Populi vero* (Galatiae) *ac tetrarchiae omnes numero CXCV.* Nec dispar Judaeae ratio fuit ; in qua modo plures , modo pauciores tetrarchiae erant ; prout huic aut illi principi ab imperatore plus minusve concedebatur . Idem Plinius V. 18. in Decapolitana regione : *Intercursant cinguntque has urbes* (Decapolitanae) *tetrarchiae , regionum instar singulae , & in regna contribuuntur.* Mox tetrarchias illas , quibus urbes Decapolitanae intercursantur , sic recenset : *Trachonitis, Paneas . . Abila, Arca, Ampeloessa, Gabe.*

Omnino ergo quum heic tetrarchas audis , noli de quaternario regnantium numero esse sollicitus ; mira enim ante hoc tempus , quo Lucas scribebat , καταχρηστικῶς hoc vocabulum invaserat ; itaut Asiaticorum *regulorum* eo tempore (ac magis magisque usque ad Plinii aevum) id nomen ferme proprium evaserit (5). Nec umquam in Judaea Tetrarchae (6) propria notione fuerunt . Postremo eo ventum est ; ut *Tetrarchae* iidem qui reges, esse crederentur. Hesychius τετράρχαι . βασιλεῖς.

DISSER-

(4) Non ἀμέσως Dejotaro Amyntas successit: nam , si Hirtium audimus , Dejotaro abjudicatam tetrarchiam Caesar Mithridati concessit. Sic enim habet extremo libro *de bel. Alex. Eidem* (Mithridati) *tetrarchiam legibus Gallograecorum, jure gentis & cognationis adjudicavit ; occupatam & possessam paucis ante annis a Dejotaro.* Sed Strabo compendio studens, Mithridatem de medio sustulit . Ex Strabone etiam discimus, Dejotari tetrarchiam non eamdem per omnia fuisse ac Amyntae ; nam Romani καὶ ταύτην (Dejotari scilicet, nam apud Strabonem ἐκεῖνος ad remotius refertur) καὶ τὴν ὑπὸ τῷ Ἀμύντᾳ, πᾶσαν in unam provinciam redegerunt.

(5) Reprehendit hoc in Cruquio Vossius in Etym. in V. *tetrarchos* ; qui certe non animadvertit, quo sensu Plinius *Tetrarchiae* vocabulum passim usurparit. At aliud est vocabuli vis nativa, aliud καταχρησις. In eo quoque ibi ad finem labitur Vossius, quod in Gallograecia olim quatuor fuisse tetrarchas agnoscit , in qua XII. fuere, in qualibet scilicet gente quaterni.

(6) Nullum tempus fuit , quo principes quatuor cum *tetrarcharum* nomine terram Israëliticam inter se partirentur. Nam primi tetrarchae ibi duo, non amplius, fuerunt , Phasaëlus Antipatri filius, & ejus frater Herodes Magnus, ab Antonio constituti ex Josepho XIV. Antiqu. 23. Mox aliquamdiu post Phasaëli mortem Herodes regis titulum ab senatu est consecutus; qui postea fratri suo Pherorae tetrarchiam ab Augusto impetravit. Vide Josephum XV. Antiq. 13. Idem rex mutatis saepe testamenti tabulis , postremo Archelaum regem Judaeorum reliquit , Antipam Galilaeae & Peraeae tetrarcham, Philippum tetrarcham Trachonitidis &c. Jos. XVII. Antiq. 10. Caesar testamentum ita confirmavit , ut tamen Archelaum , regis titulo dilato , ethnarcham appellaverit . Mox variae mutationes accidesunt, sed ita tamen, ut numquam quaternio tetrarcharum fuerit, qui terram inter se partirentur.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

AD LVC. X. 52.

DE CLAVI SCIENTIAE.

Vae vobis legis periti, qui tuliſtis clavem ſcientiae] De clavi, quid hic ſibi velit, aliorum notatis nihil addam. Ad *Scientiam* vero, Graece γνῶσιν, quod attinet, ejus ſignificatio ex Helleniſtico ſermone petenda. Nam apud τοὺς ἔξω abſolute γνῶσιν haud uſquam reperias, ſed cum adjuncto, veluti τῶν δογμάτων γνῶσις, & ſimilia. At Graeci interpretes abſolute γνῶσιν ſexcenties poſuerunt, ubicumque Hebraeo דעת *dahbath*, *ſcientia*, occurrebat. Veluti Malach. II. 7. χεῖλη ἱερέως φυλάξεται γνῶσιν. Et quoniam hic apud Lucam articulus adhibetur; non de quacunque γνώσει, ſed de illa apud Judaeos eximia eſt ſermo, in qua tantopere ſibi placebant legisperiti. Re enim vera tum hic tum alibi in N. T. per γνῶσιν intelligitur myſticus Scripturarum ſenſus, ſive Midras; intelliguntur & traditiones, quas cum ſero poſtea ſcripto tradidiſſent, Miſnajoth appellarunt. Cum autem hujuſmodi traditiones in Scriptura interpretanda (quod genus Cabala dicebatur) plurimum verſarentur; iccirco τὴν γνῶσιν ſuo ſibi jure, ut hinc apparet, νομικοὶ vindicabant. Neque eſt negandum, quin γνῶσις illa, ut pleraque abſurda ac ridicula (quo ſpectat quod ſequitur, *Ipſi non introiſtis, & eos, qui introibant, prohibuiſtis*) ſic etiam nonnulla recte dicta complecteretur: nam & in Miſnico opere & in Targumim ſunt bonae frugis aliqua, quae tollere poſſis. Poſteriora haec, & quidem γνώσεως nomine, veteres Chriſtiani adoptarunt, id quod ex Barnabae epiſtola infra docebimus.

Ergo fuiſſe in pretio temporibus Apoſtolicis γνῶσιν, documento eſſe poſſunt quae de illius dono Paulus & ceteri Apoſtoli tradiderunt. Clemens Alex. in VI. Stromateon ait: ἡ δὲ γνῶσις αὕτη ἡ κατὰ διαδοχὰς εἰς ὀλίγους ἐκ τῶν Ἀποστόλων ἀγράφως παραδοθεῖσα κατελήλυθεν. *Gnoſis vero iſta ſine ſcripto tradita ab Apoſtolis ad paucos continua ſucceſſione pervenit.* Euſebius II. hiſt. 1. ex ejuſdem Clementis VII. τῶν ὑποτυπώσεων haec affert: Ἰακώβῳ τῷ δικαίῳ, καὶ Ἰωάννῃ καὶ Πέτρῳ μετὰ τὴν ἀνάστασιν παρέδωκε τὴν γνῶσιν ὁ Κύριος· οὗτοι τοῖς λοιποῖς Ἀποστόλοις παρέδωκαν· Οἱ δὲ λοιποὶ Ἀπόστολοι τοῖς ἑβδομήκοντα, ὧν εἷς ἦν καὶ Βαρνάβας. *Jacobo Juſto*, inquit Clemens, *Johanni, & Petro Dominus poſt reſurrectionem* τὴν γνῶσιν *h. e. ſcientiam impertiit: quam illi ceteris Apoſtolis, hi vero ſeptuaginta diſcipulis, quorum e numero Barnabas, tradiderunt.* Non dubito, quin multis importuna prorſus videatur in adſcripto Clementis loco injecta Barnabae mentio: quid enim, Barnabam unum ex LXX. fuiſſe, monere magnopere attinebat? Vtinam ὑποτυπώσεις illae exſtarent. Interim prorſus exiſtimo eo loci de Barnabae epiſtola Clementi fuiſſe ſermonem; qua in epiſtola cum crebro γνῶσις in partes advocetur, docendum ſibi Clemens putavit, quo ex fonte hauſta γνῶσις ad illum pervenerit. Certe perquam familiare eſt Barnabae, ſeu quiſquis auctor, myſticas Scripturae interpretationes ex γνώσει repetere. Cap. V. pag. 221. editionis Iſ. Voſſii ſcripturae loca de *terra fluente lacte & melle* de Chriſto interpretaturus ait: τὶ λέγει ἡ γνῶσις, μάθετε· ἐλπίσατε ἐπὶ τὸν ἐν σαρκὶ μέλλοντα φανερῶσθαι ἡμῖν Ἰησοῦν, & quae ſequuntur. Vetus interpres: *Quid dicat ſcientia, diſcite: Credite, inquit, in eum, qui in carne apparebit, Jeſum.* Item cap. VI. pag. 225. quae de hirco emiſſario dicuntur, ex eodem fonte manaſſe oportet, ut & alia pleraque. Adhaec cap. VII. pag. 229. ubi narraſſet Abrahamum CCCXVIII. viros circumcidiſſe, decem & octo (Graeci his notis exprimunt IH) de Jeſu interpretatur; trecentos autem, cum per T Graece notentur; ad crucem ſignificandam refert. Τίς οὖν ἡ δοθεῖσα αὐτῷ γνῶσις; & quae ſequuntur. Quam interpretationem ubi expoſuiſſet; ſubjungit haec: Οἶδεν ὁ τὴν ἔμφυτον δωρεὰν τῆς διδαχῆς (nam quae γνῶσις, eadem & διδαχὴ non ſemel ea in epiſtola dicitur) αὐτῷ θέμενος ἐν ἡμῖν· ὑδεὶς γνησιώτερον ἔμαθεν ἐξ ἐμοῦ λόγον· ἀλλὰ οἶδα ὅτι ἄξιοι ἐστὲ ὑμεῖς· *Novit* (haec vera eſſe) *qui inſitum doctrinae hujuſmodi donum indidit nobis. Nemo ſincerius a me iſta didicit: novi quippe vos dignos eſſe*, quos ſine ambagibus doceam. Vides ut auctor hujus epiſtolae doctrinam ſuam ad illum refert (Chriſtum utique) qui γνῶσιν Apoſtolis, ac per eos diſcipulis communicavit: id quod modo ex Clemente diſcebamus. Adhaec cap. VIII. Λαμβάνει δὲ τρίτον δογμάτων γνῶσιν Δαβὶδ, καὶ λέγει ὁμοίως· Μακάριος ἀνὴρ &c. Quem primi Pſalmi verſiculum ubi myſtice explanaſſet, ſubjungit: Ἔχετε τελείως καὶ περὶ τῆς γνώσεως. Poſtremo hujus epiſtolae initio partis alterius,

Digitized by Google

quae tota est ἡθική, sic orsus, Μεταβᾶμεν δὲ καὶ ἐπὶ ἑτέραν γνῶσιν καὶ διδαχήν, duas esse tradit vias, lucis unam, alteram tenebrarum. Ac viae lucis praecepta, quae plurima recitat, ex γνώσει repetit. Ἔστιν οὖν ἡ δοθεῖσα ἡμῖν γνῶσις . . . τοιαύτη &c. Dicet fortasse aliquis futiliores sibi videri allatas ex Barnabae epistola interpretationes, quam ut ad Christum auctorem referri possint. Quibus libens assentior: ac vel eo nomine hanc epistolam, ceteroqui antiquissimam, ψευδώνυμον puto, quod Christo refert accepta, quae partim a γνώσει Judaica hausta fuerant, partim ad illius imitationem & gustum excogitata. Ceterum laudata a Pseudo-Barnaba γνῶσις recta est, ac nihil absurdi praeseferens (nisi quod illa ad Christum auctorem refert): nam fuit altera Gnosticorum, eaque execranda ac ψευδώνυμος γνῶσις, uti vocatur ab Apostolo I. ad Tim. VI. 10. in quem locum Theodoretus pag. 490. Αἱ σιγηταί, φασιν, ἡ θεία γραφὴ, ταῦτα ὁ Θεὸς ἡμῖν ἀπεκάλυψε. *Quae Divina inquiunt* (Gnostici) *scriptura tacuit, ea nobis Deus revelavit.* Ex illo jam tempore in Gnosticorum execrationem vix unquam γνώσεως nomen in Ecclesia exauditum fuit, quin eadem opera vera a falsa gnosi distingueretur.

DISSERTATIO III.

AD LVC. XXI. 23. & 1. Cor. VII. 26. & 2. Cor. VI. 4. XII. 10. & 1. Thes. III. 7.

De Hellenistica proprietate vocis Ανάγκη *i. e.* necessitas.

Ex occasione autem de quibusdam ejusdem notionis Hellenisticis vocibus, veluti θλίψεως *tribulationis*, στενοχωρίας *angustiae*.

§. I.

Ἀνάγκη Judaeorum Hellenistarum.

IN CHRISTI vaticinio Luc. XXI. 23. pro eo quod Latine legitur: *Erit enim pressura magna super terram, & ira populo huic*, Graece id concipitur his verbis, ἔσται γὰρ ΑΝΑΓΚΗ μεγάλη ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ὀργὴ ἐν τῷ λαῷ τούτῳ. i. e. *erit necessitas magna &c.* Quid sit autem hoc loco ἀνάγκη seu *necessitas*, ex Matthaeo & Marco potes interpretari, qui in iisdem Servatoris verbis sic habent, ille XXIV. 21. *Erit enim tunc tribulatio magna* Gr. θλῖψις, *pressura*: hic vero XIII. 19. *Erunt enim dies illi tribulationes tales, quales non fuerunt ab initio creaturae*, Gr. θλῖψις οἵα οὐ γέγονε i. e. *pressura, qualis non fuit &c.* Vides quod Matthaeus & Marcus θλῖψιν h. e. *pressuram* (*pressuram* scil. illam, quae in area tribulo fit ad excutienda grana: unde μεταφορικῶς *pressura* & *tribulatio* Latino interpreti sunt *calamitatis* synonyma) vocarunt, id Lucam appellasse ἀνάγκην, *necessitatem*. Ex quo nova detegitur ἀνάγκης notio, ut fit idem quod *aerumna, calamitas*; quae notio, ignota Graecis, Judaeis Hellenistis admodum familiaris fuit; nam praeter N. T. loca, ad quae modo in Dissertationis hujus titulo digitum intendi, jam antea Graeci interpretes eodem significatu Ἀνάγκην usurparant; apud quos ea vox modo respondet τῷ מצוק *matsok, angustia* Ps. CXVIII. 142. 1. Sam. XXII. 2. modo τῷ מצוקה *metsuka* Ps. XXIV. 18. CVI. 6. XIII. 19. 28. Soph. I. 16. ejusdem signific. modo τῷ צר *tsar*, Job. VII. 11. XV. 24. XXXVI. 19. aut τῷ צרה *tsara* Job. V. 19. XXVII. 9. Ps. XXX. 9. Prov. XVII. 18. quorum utrumque item *angustia* vertitur: At Jobi XX. 22. ἀνάγκη usurpatur pro Heb. יד עמל *jad amel* i. e. *manus molesti*: & Jer. IX. 14. respondet τῷ לענה *laana, absinthium*, & XV. 4. זועה *zevaa, commotio*. Ex his vide quid Alexandrini interpretes ἀνάγκην vocarint. His adde Tob. III. 7. 11. & in epistola Jer. 32. & illud Sap. XVII. 17. τὴν δυσώλυκτον ἀνάγκην *inevitabilem necessitatem*, & 2. Mach. VI. 7. μετὰ πικρᾶς ἀνάγκης *cum amara necessitate*.

§. II.

Digitized by Google

§. II.

Ἀνάγκη *Graecorum*. *Latinorum* *NECESSITAS*.

QVod modo monebam, Graecis profanis hanc notionem fuisse incognitam, id verissimum est: apud quos ἀνάγκη ferme ea est, quae cogit facere, aut desistere a faciendo; unde aut cum infinitivo jungitur (ut ἀνάγκη μοι τοῦτο ποιεῖν) aut vero in similem aliquam locutionem resolvi potest. Nec enim eo trahi potest illud Euripidis, qui ἀνάγκας θεῶν appellasse *calamitates* dicitur (de quo vide Sthephani thes.) nam ea appellatio e philosophorum officina prodiit, qui calamitates aeque ac prosperitates fatali quadam necessitate evenire docebant. Et hactenus trita ἀπόφασις erat. At Euripides in eo, opinor, φιλοσοφώτερος fuit, quod fatalem illam necessitatem cum Dei natura permiscuit ac temperavit, quasi dii ex fatali necessitate calamitates immitterent. Nisi vero id sic interpretari libet, quemodmodum Aristoteles, aut quisquis auctor libri de Mundo, ubi ait: εἶμαι δὲ καὶ τὴν ἀνάγκην οὐκ ἄλλό τι λέγεσθαι πλὴν τὸν θεὸν, οἱονεὶ ἀκίνητον οὐσίαν ὄντα. *Atque equidem sic censeo, ἀνάγκην non aliud esse, quam Deum, quippe qui sit substantia immobilis*. Vide in eam sententiam Etymologicum magnum, ubi ἀνάγκη dea esse dicitur, cujus nomen ab ἄγω deducit, quia πάντα ἄγει. Huc spectare possit & Horatii *saeva necessitas*, & *dira necessitas*. Verum de his Poëtae Venusini locis infra copiosius disputabitur. Vides quo Euripidis ἀνάγκας spectent; quae nihil habent cum Hellenistarum ἀνάγκαις (i. e. rebus quibuscumque adversis) commune. Nam Isocratis ἀνάγκαι (ejus exempla vide in Thes. Stephani) multo adhuc facilius ad communem tritamque notionem revocantur.

A Graecorum usu ne latum quidem unguem Latini discedunt. Festus: *Necessarium ait esse Opilius Aurelius, in quo* non *sit* cessandum: *aut sine quo vivi non possit* (ad hanc alteram definitionem pertinet illud in Vulgata Luc. X. 41. *porro unum est necessarium*) . . . *aut quod non possit prohiberi quin fiat*. Tamen opponi possit illud Suetonii in Jul. Caes. cap. 68. *Famem & ceteras necessitates... tolerabant*: quo videntur calamitates significari. Verum non de rebus adversis ibi sermo est, sed de rerum necessariarum penuria, qua obsessi premuntur; quare ibi *necessitas* non aliud est, quam ἔνδεια, aeque ac ubi in Tib. cap. 47 dicitur *justas necessitatum causas* probare. At Hellenistica *necessitas* non est tantum ἔνδεια *penuria*, sed quidquid adversi accidit.

Venio ad Horatii Flacci *necessitatem*, cujus nomine saepe quidem moriendi necessitatem significat, veluti II. Od. 1. *Aequa necessitas sortitur insignes & imos*; cujus locutionis vim I. 3. explicuit: *Semotique prius tarda necessitas Leti corripuit gradum*: quo pertinet etiam *Denuntiare ultimam necessitatem* apud Tacitum, & siqua sunt generis ejusdem. At quid Flacci *saeva necessitate* fiet? Locus est I. 35. in ode ad Fortunam:

Te semper anteit saeva Necessitas,
Clavos trabales & cuneos manu
Gestans aena; nec severus
Uncus abest, liquidumque plumbum:

At III. 14. eidem *Necessitati* clavos tantum attribuit, eorumque usum docuit: *Figit adamantinos summis verticibus dira necessitas Clavos*.

Dixi de clavis hisce, Fortunae seu Necessitatis symbolo, Diatr. VIII. in Etruscis originibus, ubi de dea Nortia. Nam Nortiam ibi demonstravi non aliam a Fortuna fuisse. Porro quum in ejus deae templo clavi ex Tuscorum primitus, tum & Latinorum, instituto clavi figerentur; hinc clavos Horatius in Fortunae instrumento posuit. At clavi Nortiae alio spectabant; ut ex Cincio tradit Livius; nam annorum indices erant. Poëta vero hosce clavos συμβολικῶς explicans instituto suo servire facit. Huc refer, quae ad Jud. IV. 21. contuli ad illustrandam Sisarae mortem, quem Jahel non aliter interfecit, quam tempus clavo trabali transfigens: ubi & Tuscum anaglyptum mulieris, heroem clavo transfigentis, produxi.

Verum in Horatianae *Necessitatis* instrumento praeter *clavos*, numerantur & *cunei*, & *uncus*, & *liquidum plumbum*: quae sunt supplicium genera, quibus fontes enecabantur. Ac plane dum *Necessitati* haec instrumenta tribuit poëta; videtur ad Graecorum ἀνάγκας spectasse. Instrumenta in quaestionibus usitata, non tantum βασάνους, sed & ἀνάγκας (1) Graeci vocasse

(1) Ex Polybii fragmentis citatur τὰ πρὸς ἀνάγκας ὄργανα, eadem significatione ac τὰ πρὸς βασάνους ὄργανα. Affert Stephanus & Plutarchi locum eodem significatu. Ac ne haec quidem Graecanica ἀνάγκης acceptio quidquam habet cum Hellenistica ἀνάγκη commune (etsi Grotius ad Luc. XXI. 23. has ἀνάγκας pro βασάνοις usurpatas existimavit cum notione Hellenistica congruere) etenim quaestionum tormenta non alia de causa ἀνάγκαι vocantur, quam quia confitendi necessitatem imponunt. Hinc in quibusdam versibus legisse se fatetur H. Steph. βασάνους ἀνάγκαις, h. e. necessitates, quae per tormenta imponuntur.

Digitized by Google

vocaſſe reperiuntur. Eo ſpectans Vates Venuſinus ſuam *Neceſſitatem*, quaſi tormentorum deam, dum undique ornare ſatagit, non tantum *clamat* (quos ceteroqui ex Nortiae Templo mutuatus, in ſuum uſum detorſerat) ſed & *uncum*, quo noxii rapiebantur, & *liquidum plumbum*, in os infundi ſolitum, in eam contulit; poſtremo & *cuneos* inſtrumentum ad *adigendum* (*adigere* autem neceſſitatis eſt populiare) *efficaciſſimum*. Atque haec de Venuſini *Neceſſitate*.

§. III.

Quo Judaei ἑλληνίζοντες ſpectarint, ut calamitatis *notionem ἀνάγκη ſubjicerent.*

CAuſa non alia eſt, quam ea, quam heic breviter expono. Ἀνάγκης vocabulum commune Graecis cum Judaeis erat. Nam eâ linguâ, quam tum Judaei uſurpabant (nim. Chaldaea & Syriaca) vox אננק *ananki* reperitur uſurpata in Targumim, & Syro interprete, verum quum vocabulum illud commune Graecis cum Judaeis eſſet: tamen uſus haud erat plane idem; nam apud Orientales, quam apud Graecos, patebat latius. Hi enim tantum quidquid ἀναγκάζει (*cogendi vim habet*) vocabant ἀνάγκην: at illi praeter communem hanc cum Graecis notionem, etiam omne aerumnarum aut rerum adverſarum genus *ananki* appellitabant. Exempla utriuſque notionis apud Chaldaeos Syroſque videbis heic (2) ſubnotata. Imo primaria ejus vocis ſignificatio apud orientales erat, ut *infortunia* notaret, illa vero altera, nota Graecis, apud illos erat ſecundaria; uti mox adnotabimus.

Ergo quum *ananki* Judaica deſignaret *calamitatem*; nihil propius fuit, quam ut Judaei, qui Graece ſcriberent, ἀνάγκην & ἀνάγκας pro rebus adverſis uſurparent.

Quaeras fort. utri ab alteris eam vocem ſint mutuati. Grotius ad Luc. XXI. 23. Buxtorfius in Lex. Chald. & quantum eſt τῶν λεξικογράφων Chaldaeae ac Syrae linguae, putarunt Chaldaeos Syroſque eam vocem a Graecis hauſiſſe. Id quod equidem cur non poſſim concoquere, habeo ſequentes maxime cauſas I. Talmudicas quidem voces aut Rabbinicas de Graeco ſumptas plurimas reperies, at Targumicas raras admodum indidem acceptas: nam quas pro Graecis habent, earum pleraſque Graecos potius ab oriente mutuatos variis in locis in his obſervationibus, & in Tyrrhenicis originibus obſervatum fuit. Inter quas & ἀνάγκην numero. II. Diverſae ſunt vocis hujus vocales apud Graecos ac apud Syros; qui etſi pluries cum Chaldaeis אננק *ananki* ſcribunt; at alibi tales motiones adhibent, ut *ananki* pronuntient, teſte Ferrario. Eſt & illud 2. Cor. VI. 4. פאננקאוס *banankaus* pro Gr. ἐν ἀνάγκαις, quod terminationem diverſam habet aſſumpta ad finem formativa littera. Eſt poſtremo & Tyrrhenicum INENEK in Tab II. Iguvina verſu 20. uſurpatum pro *neceſſitate* i. e, *calamitate*; quod indicat, apud orientales olim alio poſitu motiones in ea voce fuiſſe uſurpatas, ac nunc fit. Vide in Tyrrhenicis originibus noſtram interpretationem alterius Iguvinae Tabulae verſ. 20. Itaque ſiquid in ea voce, in qua verſamur, de Graeco ſumptum fuit, id totum ad motiones pertinebit, quas fort. de Graeco ſunt imitati poſteriores illi magiſtri, qui τὰ Targumim & Syrum Interpretem cunctis vocalibus animarunt. Nam antea vocales alio poſitu in ea voce ordinabantur, uti patet ex Tyrrhenica voce INENEK: qui Tuſci dixiſſent potius ANENK aut INENK, ſi in ea voce antiquis illis temporibus motiones eodem poſitu, ac nunc fit, fuiſſent adhibitae. III. In originatione τῆς ἀνάγκης miſerrime ſe fatigant Graeci grammatici; nec tamen perſuadent: vide Etymologicum magnum, Favorinum, Stephani theſaurum. At orientalis hujus vocabuli origo liquida eſt; nam ſive arceſſas ab אנן *anan*, ſive ab אנק *anak*, (ſive quod veriſimilius eſt, ab utroque) ſane utrumque verbum Hebraeis Chaldaeis Syriſque eſt *lamentari*, *maerere*, *ſuſpirare*, *gemere*, & ſimilia: unde אננק *ananki* eſt quodcumque infortunii genus, quod quiritari ac gemere facit. IV. Ex his conſequitur apud orientales primariam ejus vocis notionem eſſe, ut *calamitatem* notet; cui altera ſecundaria acceſſit, ut deſignet *cogentem neceſſitatem*, quia ea quoque genus eſt calamitatis, quae invitos ad agendum aut deſiſtendum adigit. V. Viſo, orientales Graecis priores in ejus vocis

(2) Prior notio Chaldaice occurrit in Bereſ. Rab. ſect. 12. *Quum caro & ſanguis extendit tentorium* (אננק *ananki*) *ex neceſſitate*: Syriace vero Matt. XVIII. 7. ad Heb. IX. 23. & Sap. XIX. 4. & alibi. At altera notio, qua res adverſas notat, reperitur in Targum Hieroſ. Gen. XXII. 14. in Jonathane Gen. XXXVIII. 25. Et in Targum ſecundo Eſth. V. 1. ad finem verſus; quibus locis *bora* (אננק *ananki*) *neceſſitatis* tantumdem eſt, quod tempus calamitatis. Syriace vero reperitur 1. Cor. VII. 26. & 2. Cor. VI. 4. quibus locis etiam in Graeco eſt ἀνάγκης vocabulum; & credo alibi.

Digitized by Google

cis uſurpatione fuiſſe; quid aliud reſtat, niſi ut eam Graeci (apud quos ea vox origine ac radice caret) a filiis orientis acceperint, aeque ac Tuſci ſuum INENEK ? niſi quod Tuſci, utpote tenaciores ſuarum originum, primariam ejus nominis vim ſecuti fuere, Graeci ſecundariam atque acceſſoriam alteram. Atque haec ferme ſunt, quae ego de hoc vocabulo ſentio.

§. IV.

Cur Lucas, ceteroqui idoneus Graeci ſermonis auctor, heic uſus ἑβραϊσμῷ fuerit.

SAne animadverti Lucae utramque hiſtoriam mira ſtili varietate diſparem eſſe: modo enim eleganti ac bene Graeca oratione fluit, etſi ea quoque pro ſuae ſectae ingenio nonnullis ἑβραϊσμοῖς inſperſa; modo nihil de Graeco ſapit, ac totus Hebraeo ore ſonat. Atqui id quoque animadverti, tantam ſtili diverſitatem non in narrationibus eſſe, ſed in ſermonibus, & allocutionibus. In Actis verbi gratia, ubi Petrum concionantem induc it, Petri epiſtolas mihi audire videor; ita hyperbatis & ſalebroſa ſtructura eſt horrida oratio: ubi Paulum loquentem facit, ibi Pauli αὐτότατος ſtilus eſt. Neque id ſtudio & labore conſecutus eſt Lucas, ut eorum dicendi genera imitaretur, quos loquentes induceret; ſed ipſa Apoſtolorum verba (ſive ex inſpiratione, ſive ex commentariis id ſit aſſecutus, ſive ex utroque, mitto interpretari) κατὰ πόδα ſequebatur. Itaque non ut Livius ceterique, conciones de ſuo ingenio procuderunt, ſic etiam Lucas; ſed verba ipſa alloquentium ſuae hiſtoriae intexuit. Hoc quum dico; nolo quidquam de ceteris Novi Foederis hiſtoricis detrahi, quaſi qui ſecus fecerint, ac de ſuo conciones recenſuerint Verum Matthaei Graecus interpres & Marcus etiam in ſuis narrationibus ii quidem paſſim ἑβραΐζουσι, eoque minus ſtili varietas in concionibus animadvertitur; quae in Luca elegantiore ſcriptore eſt notabilior. Itaque is ſcriptor ut in Actis, ſic in Evangelio, verba ipſa loquentium ſincera ſervavit. Vel haec Chriſti oratio, quam heic pertexuit, tota Hebraiſmis ſcatet. Haec eo dixi, ut intelligatur, Lucam, ſi de ſuo locutus fuiſſet, non fuiſſe heic ἀνάγκης vocabulo uſurum; id autem uſurpaſſe, quod ſciret illud ipſum vocabulum a Servatore Syriace aut Syro-Chaldaice loquente fuiſſe pronuntiatum. At Matthaei Graecus interpres θλίψιν poſuit, quia quod Syris Chaldaeiſque אנק *ananki*, id Graecis Helleniſtis θλῖψις dicebatur: quod & Marcus ſecutus fuit, quippe haud ſolens de Matthaei Graeco facile diſcedere.

§. V.

De vocibus θλῖψις, preſſura, tribulatio; *&* στενοχωρία *i. e.* anguſtia.

QVia θλίψεως (quam heic Matthaeus, & Marcus uſurpant) modo mentionem injeci; non alienum fuerit, in ejus vocis vim, & indolem inquirere. Θλῖψις Helleniſticum eſt, reſpondens (in Heb. Concordantiis) vocibus Heb. quae ſignificant preſſionem, aut anguſtiam, eam ſcil. quae premit & opprimit. At quia Graecum θλῖψις peculiari notione (teſtibus Gloſſis, ubi θλῖψις eſt *tribulatio* h. e. tritura quae ope tribuli fit) ſignificat *tribulationem* h. e. *trituram*, hinc Latinus interpres plerumque tum θλῖψιν, tum alia ſynonyma Helleniſtica, vertit *tribulationem*; ita ut in iis locis intelligenda ſit *tribulatio* metaphorica. Vide quae alicubi de θλῖψεως, & *preſſurae* vocibus in his obſervationibus adnotavi.

At στενοχωρία rarius in LXX. ſaepiſſime vero in Helleniſtis V. & N T. Scriptoribus occurrit. Ab eo venit, quod מצוק *matſok* & צרה *tſara* locum anguſtum notat, & ſaepiſſime μεταφορικῶς accipitur pro rerum anguſtiis, quibus quis angitur, aut pro anguſtia ſpiritus qua fauces anguntur. Hinc στενοχωρία tam frequentur pro adverſis rebus. Conſonat Chaldaicum & Syr. ܥܩ *uk*, quod eſt *artare* tam proprie, quam ſaepius μεταφορικῶς, a quo plura oriuntur verbalia calamitatem notantia in utraque dialecto. Vnde orta eſt στενοχωρία Helleniſtica.

Digitized by Google

SPICILEGIVM

OBSERVATIONVM LITTERALIVM

IN JOHANNEM.

AD JOH. I. 1.

In principio] Locus Severiani Gabalitani illustris est, quo duum foederum germanitatem ex eo colligit, quod eandem ambo vocem emittant; Moses enim & Joannes eodem exorsu auspicantur Ἐν ἀρχῇ . . .

In principio erat Verbum] Gr. Λόγον ἐνδιάθετον intelligit. Jampridem Platonicis aliisque philosophis Λόγος alius ἐνδιάθετος (*mente conceptus*) erat, alius προφορικὸς (*prolatus*); a quibus & SS. Patres eandem distinctionem hauserunt. Plutarchus lib. *quod philosophis conversandum sit cum principibus*: ὅτι δύο λόγοι εἰσὶν, ὁ μὲν ἐνδιάθετος Ἑρμᾶ δῶρον, ὁ δ' ἐν προφορᾷ διάκτορος καὶ ὀργανικός.

Verbum] Gr. Λόγος. Alteram Trinitatis personam felicius Graeci quam nos exprimimus. Lact. IV. Instit. 9. *Sed melius Graeci* Λόγον *dicunt, quam nos Verbum sive sermonem: Λόγος enim & sermonem significat, & rationem: quia ille est vox & sapientia Dei.* Latini tamen Patres *Verbi* vocem rationis vocabulo antepositerunt, ut rerum, credo, per Verbum creatarum ratio haberetur, Mosaicorumque verborum: *Dixit autem Deus, fiat* &c. Tum & *Verbum* quam *sermonem* dicere maluerunt, ad Divinam notandam simplicitatem, quam, ut opinor, dedecere videbatur *sermonis* vocabulum, qui ex multis conflatam vocibus notat orationem. Sed de θείῳ Λόγῳ age videamus, utrum ante Christum innotuerit. Jam viri docti ex Orphicis carminibus, ex Zenone, Platonicis, Onkelosо, Philone, imo & Proverbiorum, Sapientiae, & Ecclesiastici libris testimonia produxerunt, ex quibus antea cognitus videretur, nisi quod hunc θεῖον Λόγον fuisse ἐνυπόστατον, aut Deo aequalem, assequi cogitatione veteres nequiverunt. Non erit inutile si tot aliis veteribus de Λόγῳ testibus luculentissimus Ezechielis Judaei, qui ἐξαγωγὴν (opus dramaticum de Hebraeorum ex Aegypto egressu) scriptam reliquit, adtexatur locus; apud quem sic Mosem alloquitur e rubo Deus:

Ἐπίσχες, ὦ φέριστε, μὴ προσεγγίσῃς,
Μωσῆ, πρὶν ἢ τῶν σῶν ποδῶν λῦσαι δέσιν·
Ἁγία γὰρ ἡ γῆ, ὅπου σὺ ἑφέστηκας, πέλει·
Ὁ δ' ἐκ βάτου σοι θεῖος ἐκλάμπει ΛΟΓΟΣ. Verte si vis.
Heus tu, resiste dum, ne conferas gradum,
Mose, priusquam calceos tibi detrahas:
Est nanque sanctum, ubi constitisti nunc, solum:
Tum qui ex rubo micat, ecce sermo is dius est.

cujus sane Scriptoris sane quam vetusti indicio, affirmare non dubito, veterum Patrum sententiam Divinum Verbum Mose apparuisse opinantium, ex Judaico fonte haustam. Vide Grotium heic ad illud *Et Deus erat Verbum*, notantem Hebraeos

Digitized by Google

Hebraeos veteres, & Christianorum primos censuisse, quoties in V. T. Angelo nomen יהוה tribuitur, tunc non merum Angelum esse intelligendum, sed cui Λόγος adfuerit.

AD JOH. I. 8.

Non erat ille lux] Quo tempore haec scribebat Evangelista, adhuc reliqui erant, qui se Baptistae discipulos profiterentur, ac magnifice de suo magistro sentirent, ac loquerentur. Quo circa necesse sibi duxit Evangelista monere, Baptistam quamvis admirandum ortu, vita, concionibus &c. non tamen fuisse Messiam.

AD JOH. I. 10.

In mundo erat, & mundus per ipsum factus est, & mundus eum non cognovit] Eodem hoc commate κόσμος varie accipitur, semel iterumque philosophica notione, qua Aristot. initio lib. de mundo ait: Κόσμος ἐστὶ σύστημα ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς, καὶ τῶν ἐν τούτοις περιεχομένων φύσεων. Cum addit autem: *Mundus eum non cognovit*, ad usum Judaeorum Hellinistarum transgreditur, apud quos ex quo obtinuit ut κόσμος pro οἰκουμένη (Heb. תבל *thebel*) acciperetur, (qua notione 2. Mach. III. 12. τῷ τετιμημένῳ κατὰ τὸν σύμπαντα κόσμον ἱερῷ) inde factum, ut & pro hominibus κόσμον h. e. terram incolentibus usurparetur: ex qua consuetudine Sap. VI. 26. dicitur: πλῆθος δὲ σοφῶν σωτηρία κόσμου: & sexcenties in N. F. & scriptoribus Christianis· unde Suidas κόσμον significare ait τὸ πλῆθος παρὰ τὴν γραφήν. Atque hac notione affirmat hic Johannes, mundum h. e. homines non agnovisse mundi conditorem. Postremo autem tum ceteri Scriptores N. T. tum in primis Johannes, saepe κόσμον non pro hominibus quibuscunque, sed κόσμῳ affixis ejusque cupiditate implicitis accipere consuevit, quos & *mundanos* Christiani appellarunt. Quae notio heic etiam optime convenit. Ex Syriaco aut Chaldaico sermone novas istas notiones fluxisse, ostendi ad Sap. VI. 26. Vide quae ibi copiose disputavimus.

Ad JOH. I. 13.

Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt.] Αἵματα numero multitudinis nunquam, quod sciam, vetus Graecia usurpavit, sed est Hellenisticum ex Hebraico דמים *damim* expressum, quod & LXX sexcenties, & Siracides usurparunt. Ab Hellenistis Judaeis id & posteriores Graeci acceperunt. Justinus M. apologia ad Senatum. Ὧι (εἰδώλῳ) οὐ μόνον ἀλόγων ζώων αἵματα προσραίνεται, ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπεια: *Cui* (Jovi Latiali) *non tantum animantium, sed & hominum sanguis aspergitur.* Eusebius VIII. hist. 12. τῆς τῶν αἱμάτων ἐκχύσεως. Et post pauca: μὴ γὰρ καθήκειν φασὶν ἐμφυλίοις αἵμασι μιαίνειν τὰς πόλεις. *Neque enim fas esse ajebant urbes civium sanguine maculari.* Idem Eusb. lib. de Martyrib. Palaest. c. 9. καὶ ἀναπτὰν τοῖς ἱεροῖς αἵμασι τῆς τοῦ διωγμοῦ πυρκαϊᾶς ἀποσβεννυμένης. *Cum persecutionis incendium quasi sacro martyrum cruore restinctum esset.* Idem IX. hist. XI. de Culciano: ὁ καὶ αὐτὸς μυρίοις τοῖς κατ' Αἴγυπτον Χριστιανῶν ἐλλαμπρυνόμενος αἵμασιν. *Qui & ipse innumeris Christianorum caedibus inclaruerat.* Idem quoque Eusebius in I. de vita Constant. 7. de Alexandro M. ἐχώρει δὲ δι' αἱμάτων ἀνὴρ σκηπτοῦ δίκην. *Grassatus est autem per caedes instar fulminis.* Eodem lib. cap. 53. de Galerio Maximiano: πρῶτός τε τὴν ἑαυτοῦ ψυχὴν δικαίων καὶ θεοσεβῶν ἐνέφυρεν αἵμασι. *Ac primus justorum Deique cultorum caedibus animum suum*

contaminavit. Et III. de vita Conſt. 48. ubi de abolitione cultus idololatrici: ἀλλ' οὐδὲ βωμοὺς λύθροις αἱμάτων μιαινομένους. Duplex hebraiſmus; cum tam λύθρον quam αἷμα (quae ſunt fere ſynonyma) non reperiuntur numero multitudinis. Sed Euſebius prius illud plurali numero (1) alibi quoque in hiſce libris uſurpavit. Euſebius Or. de laud. Conſt. cap. 2. de Conſtantino ait: ὁ κατὰ τοὺς παλαιοὺς αἵμασι καὶ λύθροις τοὺς βασιλικοὺς οἴκους μιαίνων. *Non veterum more palatium* (victimarum) *ſanguine ac tabo commaculans*. Et cap. VII. de perſecutoribus Chriſtianorum ait: τοιαύταις ἔχαιρον ἀνθρωπίνων αἱμάτων σπονδαῖς. Extremo cap. 8. αἱμάτων ἐκχύσεις. Initio capitis 9. αἵμασι καὶ φόνοις. Cap. 16. τὰς δὲ δι' αἱμάτων καὶ λύθρων... θυσίας. Non ſegnis Euſebii imitator Sozomenus bis quoque αἱμάτων uſurpat II. 15. Ex his autem cum Euſebii, tum ex prope omnibus Scripturarum locis, quibus hebraice דמים, Graece vero αἵματα plurium numero reperitur, ferme videas *caedem* intelligi. Subiit ergo ea animum conjectura, num hîc etiam *naſci ex ſanguinibus* idem plane ſit, quod ex caedibus, ſive potius (ut ſaepe abſtracta pro concretis accipiuntur) ex viris ſanguinariis. Scitiſſimum ſane eſt, Judaeis id probro datum, quod, ut Matt. XXIII. 31. dicitur, filii eſſent τῶν φονευσάντων τοὺς προφήτας. Eadem ſententia ibidem XI. 33. γεννήματα ἐχιδνῶν Judaeos Chriſtus appellavit, & ante Chriſtum Praecurſor Matt. III. 7. Vide ergo num, uti dixi, *naſci ex ſanguinibus* tantundem ſit, quod ex viris ſanguinum, ſive ἐκ τῶν φονευσάντων τοὺς προφήτας, ſeu ἐκ τῶν προφητοφόντων (quo verbo apud veterem Chriſtianum Auctorem, cujus fragmentum recitat Euſeb. V. hiſt. Eccl. 16. Cataphrygae utebantur, alludentes ad Matt. XXIII. 34. utitur & Euſebius ipſe IV. de vita Conſt. 27. Judaeos προφητοφόντας appellans) ortum ducere. Quae porro ſequuntur, *neque ex voluntate carnis* &c. poſſunt in eandem trahi ſententiam. Θέλημα apud LXX pro *opere* ponitur. Pſ. CII. 7. τὰ θελήματα αὐτοῦ dicuntur, quae hebraice ſunt עלילותיו *alilotau*, *opera ejus*. Hinc cum de hominum θελήμασιν ſermo eſt, non tam prava ſtudia, quam opera nefaria decet intelligere. Vide Iſ. LVIII. 3. 13. & alibi. Hinc Jer. XXIII. 25. θελήματα dicuntur, quod hebraice eſt תרמית, *tharmith*, *dolus*. Ergo *voluntas carnis* opera carnalia ſignificat; hoc autem (quando uti diximus abſtracta pro concretis videtur poſuiſſe Johannes) homines ipſos facinoroſos notat. Durior, opinor, haec videbitur interpretatio: quocirca alio jam me convertam. Neque enim nego, quin interdum αἵματα in V. Foedere aliter, quam pro caede, accipiantur: ut *in ſanguinibus purificationis*: & illud *ſponſus ſanguinum*, & ſi qua ſunt ſimilia. Tamen, quantum obſervare potui, non aliter αἵματα, quam de ſanguinis fuſione reperitur, quocumque demum pacto fundatur ſanguis. Quocirca ad ſanguinem in circumciſione fuſum ſpectavit Sephora, ubi dixit: *Sponſus ſanguinum tu*

(1) Euſebio familiare eſt plurativum numerum pro ſingulari ponere, uti in hiſt. Eccl. de Galerio Maximiano, ſi probe memini, loquens, σώματα numero multitudinis uſurpavit. Alibi σπέρματα pro σπέρμα Or. de laud. Conſt. c. 4 πόθεν δὲ γλώττῃ σαρκὸς τὸ σαρκῶν ἀλλότριον καὶ σωμάτων ἀποφθέγγεσθαι; *Unde carnali linguae conceſſum, uti res a carnis & corporis contagione ſemotas ediſſerat?* Eodem cap. τίς σαρκῶν ἀπέδησε τὸ δικαιοσύνης ἰνδάλ-

μάτων; *quiſnam juſtitiae vultum carnis oculis aſpexit?* Sic etiam σπέρματα plurativo numero pro humano ſemine apud Conſtantinum imp. or. ad SS. coetum cap. 3. ὥσπερ ἀμέλει τὰ ἐκ σπερμάτων *ſicut quae ex ſemine procreantur*. Sic ad calcem or. de laud. Conſt. de hujus imp. memoria dicitur: ταῖς σαῖς βασιλικαῖς μνήμαις, οἷα θησαυροῖς ἐν ἀποῤῥήτοις, ἀποκειμένων. *In regalis memoriae tuae finu, ſit tanquam in arcano theſauro, recondita.*

Digitized by Google

tu mihi es · Vide ergo num hîc etiam (quod & jampridem aliis placuisse video) ad circumcisionem spectatur: ut ostendat hîc Johannes, praeter nota jam υἱόσεως genera (ex quibus unum illud erat, quo per circumcisionis sanguinem populo Dei adscribebantur) Christum perfectissimam hanc υἱωσιν invexisse, qua spiritu ex Deo nascimur. Omnia ergo nativitatum genera ubi notasset Johannes, ritualem unam, qua per circuncisionem foederati evadebant, sive ἀδελφότητα (qua voce foedus apud sacros juxta ac profanos Scriptores notari solet) Judaeorum ex uno Abrahamo descendentium consequebantur, unde & *Abrahae filii* audire magnopere gestiebant: carnalem alteram, qua ἐκ θελήματος σαρκὸς seu concupiscentia carnali homo nascitur; ac postremo legalem, qua quis per υἱοθεσίαν ex mera *voluntate viri* (quo loco ἀνδρὸς tantundem valet, quod Hebraice ב, cum distributive sumitur, ut ex *voluntate cujuslibet* possis interpretari) fit alterius filius: ubi inquam ea omnia nascendi genera notasset; nova nos ratione eaque spiritali regeneratos, ex Deo ipso natales trahere docet. Apte autem in iis recensendis nativitatibus a majore ad minorem pergitur; nam ritualis carnali potior habebatur (ut Rabbini docent) haec vero adoptione utique major. Postremo hujus loci sententia infra III. 3. 5. 6. enucleatius declaratur potissimum illis verbis: *quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est.*

AD JOH. I. 15.

Johannes testimonium perhibet de ipso, & clamat dicens: Hic erat, quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat.] In Graeco Johannis textu hypallagen temporum notant interpretes: Ἰωάννης μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ καὶ κέκραγε: *testatur de illo & clamavit.* Sed hypallagen nullam hîc esse mecum fateberis, modo particulam καὶ loco relativi ὃς positam agnoscas: id quod apud Hebraeos non est insolens, quorum consuetudo fert, ut *Vau* copulativum interdum vicariam potestatem habeat relativi pronominis. Nec alia de caussa nonnunquam idem istud *vau* est αἰτιατικὸν, quam quia ponitur loco τοῦ ב, quod saepe relativum, saepe etiam caussae inservit. Ergo si heic quoque pronomen relativum pro καὶ intelligas, plana erunt omnia, fientque illustriora in hunc modum: *Ac de illo quidem* (Vnigenito, de quo ℣. proximo) *testis est mihi Johannes, qui clamavit* &c.

Dicens: hic erat, quem dixi: qui post me venturus est, ante me factus est &c.] Infra ex ℣. 30. liquido constat, dixisse Baptistam ἐστὶ *est*, non vero ἦν *erat*. An ista saltem est hypallage? Ne heic quidem, quippe cum τὸ ἦν dicatur non tam ex persona Baptistae, quam sacri scriptoris, eaque de caussa cum κέκραγε conveniat. Solent historici ac poëtae in concionibus ab oratione obliqua ad directam sensim sine sensu gradum facere. Illud ἦν ad orationem obliquam pertinet tanquam ex persona scribentis; quae deinceps sequuntur, ad directam Baptistae orationem spectant.

Qui post me venturus est, ante me factus est, quia prior me erat] Ex omnibus interpretationibus illam maxime probo, quae haec omnia non de temporis, sed de dignitatis antecessione accipit. Qui post me venit, inquit, mihi praelatus est destinatione Divina, quippe me potior atque excellentior, sive ut alii Evangelistae habent, ἰσχυρότερος.

Quia prior me erat] Gr. ὅτι πρῶτός μου ἦν. Eadem locutio infra ℣. 30. Et sae-

Digitized by Google

pe alias his libris ſuperlativum pro comparativo, quod & Atticis familiare fuiſſe, legitur in commentariis ad Hermogenem pag. 24. Ἀττικοὶ ὑπερθετικοῖς ἀντὶ συγκριτικῶν κεχρῆσθαι.

AD JOH. I. 16.

Et de plenitudine ejus nos omnes accepimus &c.] Notarunt jam acutiores interpretes, Baptiſtae orationem non extra praecedentis commatis limites eſſe producendam; haec autem non ex Praecurſoris, ſed Evangeliſtae perſona dici. Haec adeo conjungenda puto cum μαρτυρεῖ ℣. praecedentis, ferme in hunc modum: Καὶ (τοῦτο δὲ μαρτυρεῖ περὶ αὐτοῦ, ὅτι) ἐκ τοῦ πληρώματος &c. h. e. *Quin & hoc etiam conteſtatur* (illum eſſe Vnigenitum plenum gratiae & veritatis) *quod de plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Ita multo illuſtrior ſacri textus connexio efficitur. Sequitur: *& gratiam pro gratia* Gr. καὶ χάριν ἀντὶ χάριτος. Iis accedo potiſſimum, qui ἀντὶ reſpondere heic putant Hebraico עַל *al, ſuper*, ἐπὶ, h. e. cumulatam gratiam, & aliam ſuper aliam; ſic enim melius reſpondet & ſcopo Evangeliſtae, & plenitudini, cujus modo injecta mentio, & quod ſupra ℣. 14. dicitur *plenum gratiae & veritatis*. Hoc enim maxime modo Vnigenitus plenum ſe gratiae prodit, non tam quod de ejus plenitudine hauſimus, quam quod cumulatiſſime hauſimus. Mire haec etiam quadrant tempori, quo Johannes ſcribebat, quo tempore vulgo fideles omnes χαρίσμασι, non obſcuris, ſed ſub ſenſum cadentibus, redundabant.

AD JOH. I. 17.

Gratia, & veritas per Jeſum Chriſtum, facta eſt] Tot ac tanta ſunt apud hunc Apoſtolum in omnibus ejus ſcriptis ejus veritatis praeconia, ut merito eum Euſebius *veritatis praeconem* appellarit Or. de laud. Conſtantini c. XII. Διὸ δὴ τῆς ἀληθείας ὁ κήρυξ, ᾧ δέ πη λέγων διαῤῥήδην κέκραγε. *Quo circa veritatis ille praeco in hunc ferme modum palam clamitat.* Johannem enim intelligi, ex eo liquet, quod initii Evangelii Johannis, quod paullo ante produxerat, παράφρασιν heic ſubtexuit.

AD JOH. I. 19.

Et hoc eſt teſtimonium Johannis, quando miſerunt Judaei ab Jeroſolymis Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent eum, Tu quis es? Et confeſſus eſt, & non negavit &c] Καὶ αὕτη ἡ μαρτυρία &c. Videbatur haec non dicenda fuiſſe μαρτυρία, (quae non de se ipſo, ſed de altero fertur) ſed ὁμολογία, quae tum in his libris, quam apud profanos ſcriptores adhibetur ad notandam de ſe ipſo expreſſam confeſſionem. Verum ſciendum τὸ μαρτυρία referri ad ℣. 26. & ſequentes, ubi illuſtre fertur de Chriſto teſtimonium: nam quae hinc ad uſque ℣. 26. ex occaſione dicuntur, ea omnia veluti παρένθετα interjiciuntur, eademque non male quis parentheſi a reliquis ſejungeret in hunc modum: *Et hoc eſt teſtimonium (quando . . . .) medius autem veſtrum ſtetit* &c. Ita nempe ὁμολογία, parentheſi tanquam ſuis definita cancellis, facile a μαρτυρία (quam occaſione ὁμολογίας Baptiſta tulerat) diſtinguetur.

AD JOH. I. 25.

Quid ergo baptizas, ſi non es Chriſtus, neque Elias, neque Propheta?] Non video cur magis tingere, quam conventus agere & concionari in eo, qui propheta non eſſet, Phariſaei culparint. An quod Prophetarum aliqui baptizare conſueverint, hinc iſto modo Johannem compellant? *Quid ergo baptizas*, inquiunt,

Digitized by Google

quiunt, *ſi non es Chriſtus, neque Elias, neque propheta?* Ergo & Chriſtus ex Judaeorum opinione baptizaturus erat (quod & ex Matth. III. 14. colligo: *Ego*, inquit Joh., *opus habeo a te baptizari*; & poterant id Judaei diſcere ex Ezech. XXXVI. 25. *Effundam ſuper vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis veſtris*, & ex Zachariae XIII. 1.) & Elias ſecundo adventu merſaturus erat in poenitentiam; & ſive paſſim prophetae omnes, ſive eorum ſaltem aliquis poenitentiae baptiſmum adminiſtravit. Nam parum me movet, quod Graece articulus additur ὁ προφήτης· non enim eo articulo deſignari Meſſiam ex ὁ Χριστός, quod praeceſſit, apparet. Certe quoties de Johannis baptiſmate loquitur Evangelium, non quaſi de re nova & inuſitata, ſed quaſi de uſurpato alias a prophetis ritu ſic loquitur. Neque enim penſi habent Evangeliſtae, quid ſibi vellet nova haec Johannis merſatio, exponere. Ac prorſus ſine ulla προπαρασκευῇ de *baptiſmo poenitentiae* a Johanne adhibito fit mentio, quaſi alioqui notum eſſet, quid hoc demum eſſet *baptiſmus poenitentiae*. Sed & hoc ipſo loco, quem prae manibus habemus, quin hoc potius a Praecurſore quaeritur, quid ſibi vellet baptiſmus iſte poenitentiae, quam ut, qua auctoritate tingat, interrogent? Annon id argumento eſt, non inauditum apud Judaeos fuiſſe *poenitentiae baptiſmum*, a prophetis uſurpari forſitan conſuetum, quoties populum ad poenitentiam excitare neceſſe ducerent. Iſaiae cap. I. dicitur: *Lavamini, mundi eſtote* &c. Verum ea de re amplius conſiderandum.

AD JO. I. 29.

Ecce Agnus Dei] Ex hoc loco & ex Apocalypſi aliiſque N. T. locis intelligitur, inter varia Meſſiae nomina unum fuiſſe Agnum. Ni ita ſit, quo pacto Johannes nulla προπαρασκευῇ adhibita *Agnum* appellat, ut Meſſiae notionem ingerat? Hoc autem inditum Meſſiae nomen fuit ex eo, quod inter Meſſiae typos praecipuum fuiſſe paſchalem agnum, tum & agnos jugis ſacrificii, non docti tantum, ſed & οἱ πολλοὶ traditione & inſtitutione domeſtica intelligerent.

AD JOH. I. 35.

Iterum ſtabat Johannes, & ex diſcipulis ejus duo] *Stare* his libris ſaepe verbum eſt διακονικὸν miniſteriale, ut heic. Quod duos autem diſcipulos adfuiſſe dicit, non ſolos intellige (nam confluentes turbae non deerant) ſed duos nominatim, quorum tantum meminiſſe Scriptoris intererat.

AD JOH. I. 37.

Et audierunt eum diſcipuli loquentem, & ſecuti ſunt Jeſum] Elogium illud *Ecce agnus Dei* pluribus enarravit Johannes (id ſibi vult heic τὸ λαλοῦντος) quibus auditis συνωρὶς iſta diſcipulorum Chriſto haeſit.

AD JOH. I. 38.

Rabbi (quod dicitur interpretatum Magiſter) ubi habitas?] De appellatione *Rabbi* jam tum apud Judaeos uſitata, dixi ad Matt. XXIII. 8. & Luc. XVII. 13. Hujus autem tituli Graecis, in quorum gratiam ſcribebat Johannes, ignoti interpretationem inſerit Graecis non inauditam. Nam ex iis quae ad dicta Matthaei & Lucae loca notavimus, cognoſcitur Judaeos graeciſſantes uſurpaſſe διδασκάλου appellationem ſic, uti Judaei ſuum illud *Rabbi*. Hujuſmodi interpretamenta paſſim aſſuit Evangelio ſuo Johannes (vel infra ℣. 41. & 42.) quod Graecis res Judaicas exponeret. Vbicunque ſe dabit occaſio, notabimus quaecunque praeter morem aliorum Evangeliſtarum Johannes ſuis commentariis inſperſe-

ſperſerit, convenientia loco & tempori, quo ad ſcribendum appulit animum.

Ubi habitas?] Dixiſſet Hegeſippus τίς ἡ θύρα σου; Is enim in hiſtoria paſſionis S. Jacobi apud Euſebium II. 23. Scribas & Phariſaeos ſic percontantes facit: Δίκαιε . . . ἐπεὶ ὁ λαὸς πλανᾶται ὀπίσω Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος, ἀπάγγειλον ἡμῖν τίς ἡ θύρα τοῦ Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος. *O juſte . . . quandoquidem populus omnis errat, Jeſum ſectans crucifixum: doce nos, quod ſit oſtium Jeſu ſuffixi cruci.* Valeſio arcanas neſcio quas iſtorum verborum ſignificationes rimanti, minime aſſentior; eſt enim hebraiſmus merus (quo genere locutionum mire ſcatet Hegeſippus, ut mihi videatur ex Judaeo Chriſtianus evaſiſſe) nec aliud ſibi volunt, quam illud ἑλληνικώτερον noſtri Evangeliſtae πῦ μένεις. *Vbi nunc*, (quaerebant ex S. Apoſtolo Scribae & Phariſaei) *Jeſus ille, quem olim cruci ſuffixum ſcimus, divertitur?* Niſi ea eſſet vis interrogationis illius, inepte reſpondiſſet apud eundem Hegeſippum S. Jacobus, Jeſum in praeſentia quidem in Caelo ſedere, ſed affore tempus, quo nubibus invectus ſit rediturus.

AD JOH. I. 41.

Invenit hic primum fratrem ſuum Simonem, & dicit ei: invenimus Meſſiam &c.] Invenire εὑρίσκειν tum hic, tum infra ℣. 44. & 46. non ſtudium reperiendi notat, ſed caſu alicui occurrere. Quae notio (ignota Graeco verbo εὑρίσκω, ignota Latino *invenio*, fluit ab Hebraeo מצא *matſa*, quod tum invenire, tum nanciſci, occurrere, deprehendere ſignificat, atque inde εὑρίσκω apud LXX & Judaeos Helleniſtas eas ſignificationes habet. Eſt autem ubi pro Hebraeo *matſa* Graeci interpretes συναντάω poſuerunt, ut Prov. XVII. 21. ὁ σκληροκάρδιος ἐ συναντᾷ ἀγαθοῖς. Alibi ſaepius pro eodem Hebraeo verbo καταλαμβάνω uſurparunt.

AD JOH. I. 48.

Priuſquam te Philippus vocaret, cum eſſes ſub ficu, vidi te] *Eſſe ſub ficu* aut *ſub vite*, videtur παροιμιώδες Hebraeis fuiſſe pro eo poſitum, quod eſt *domi ſuae* vel *apud ſe*. 3. Reg. IV. 25. *Habitabatque Juda & Iſrael abſque timore ullo, unuſquiſque ſub vite ſua & ſub ficu ſua.* Vide in eamdem ſententiam Mich. IV. 4. & Zach. III. 10. Imo ad ultimum hunc Zachariae locum videtur hic facta alluſio: Zacharias enim Meſſiae temporibus futurum vaticinatur, ut vocet unuſquiſque *amicum ſuum ſubter vitem & ſubter ficum*. Hic autem Servator ait: Πρὸ τοῦ σε Φίλιππον φωνῆσαι, ὄντα ὑπὸ τὴν συκῆν, εἶδόν σε. Quae ſunt ἀμφιβολογούμενα: ſed, ut ad Zachariae vaticinium impletum apertior ſit alluſio, poteſt Nathanaeli vocandi actio tribui in hunc modum: *Priuſquam tu Philippum vocares* (nempe ſubter ficum tuam) *cum eſſes ſub ficu vidi te.*

Cum eſſes ſub ficu vidi te] Ecce impletum Michaeae vaticinium, gentium converſionem praedicentis, ſimulque pacem orbis terrarum cum ſumma ſecuritate (quae deſignatur locutionibus illis *ſedere ſub ficu ſua* &c.) conjunctam. *Et non diſcent ultra belligerare. Et ſedebit vir ſubtus vitem ſuam, & ſubtus ficum ſuam, & non erit qui deterreat.* Simul haec quoque videtur mens Servatori fuiſſe dicenti, *Cum eſſes ſub ficu*, nempe ut Nathanaëlem Scripturarum peritum moneret jam, tempus illud a Michaea praeſignatum veniſſe.

AD JOH. I. 51.

Et dicit ei: Amen amen dico vobis] Ad unum dirigitur oratio, ſed plurativo numero; & appoſite: ſic enim & profani ſcriptores conſuevere, ſiquando quod

Digitized by Google

quod uni dicitur, ad plures pertineret. Tale illud Virgilianum:

Vos, o Calliope, vati aſpirate canenti.

Dum enim Calliopen alloquitur, omnes interim Muſas invocat, ut ſcribenti adſint. Talis & apud Homerum Il. 1. 216. Achillis oratio, qua Palladem alloquitur:

Χρὴ μὲν σφωΐτερόν γε, Θεὰ, ἔπος εἰρύσασθαι.
Ὅς κε θεοῖς ἐπιπείθηται, μάλα τ' ἔκλυον αὐτῷ.
Veſtris, Diva, tamen juſſis parere neceſſe eſt.
Qui Dîs obſequitur, Divis ille utitur aequis.

Dum Palladem compellat, ſimul numero illo plurativo & Junonem complectitur, a qua ſe miſſam Minerva admonuerat. Ajax Telamonius Il. H. 284. Idaeum ſic compellat:

Ἰδαῖ', Ἔκτορα ταῦτα κελεύετε μυθήσασθαι.

Il. XXIII. 86. ad unum Achillem dirigit orationem Patroclus in hunc modum.

Ἤγαγεν ὑμέτερονδ' ἀνδροκτασίης ὑπὸ λυγρῆς.
Abſtulit in veſtros pollutum caede penates.

Hoc ideo, quia domus illa parentibus filiiſque communis erat, non unius Achillis. Aeneidos XI. 686. Camilla Tyrrhenum alloquitur.

Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putaſti?
Advenit qui VESTRA dies muliebribus armis
Verba redargueret.

AD JOH. II. 1.

Nuptiae factae ſunt in Cana &c.] Γάμος, uti notum eſt, heic & alibi paſſim epulas nuptiales notat. Sic etiam τάφος apud Homerum Il. ψ. 28.

Κὰδδ' ἵζον παρὰ νηὶ ποδώκεος Αἰακίδαο
Μύριοι, αὐτὰρ ὁ τοῖσι τάφον μενοεικέα δαῖνυ.
Tum vero ad navim celeris ſedere frequentes
Aeacidae, quibus ille epulum ferale ſtruebat.

Et eodem lib. ψ. 680. τάφος ſunt funebres ludi.

Et erat Mater Jeſu ibi] Αὐτόματος fortaſſe aderat, i. e. non vocata. Certe apud Graecos qui ſanguine juncti erant, ſua ſponte ſe ingerebant, uti teſtatur Euſtathius ad illud Il. B. 408.

Αὐτόματος δέ οἱ ἦλθε βοὴν ἀγαθὸς Μενέλαος.
Adfuit & bellax Menelaus ſponte ſuapte.

Nec vitio vertebatur, ſi vir bonus ad viri boni convivium non vocatus accederet; ut docet illud, quod e Platonis ſympoſio affertur:

Αὐτόματοι δ' ἀγαθοὶ ἀγαθῶν ἐπὶ δαῖτας ἴασιν.
Sponte ſuapte boni repetunt convivia frugi.

Itemque illud quod Euſtathius affert ad Il. B.

Ἄκλητοι κωμάζουσιν ἐς φίλους φίλοι.

AD JOH. II. 2.

Vocatus eſt autem & Jeſus & diſcipuli ejus ad nuptias] Poteſt ἐκλήθη ad Jeſum unum referri, ſi placet; ita ut diſcipuli, ut ejus aſſeclae venerint, quos Graeci σκιὰς, Latini *umbras* appellabant. Plutarchus VII. Sympos. 6. σκιὰς καλοῦσιν οὐ κεκλημένους αὐτούς, ἀλλ' ὑπὸ τῶν κεκλημένων ἀγομένους. Hor. lib. II. Sat. 8.

--*Quos*

Digitized by Google

- - Quos Mecaenas adduxerat umbras.

Et I. epiſt. 5.

. . . Locus eſt & pluribus umbris.

Nullis haec appellatio magis, quam Chriſti diſcipulis conveniebat, magiſtrum ſuum, ut umbra corpus, perpetuo comitantibus.

AD JOH. II. 3.

Et deficiente vino, dicit Mater Jeſu ad eum: Vinum non habent] Non intemperantiae vitio, quae ab illo convivio, cui Dominus accumbebat, aberat, vinum defecerat, ſed quod parcius fuiſſet, quam pro convivarum turba. Porro autem quid tam parum providus ſponſus iſte fuit, ut non ſatis vini pro accumbentium numero compararit? Mihi veriſimile fit, Jeſum quidem cognationis jure ad nuptias vocatum fuiſſe, diſcipulos autem, ſive ſtudio ſectandi magiſtri, ſive Chriſti invitatu, improviſos adfuiſſe; idque in cauſſa fuiſſe, cur & vinum deficeret; & majore fiducia mater miraculum expetierit. Itaque illud ℣. 2. *& diſcipuli ejus* παρέτθετον eſt, ac perinde accipiendum, quaſi ſi ſcripſiſſet: *Vocatus eſt autem & Jeſus (quem ſecuti ſunt diſcipuli ejus) ad nuptias.*

AD JOH. II. 4.

Quid mihi & tibi eſt mulier? Nondum venit hora mea] Non aſſentior viris doctiſſimis, qui *horam* heic *tempeſtivum tempus* hujus patrandi miraculi interpretantur; quod tum demum adveniſſe putant, cum omnino vinum defeciſſet, ejuſque defectum ſenſiſſent univerſi; alioqui timendum fuiſſe, ne aqua vino admixta crederetur. Interpretationis falſitas & ex ὑστερήσαντος, & ex οἶνον οὐκ ἔχουσι luculenter patet. Ad haec autem non negat Chriſtus *veniſſe*, ſed omnino *venire* (ὥρα οὔπω ἥκει) horam, quod inſtans potiſſimum ſeu paullo poſt futurum tempus complectitur in ſimilibus aliis locutionibus, ut *ſcio quia Meſſias* [venit, ἔρχεται &c. Itaque rebus penſatis omnibus haec verba eo maxime ſpectant, ut comiter matrem admonuerit Chriſtus, ne poſthac miracula a ſe exigat ante tempus publici miniſterii. Ceterum ut inſtanti penuriae obviam iretur, veriſimile eſt, innuiſſe Chriſtum (neque enim dicta ſingula Evangeliſtae conſcripſerunt) optimum factu fore, ſi clam convivis miraculum tranſigatur. Ab ea eſt cauſſa primum, quod Maria non deſponderit animum, deſponſura utique ſi verba Filii ad negationem ſigni pertinerent; deinde quod miniſtris non propalam, ſed in aurem ut opinor, inſuſurravit, ut Jesu dicto audientes eſſent. Deinde quae ſequuntur: *Implete hydrias aqua*, & illud *Haurite nunc & ferte architriclino* & ſecreto dicta & ſecreto patrata fuere: neque enim hydrias in purificationis uſum paratas in eodem conclavi fuiſſe, ubi epulabantur, credibile eſt. Ad ſummam clam omnibus iſta omnia, etiam primam Mariae petitionem, dicta ac facta fuiſſe, docet illa parentheſis infra ℣. 9. *Et non ſciebat* (architriclinus) *unde eſſet, miniſtri autem ſciebant, qui hauſerant aquam.*

AD JOH. II. 6.

Secundum purificationem Judaeorum] כ ſervile pro ſervili ל, Κατὰ pro εἰς. Etiam Latine *ſecundum* pro *propter*. Cyprianus epiſt. 7. quae eſt ad clerum de prec. Deo. *Preſſurae iſtius tam turbidam vaſtitatem . . . ſecundum peccata noſtra veniſſe.*

Judaeorum] Hoc additum, quia & ethnici, (ex quibus ii Chriſtiani orti, quibus ſcribebat Johannes) ſuos ἁγισμοὺς, ſuas luſtrationes uſurpabant.

Vetu-

Digitized by Google

Vetuſtiſſimo cuique Graecorum καθαρμῶν ſcriptio tribuitur. Muſaeus & Orpheus ſcripſiſſe παραλύσεις, ſive καταλύσεις, & τελετὰς & καθαρμὺς (h. e. rationes quibus homines ac civitates religione, criminibuſque quibus ſe obſtrinxiſſent, abſolverentur) Platoni in II. de rep. & Scholiaſti Ariſtophanis dicuntur. Empedoclis καθαρμῶν initium ſervavit Laërtius VIII. 54. De luſtrationibus Pythagoricis conſule Salmaſium ſub finem praefat. in Cebetis verſionem Arabicam. Celebres ſunt Epimenidis Cretenſis καθαρμοὶ δι' ἐπῶν (*carmina piacularia*) quos Euſtathius ad Dionyſ. & ad Il. B. laudat; qui Epimenides Athenas a ſcelere Cylonio circa Olymp. 44. expiaſſe Platoni primo, & Cic. II. de legibus dicitur, & alias praeterea civitates, teſte Pauſania in Atticis; unde & καθαρτῆ nomen invenit apud Porphyr. in vita Pythag. & Jamblichum cap. 28.

AD JOH. II. 6.

Capientes ſingulae metretas binas vel tres] Quia non ejuſdem capacitatis omnes fuere, definite non potuit dicere, ſed *binas vel tres* h. e. nulla ex iis plus tribus capiebat, nulla item minus quam metretas duas. Metreta amphorae Atticae nomen fuit. Atticam vero amphoram Romana haud paullo majorem fuiſſe ajunt. Metretam 120 vini libras cepiſſe putat Capellus, quot nimirum libras Neapolitanas *barrile* Neapolitanus capit. Strabo lib. IL pag. 73. & XI. pag. 508. refert in Hyrcania, cujus feracitatem mirifice commendat, τὴν ἄμπελον μετρητὴν οἴνου φέρειν h. e. *vites ſingulas metretam vini ferre.*

AD JOH. II. 10.

Omnis homo primum bonum vinum ponit] Πᾶς ἄνθρωπος pro πάντες, eſt ex Helleniſtica dialecto. Cujuſmodi eſt illud apud Grut. LXXI. 1. bis repetitum ΑΦΗΠΙCΜΕΝω ΥΠΟ ΠΑΝΤΟC ΑΝΘΡωΠΟΥ i. e. ὑπὸ πάντων, *de quo* (aegroto) *omnes ſpem abjecerant*; quam inſcriptionem ab aliquo Judaeo Helleniſta elaboratam alibi notavimus. *Ponit* pro *apponit*, eſt ex optimae latinitatis aevo; quod Horatius in ſermonibus ſaepiſſime, aliique utuntur. Sic & τίθημι Graecis, ut apud Homerum non ſemel, τίθεντο δὲ δόρπον.

AD JOH. II. 12.

Ipſe & mater ejus, & fratres ejus, & diſcipuli ejus] Quod pronomen αὐτῆ ſingulis nominibus appenditur ex Hebraeo aut Syriaco ſermone manat, cui Johannes inſueverat: orientales enim ſic conſuevere. Hîc hebraice diceretur ואמו ואחיו ותלמידיו. Non enim uni tantum, ſed univerſae ſeriei vocabulorum ſuffiguntur a fine pronomina.

AD JOH. II. 15.

Et nummulariorum effudit aes, & menſas evertit] ὕστερον πρότερον. Nam ex ſola menſarum everſione, aeris effuſio conſecuta fuit; etiam ſi aes illud arcis includeretur, quod nonnulli volunt.

AD JOH. II. 16.

Nec facite domum Patris mei, domum negotiationis] Hebraiſmus, quo domus pro quovis loco accipitur, ut *domus carceris*, *domus judicii*, & ſexcenta in eundem modum, praeſertim in urbium nominibus, uti *Beth-abarah*, *domus trajectus*; *Beth-lehem*, *domus panis* &c.

AD JOH. II. 18.

Reſponderunt ergo Judaei & dixerunt ei] Gr. Ἀποκρίνεσθαι *reſpondere* de eo qui auſpicatur ſermonem, hebraiſmus eſt his libris frequentiſſimus, ex ענה *anab*

Digitized by Google

anab, quod & ἀπαμείβεσθαι & ἐξάρχειν τοῦ μύθου significat. Christiani qui sacris paginis tritas aures haberent, eundem hebraismum usurparunt. In Actis SS. Perp. & Fel. c. 16. *Cum a tribuno castigatius eo tractarentur, quia &c. in faciem respondit Perpetua, & dixit* &c.

AD JOH. II. 23. 24.

Multi crediderunt in nomine ejus . . . Ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis] Figura πλοκὴ (quam alii ἀνταπόκλασιν vocant) de qua vide dicta ad Matt. VIII. 22.

AD JOH. II. 24.

Ipse autem Jesus non credebat semet ipsum eis] Hunc textum catechumenis aptavit Augustinus, non primus. Nam ante ducentos annos Pontius diaconus in vita Cypriani cap. 2. sic quasi de trita interpretatione delibavit ista quae sequuntur. *Quale adhuc rudis fidei homo* (de Cypriano loquitur, qui adhuc catechumenus bona sua pauperibus erogavit) *& CUI NONDUM forsitan CREDERETUR, supergressus vetustatis aetatem, gloriosis & admirandis operibus perpetravit ?* .

Multi crediderunt in nomine ejus . . . ipse autem Jesus non credebat semetipsum eis.] Similis est lusus in ambiguitate verbi *credo* apud Cic. VI. ad Att. 2. ubi de Dionysio grammatico quodam narrat, eum non minus Dicaearcho scriptori antiquo credere, quam Vestorio Cluvioque argentariis pecunia creditur. *Deinde* (ait) *quod tum de isto Dicaearcho non minus bene existimabat, quam tu de C. Vestorio, ego de M. Cluvio; non dubitabat, quin ei crederemus.* Similis quoque est Trebellii Pollionis locutio de Ballista, quem ait imperium arripuisse, *quod nec Gallieno, nec Aureolo, nec Odenato se crederet.*

AD JOH. III. 1.

Erat autem homo ex Pharisaeis, Nicodemus nomine, princeps Judaeorum] Gr. Ἦν δὲ ἄνθρωπος ἐκ τῶν Φαρισαίων, Νικόδημος ὄνομα αὐτῷ, ἄρχων τῶν Ἰουδαίων. Duplex hebraismus. Prior quod ἄνθρωπος pro εἷς aut pro τὶς ponitur, nam & Hebraei אִישׁ *isch* ea notione usurpant. Alter in iis verbis Νικόδημος ὄνομα αὐτῷ, pro ᾧ ὄνομα Νικόδημος: nam sic hebraice quidem dicendum fuerat נִקְדִּימֹן שְׁמוֹ *Nakdimon scemo, Nicodemus nomen ejus*. Joh. I. 6. idem hebraismus occurrit.

Nicodemus] Nomen Graecis non inauditum. Athenaeo XIII. 8. Nicodemi mentio fit, in quem Demosthenes est debacchatus. Sed & Lysiae oratio πρὸς Νικόδημον Harpocrationi memoratur.

AD JOH. III. 2. 3.

Rabbi, scimus quia a Deo venisti magister; nemo enim potest haec signa facere, nisi fuerit Deus cum eo. Respondit Jesus & dixit ei . . . Nisi quis renatus fuerit denuo, non potest videre regnum Dei] Non aliter responsionem interrogationi cohaerere putant, quam si vel ad Nicodemi cogitata responderit Christus, vel ad id, quod post illud προοίμιον idem Nicodemus quaesisse putatur, a Johanne omissum, quaenam esset regni istius adipiscendi ratio. Prius illud mihi propius fidem videtur; nam solebat Christus ad cogitata respondere, quo se καρδιογνώστην probabat; & hominum perspicacissimi solent dicturienti ultro occurrere, & quid porro dicturus sit, occupare responsis: nam posterius alterum non-

nonnullam Evangeliſtae negligentiam arguit. Verum quid illud ſit, quod Nicodemus ſive quaeſierit, ſive ſcitari voluerit, non ſatis vidiſſe videntur viri doctiſſimi. Non illud quaerebat, quaenam eſſet regni caeleſtis adipiſcendi ratio, ſed iſtud potius, quandoquidem ipſe Meſſias eſſet, ecquando *reſtitueret regnum Israël*, quod ante Aſcenſionem ſcitati ſunt Apoſtoli Act. I. 6. quo etiam ſpectavit Mater filiorum Zebedaei Mat. XX. 20. ut ſexcenta alia Evangelii loca praeteream. In hoc certe aqua haerebat ſectatoribus Chriſti, qui a Prophetis edocti de regno Meſſiae, nihil tale conſpicabantur, quod indicia regni daret. Huic autem poſtulato appoſite reponitur: *Niſi quis &c. non poteſt VIDERE regnum Dei*: h. e. ſpiritaliter renaſci opus eſſe, ut quis Meſſiae regnum adveniſſe animadverteret, neque enim regnum illud carneis oculis, ſed ſpiritu pervideri. Nimirum non animadverterunt viri docti, quorſum illud ἰδεῖν *videre* ſpectaret; atque inde factum, ut *videre* pro *adipiſci*, *introire*, uſurpatum crediderint.

Niſi quis renatus fuerit denuo] Graecum ἄνωθεν (*) rectiſſime *denuo* vertitur. cum tamen vulgo *deſuper* ſignificet. Vnde haec orta ſignificatio tum heic, tum ad Gal. IV. 9. operae fuerit inquirere. Ἄνωθεν interdum idem eſſe quod ἐξ ἀρχῆς, vel pueri ſciunt (eaque eſt propria notio ad Gal. IV. 9. πάλιν ἄνωθεν *rurſus a principio* & Luc. I. 3.): ſicut ergo ἐξ ἀρχῆς non numquam pro *denuo* uſurpatur, ſic & ἄνωθεν eodem ſignificatu. Quid ſi ἐλλειπτικῶς Johannes ἄνωθεν dixerit pro πάλιν ἄνωθεν, quae ad Gal. IV. 9. plena eſt locutio? Verum quae mora eſt, quin penitiora proferam? Chriſtum Syriace loquentem adverbio תוב *thub*, *denuo*, uſum heic fuiſſe arbitror, quo adverbio Hieroſolymitani (ut ex Thargum Hieroſ. conſtat) utebantur. Id vero eſt ab Hebraico שׁוּב *ſciub* (ש in ת converſo, ut Syri & Chaldaei ſolent) quod & *reverti* & *iterato facere* Hebraeis ſignificat, ut לֹא אָשׁוּב לַעֲשׂוֹת *lo aſciub laaſoth*, *non revertar ad faciendum* h. e. *non iterum faciam* &c. Ne quid autem ex ea voce deperiret, iſtud ἄνωθεν Johannes ſelegit ex omnibus, ut non tantum notionem, ſed & vim originis τῦ *thub* exprimeret. Hoc enim ſicut origine ſua *retro* ſignificans, inde

(*) Revera particulae quae *retro*, quaeque *rurſum* ſignificant, alternant: ut ἄψ utrumque apud Homerum notat, & quod magis mirabere, πάλιν pro *retro* reperitur apud eundem Il. Γ. 427. de Helena

Οὔψε πάλιν κλίναντα
Retro oculos averſa.

Il. 4. 214.

Τῦδ' ἐξιλαομένοιο πάλιν ἄγεν ὀξέες ὄγκοι.
Retro curvatis hamis extracta ſagitta eſt.

Et alibi ſaepiſſime apud poëtarum principem: ſed notandus prae ceteris locus Il. XIII. 3. ubi de Jove:

αὐτὸς δὲ πάλιν τρίτον ὄσσε φαεινὼ
Νόσφιν ἰφ' ἱπποπόλων Θρηκῶν καθορώμενος αἶαν,
Μυσῶν τ' ἀγχιμάχων . . .

Ex quo loco probare annititur Strabo lib. VII. p. 295. Myſos intelligi non Aſiaticos, ſed alteros Thracibus finitimos; nam ſi de Aſiaticis ageretur, non πάλιν τρίτον ὄσσε dixiſſet poeta; cum πάλιν Straboni εἰς τὸπίσω ſignificet, quod de Myſis Thraciae vicinis, non item de Aſiaticis, dici poteſt, reſpectu Trojanorum, a quibus oculos tunc Jupiter retro avertebat. Sed & locus Euripidis notandus.

Φέρυσι ταῦτα θεοὶ πάλιν τι καὶ πρόσω,

Quod male Eraſmus, cui ſubſcribit H. St. *rurſum deorſum* interpretatur, ſed eſt *rurſum prorſum*, quo utitur Ennius: *Rurſus prorſus reciprocat fluctus*: itemque Ter. Hec. III. 1. *Curſari rurſum prorſum*. Vbi Donatus: *Rurſum proprie retro* (quaſi retrorſum) *prorſum ante ſignificat*: & *eſt proverbiale*.

Sed & ὀπίσω *retro* ſaepe pro *rurſus* accipitur. Il. Δ. 37.

- - - Μὴ τῦτό γε τεῖχος ὀπίσσω - - - γένηται
- - - *Ne qua iterum diſcordia gliſcat.*

Ibid. v. 270. - - Τοῖσιν δ' ἂν θάνατος καὶ κῆδε' ὀπίσσω
Ἔσσεται.
Quos iterum mors dura nigris circumvolat alis.

Digitized by Google

ad πάλιν significandum trahitur; similiter ἄνωθεν cum persaepe *retro* valeat, (ut οἱ ἄνωθεν ἄρχοντες. Demost. Phil. 3. ἐν τοῖς ἄνωθεν χρόνοις &c.) hinc & ad τὸ πάλιν notionem ducitur. Nam profecto in omnibus ferme linguis *rursus* & *retro* sunt cognatae significationis. Sic αὖθις *rursus* Il. VIII. 271. pro *retro* usurpatur: αὐτὰρ ὁ αὖθις ἰὼν, & alibi saepissime: sic & πάλιν Il. VIII. 432. pro *retro*: πάλιν τρέχε μώνυχας ἵππους. Strabo lib. VI. p. 274. ἀναῤῥιφῆναι πάλιν: *retro rejici*. Sic contra ἄνωθεν (quod *retro* significat) heic pro *iterum* usurpatur. Istud ergo γεννηθῆναι ἄνωθεν verti αὐτολεξεὶ potuit *retro gigni*. Hebraice id dictum fuisset: *Nisi quis (jasciub lejullad) reversus fuerit ad nascendum*. Itali utrumque dicimus, *se non tornerà a nascere*, &, *se non nascerà addietro*.

Sciendum autem ex eo fort. Johannis loco factum, ut Christiani scriptores non raro ἄνωθεν pro *rursus* usurpasse; ut Can. XLVII. Apost. ἐὰν ἄνωθεν βαπτίσῃ: h. e. interprete Zonara ἐξ ἀρχῆς. Alia plura Chrysostomi loca notavit Suicerus in Thesauro. Adde Socratem II. hist. Eccl. 1. διὸ ἠναγκάσθημεν τὸ πρῶτον καὶ τὸ δεύτερον βιβλίον ἄνωθεν ὑπαγορεῦσαι. *Quam ob caussam necesse nobis fuit, primum ac secundum hujus operis librum ex integro dictare.*

AD JOH. III. 3.

Nisi quis renatus fuerit &c.] A Christianis ethnici postremae aetatis hoc acceperunt, ut taurobolio criobolioque percepto in aeternum se renasci arbitrarentur. Apud Grut. XVIII. 2. SEXTILIVS · AGESILAVS . . . TAVROBOLIO · CRIOBOLIOQVE · IN · AETERNVM · (*) RENATVS · ARAM · SACRAVIT · DD · NN · VALENTE · V · ET · VALENTINIANO · IVN · AVGG · CONSS. Multa alia ex baptismo Christi in taurobolii sacra ethnici transtulere, quae alii notarunt. Sed & vocabula quoque utrique communia, ut SYMBOLA TAVROBOLI apud Fleetwood pag. 15. num. 1. ut symbola baptismatis sunt quae aliter elementa, & a Scholasticis materia appellatur. Sic TAVROBOLIO CRIOBOLIOQ · PERCEPTO, ut *percipere* baptismum dicimus. Sic & Spartianus de Hadriano cap. 13. *Et Eleusinia sacra . . susceptit*; ut nos *suscipere baptismum* dicimus, & alia in eum modum (**).

Sane apud Christianos mystici silentii caussa absolute PERCEPIT diceb-tur, quod potest intelligi ex inscriptione syntagmatis Gudiani pag. 319. 18. quam in Christianorum monum. classem reijciendam puto. Ea sic habet:

EVFRONIA · L
FILIA · ET · N
NAVFRAGIO
ENECTA · NAT
PRI · KAL · NO
PERCEPIT
III · ID · APRIL
DECESSIT
PRI · KAL · MA

I. e.

(*) IN AETERNVM h. e. in longum tempus; nam certe post XX. annos taurobolii baptismus iterabatur, uti constat ex inscriptionibus, Prudentio, & antiquo poëmate apud Salmasium. Ergo ut sacra haec ex oriente allata fuere, sic & phrasis IN AETERNVM tota orientalis est. Vtitur tamen Spartianus Severo cap. 22 *Non solum victor, sed etiam IN AETERNVM pace fundata* &c.

(**) Ambrosius epist. ad Sabinum: *si quando Isi-*

Digitized by Google

I. e. *Nata prid. Kal. Nov. percepit* (baptiſmum) *III. id. April. deceſſit prid. Kal. Majas*. Hanc autem inſcriptionem ita eſſe intelligendam, patet ex recentiore V. ſaeculi titulo apud Fabrettum pag. 577. num. LXX. ubi PASCASIVS PERCEPIT (ſupple *Baptiſmum*) XI. KAL. MAIAS. ET ALBAS SVAS OCTABAS PASCAE AD SEPVLCRVM DEPOSVIT &c. Hinc etiam baptiſmus dicebatur *Acceptio:* de quo toto vide quae notavimus ad inſcriptionem Coemeterii Praetextati ad illud FIDE CONSTITVTVS.

AD JOH. III. 4. ſeq.

Dicit ad eum Nicodemus: quomodo poteſt homo naſci, cum ſit ſenex? . . Reſpondit Jeſus . . . Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei] Dictum de παλιγγενεσίας neceſſitate fuerat: ſequitur altera de ratione iſtius ſecundae geniturae interrogatio, Chriſtique reſponſio. Duplici ἀναγεννήσει opus eſſe ait, una per aquam, altera per Spiritum Sanctum h. e. per baptiſmum una, per Confirmationem ſeu manuum impoſitionem altera. Qui per aquam regeniti fuere, coperunt illi quidem ad Meſſiae regnum pertinere: verum quia nondum perfecti ſatis ac πνευματισθέντες, nondum perfecte regnum Meſſiae animo contemplantur, necdum in illud plane introierunt. At Spiritus plenitudine accepta, tum demum de regno Chriſti judicare incipiunt. Documento ſunt Apoſtoli, qui quamvis jam tincti lavacro, ac certiores multorum myſteriorum facti per dies 40. quibus apparuit eis Chriſtus *loquens de regno Dei*, adhuc tamen inſtante aſſumptione Chriſti, regnum illud ἀποκατάστασιν, h. e. reſtitutionem regni Iſrael Act. I. 6. interpretantur. At ſtatim ac Spiritu Sancto baptizati fuere, de regno iſto longe aliter & judicarunt, & locuti fuere, ita ut plane in illud introiiſſe viderentur.

Nunquid poteſt in ventrem matris ſuae iterato introire, & renaſci?] Iſtud quod ἀδύνατον heic eſſe ait Nicodemus, id dicis cauſſa imitabantur apud Athenienſes οἱ δευτερόποτμοι ſeu ὑστερόποτμοι. Videatur Heſychius utroque vocabulo, quo ſignificari ait, eum, qui poſt inferias ei ut mortuo peractas, aut poſt vulgatum de eo, quaſi peregre mortuo, rumorem, inopinato comparuit. Is vero per gremium mulieris demittebatur apud Athenienſes, ut ſic renaſci videretur, inque templum Eumenidum ei aditus pateret. Δευτερόποτμος . . . . ὁ δεύτερον διὰ γυναικείου κόλπου διαδὺς, ὡς ἔθος ἦν παρὰ Ἀθηναίοις ἐκ δευτέρου γενᾶσθαι. Videatur item Plutarchus haud longe ab initio quaeſtionum Romanarum. At qui πνευματικῶς renaſcuntur, ii vere ex aqua & ſpiritu regeniti, ſic quaſi ex utero prodeunt.

AD JOH. III. 5.

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto] Fatigant ſe heterodoxi quidam, ut hujus praecepti neceſſitatem ab infantibus amoliantur, ac plerique ſibi placent, dum interpretantur *ex Spiritu aqueo*. Vide Synopſ. Crit. ut ſit ἓν διὰ δυοῖν· Ἄηροι. Cum Nicodemo adhuc carnali carnalis genitura, ex duplici parente ſcilicet, animo obverſaretur; Chriſtus ad ejus ſeſe captum demittens, duplicem quoque parentem in ſpirituali nativitate aſſignavit, *aquam*, & *ſpiritum*. Neque heic neceſſe eſt argutari, ut aqua matris, ſpiritus patris vices gerere

(ut

Iſidis ſuſcipiunt ſacra. Sic in Cereris ſacris τὰ λεοντικὰ παραλαμβάνειν, *Leontica accipere*. τὰ μυστήρια παραλαμβάνειν: ſic & in Mithriacis

(ut placuit Chryſoſtomo & Euthymio heic nec non Ammonio & Theodoro Mopſueſteno in catena Graeca) videri, dicatur; cum contra, ſi ſermonis Chriſto vernaculi naturam ſpectemus, רוח, utpote feminini generis, potius *genitrix* dicenda fuerit, מים vero, quod Hebraeis ἀρσενικὸν, *genitor*. Hinc in quodam pſeudo-Evangelio Hebraice ſcripto Chriſtus de ſe ait: *Spiritus Sanctus genitrix mea* &c. Rurſus in Judaico tumulo latino ſermone exarato *SPIRITA SANCTA* invenitur. Confer de his dicta ad Gen. I. 2. Sic quia יראת *jareach* ἀρσενικὸν, hinc Λάτρις θεῷ religio fluxit. Ab ea eſt cauſſa, quod Chriſtus aquae prius tum ſpiritus mentionem heic fecerit, qui ordo in parentibus carnalibus ſervari ſolet; alioqui ſi dignitatis habenda erat ratio, quis dubitat priorem locum Spiritui tribuendum?

Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Sp. Sancto] Neminem excipit, ne proſelytos quidem jam baptizatos, ac per baptiſmum in Judaiſmum admiſſos (quia etiam renati ex Judaeorum doctrina dicebantur) ac ne ipſos quidem ἀνέκαθεν Hebraeos h. e. Hebraeos ex Hebraeis. Hoc ideo, quia ſicut apud Judaeos baptiſmus erat novae profeſſionis ſacramentum, per quod ἀλλόφυλοι in foederis Iſraelitici communionem admittebantur: ita & Chriſtus novam ſocietatem inſtituturus, eamque ex utroque populo Iſraëlis & gentium conflaturus, baptiſmum (quippe ex Judaeorum conſuetudine ſignum ad novam profeſſionem deſignandam ſatis idoneum) novae ſocietatis januam eſſe voluit. A quo baptiſmate ſi Hebraeos excepiſſet, jactaſſent illi, Chriſtianiſmum in Judaiſmum credidiſſe, non contra; Judaeos aeque ac gentiles Chriſtianiſmum amplexos. Ne hanc ſatis glorioſae ac de ſe magnifice ſentienti nationi anſam praeberet; non minus Judaeos, quam exteros, novae profeſſionis notam ſubire voluit. Appoſite Martyr Ignatius epiſt. ad Magneſios: Ἄτοπόν ἐστιν Χριστὸν Ἰησοῦν καλεῖν, καὶ Ἰουδαΐζειν. Ὁ γὰρ Χριστιανισμὸς οὐκ εἰς Ἰουδαϊσμὸν ἐπίστευσεν, ἀλλὰ Ἰουδαϊσμὸς εἰς Χριστιανισμὸν, ὡς πᾶσα γλῶσσα πιστεύσασα εἰς Θεὸν συναχθῇ. Vetus interpres: *Inconveniens eſt Jeſum Chriſtum perfari & judaizare. Chriſtianiſmus enim non in Judaiſmum credidit, ſed Judaiſmus in Chriſtianiſmum: ut omnis lingua credens in Deum congregaretur.* Ex hoc porro Johannis loco, quo Servator baptiſmi ſui neceſſitatem Judaeo inculcat, (imo & ex Apoſtolorum hiſtoria non minus Judaeos, quam gentiles baptizantium) diſcimus illud πάντα τὰ ἔθνη Matt. XXVIII. 19. de Judaeis aeque ac gentibus eſſe dictum. Nullum jam enim amplius diſcrimen inter Judaeos & גוים *gojim*; quando jam per lavacri neceſſitatem Judaei quoque tanquam ſi ſint gentiles, initiantur. Ita ex Judaeorum animis vel inanis illa de Iſraëlitico nomine gloriatio ſtirpitus evellitur; vide ibi dicta.

AD JOH. III. 7.

Non mireris, quia dixi tibi oportet naſci denuo] Quia Joannes argumenta tantum ſermonis hujus Chriſti contexuit, hinc oratio iſta evaſit ἀσύνδετος, ut aegre ſingulorum commatum συνέχεια pervideatur. Hoc certe comma non cum ſequente nectendum eſt; neque enim ſequenti verſu hujus αἰτιολογία traditur. Quod ſi huic verſui לכן *lacken*, *ideo* praefigas; ſtatim intelligetur praecedentis commatis hoc eſſe ἀπόδοσιν. Quod, inquit, ex carne propagatur, carnalem indolem refert, quod ex ſpiritu ſpiritualem. Eo ſit, non admirandam tibi accidere oportere renaſcendi ex ſpiritu neceſſitatem.

AD

Digitized by Google

AD JOH. III. 8.

Spiritus ubi vult ſpirat, & vocem ejus audis &c. ſic eſt omnis qui natus eſt ex Spiritu] Spiritus corporei ἐνεργεία ad incorporei atque increati Spiritus actionem declarandam aptiſſime utitur. Sic alibi apud Joh. Chriſtus cum aquis elementaribus aquas gratiae, cum pane terreno panem caeleſtem &c. confert. Nam quas metaphoras neceſſitas attulit, quia aliud non erat nomen quo quidpiam appellaretur (uti ſunt gemmae in vitibus &c.) eae quia maximam habent cum re ſignificata ſimilitudinem, ſunt ad rei illius naturam declarandam aptiſſimae. De hoc genere eſt *Spiritus*, quatenus Spiritum Sanctum aut humanas Angelicaſve mentes ſignificat. Nam quia nomen non ſuppetebat, quo Divinus Spiritus appellaretur, ad metaphorae neceſſitatem ventum fuit. Nemo enim ignorat רוח *ruach* Hebraicum, Graecorum πνεῦμα, Iatinumque *Spiritum* proprie ventum ſignificare. Sed procedente tempore eo ventum fuit, ut his nominibus primario Spiritus Sanctus aut mens intelligeretur; ita ut venti notio ſecundaria videretur (ſicuti & *gemmas* in vitibus non amplius metaphoram ſuo tempore videri Cicero fatebatur) eoque factum, ut non tantum heic in priore hujus periochae membro, ſed & in aliis ſcripturae locis רוח *ruach* πνεῦμα *ſpiritum*, etiam ubi pro vento ponebatur, de Spiritu Divino intelligi uſuvenerit. Hinc Spiritus Sanctus πνεῦμα ἀληθὲς dici coepit, quaſi vero haec propria ſignificatio fuerit, illa vero altera, ubi de vento agitur, μεταφορικὴ. In Hieronymi veteris ſcriptoris colloquio cum Judaeo (quod Fabricius Volumini VIII. bibl. Gr. inſeruit) interroganti Chriſtiano, qualem tandem Spiritum Divinum crederet, num ejuſmodi, qualis eſt hominis ex ore & naribus exiens? reſpondet Judaeus: *Abſit hoc*, ἀλλὰ Πνεῦμα ἀόρατον . . . πνεῦμα ἀληθὲς &c. Eo enim ventum fuit, ut incorporea proprie *Spiritus* dicerentur, corpora vero etſi tenuiſſima, ut halitus ventuſve, μεταφορικῶς.

Spiritus ubi vult ſpirat & voc. ejus audis, ſed neſcis unde veniat, aut quo vadat: Sic eſt . . .] Eadem comparatione utitur Minucius Octavio cap. 32. *Nec mireris, ſi Deum non vides. Vento, & flatibus omnia impelluntur, vibrantur, agitantur, & ſub oculis tamen non venit ventus & flatus.* Lactantius VII. 9. *Quid voce clarius, aut vento fortius? . . . Haec tamen cum per aërem feruntur, ad ſenſus uſque noſtros veniunt, & eos potentia ſua impellunt, non cernuntur acie luminum, ſed aliis corporis partibus ſentiuntur. Similiter Deus non aſpectu nobis aliove fragili ſenſu comprehendendus eſt, ſed mentis oculis intuendus; cum opera ejus praeclara & miranda videamus.*

Spiritus ubi vult ſpirat &c. ſed neſcis, unde veniat aut quo vadat] De vento haec intelligenda eſſe putant Grotius aliique. Ego malim cum S. Ignatio de Spiritu Sancto accipere. Ad hunc enim locum alluſit Ignatius epiſt. ad Philadelph. Εἰ γὰρ καὶ κατὰ σάρκα μέ τινες ἐθέλησαν πλανῆσαι, ἀλλὰ τὸ Πνεῦμα οὐ πλανᾶται, ἀπὸ Θεοῦ ὄν. οἶδεν γὰρ πόθεν ἔρχεται, καὶ ποῦ ὑπάγει, καὶ τὰ κρυπτὰ ἐλέγχει. Interpres vetus: *Si enim & ſecundum carnem me quidam voluerant ſeducere: ſed Spiritus non ſeducitur, a Deo exiſtens. Novit enim, unde venit, & quo vadit, & occulta redarguit.* Καρδιογνωσία vero nonniſi Spiritus Sancti eſt; de quo utique Ignatiana haec ſunt intelligenda.

AD JOH. III. 14. 15.

Et ſicut Moyſes exaltavit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis.

Digitized by Google

minis: Vt omnis qui credit in ipsum non pereat, sed habeat vitam aeternam] Dixi initio, & iterum dico, Johannem argumenta tantum Christi concionum persecutum, multa ex intervallo lectori supplenda reliquisse. Vt hoc quod in hujus comparationis ἀποδόσει subjicitur, *Vt omnis qui credit* &c. priori membro, si quidem integras dare conciones sibi Evangelista sibi proposuisset, subjiciendum ἐκ παραλλήλου fuerat in hunc modum: sicut Moyses exaltavit serpentem in deserto, *ut qui percussi aspicerent eum, viverent* (quae ipsissima verba leguntur Num. XXI. 8. eaque optime respondent sequenti commati hujus capitis, quo fides commendatur: nam ut serpentis aspectus vitam animalem operabatur, sic in Christum fides spiritalem) sic exaltari oportet Filium hominis, ut qui credit in ipsum &c. Hinc porro & scopus Christi, & praecedentium commatum (quae sine hac notatione ἀπροσδιόνυσα videbantur) συνέχεια perspicitur. Quam proderit in unam veluti σύνοψιν contrahere. Haerenti adhuc Nicodemo ℣. 9. Dominus fidem unice commendat, sepositis humanis ratiocinationibus. Hinc ℣. 11. sibi oculato testi credendum esse contendit: tum ℣. 12. supersedere se ait retrusioribus arcanis referandis, quando ad primora religionis rudimenta obstupuisset: deinde ℣. 13. nemini caelum h. e. divina patere consilia posse tradit, nisi sibi qui de caelo descenderat, haudquaquam relicto caelo, proinde sibi credi oportere: tum ad extremum non alio serpentis aenei aspectum spectasse docet, nisi ut intelligerent, non aliunde nos medelam primaevi serpentis morsus sperare oportere, quam ab intuitu h. e. fide in Christum.

AD JOH. III. 27.

Non potest homo accipere quidquam, nisi fuerit ei datum de caelo] Ἄνθρωπος hic vim habet distributivam, ut Hebraeis אדם. Λαμβάνειν autem *sibi sumere* sive *arrogare* significat, ut ad Heb. V. 4. ubi similis est locutio οὐχ ἑαυτῷ τις λαμβάνει τὴν τιμὴν &c. Vbi quod ἑβραϊστὶ Johannes ἄνθρωπος dixerat, ἑλληνικώτερον Paulus τὶς posuit. Jam vero ex hoc Johannis loco perspicitur, quaenam illa ζήτησις supra ℣. 25. fuerit. Ex Baptistae discipulis unus aut plures cum Judaeo alio digladiabantur, utrum aliis praeter Johannem baptizare liceret. Negabant hoc qui a Johanne stabant; at Judaeus alius exemplo Christi contrarium revincebat. Ambae ergo partes ad Johannem venerunt ℣. 26. sciscitaturi, rectene Jesus tingeret. Quibus Baptista respondit, nunquam Jesum hoc sibi arrogaturum fuisse, nisi si hoc ei divinitus esset tributum; tum arrepta occasione eundem tradit esse Messiam.

AD JOH. III. 33.

Qui accepit ejus testimonium, signavit, quia Deus verax est] Gr. ἐσφράγισεν. Et Graeci σφραγίσασθαι μαρτυρίαν, & Latini *signare* dicunt. Vlpianus l. 22. D. de testam. *Conditionem testium tunc inspicere debemus cum signarent, non mortis tempore. Si igitur tunc cum signarent, tales fuerint, ut adhiberi possent, nihil nocet, siquid postea eis contigerit.* Vides heic porro quid inter Johannis & Christi testimonium sit discriminis. Hic de iis, quae viderat & audiverat, testabatur ex ℣. praecedente: at ille, quippe non oculatus testis, hoc tantum contestabatur, Jesum hunc, qui se vidisse & audisse praedicabat, esse veracem, nec fallere. Nec aliter fit, cum unus tantum negotio interfuit: tum enim uno hoc a se visa testante, ceteri ejusdem veracitatem comprobant.

AD

Digitized by Google

AD JOH. IV. 6.

Sedebat ſic ſupra fontem] Geminus eſt particulae *ſic* uſus apud Hor. II. Od. 11.

Cur non ſub alta vel platano, vel hac
Pinu jacentes ſic temere . . . .
Potamus uncti ?

Sedebat ſic ſupra fontem] Gr. ἐκαθέζετο οὕτως ἐπὶ τῇ πηγῇ. Iſtud οὕτως nihil commune habet, quod quidam voluerunt, cum illo Act. XX. 11. ἐφ' ἱκανόν τε ὁμιλήσας . . . οὕτως ἐξῆλθεν. nam cum eſt relativa particula, praeponitur. At heic οὕτως reſpondet τῷ הכן *hachen*, quod Joſ. III. 17. legitur in hunc modum: *& ſteterunt Sacerdotes portantes arcam foederis Domini ſuper ſicco in medio Jordanis* (הכן) *ſic.* Μόριον eſt μιμητικὸν, geſtum corporis notans. Vulgari ſermone noſtro itidem dicimus: *ſtava in piedi così, ſtava così ſeduto*. Confer quae ad Joſ. notavimus.

AD JOH. IV. 9.

Non enim coutuntur Judaei Samaritanis] Videntur mihi non mulieris Samaritidos (cujus non attinebat ea dicere, quae erant vulgo notiſſima, imo quae ſatis indicarat dicens, *quomodo Judaeus cum ſis* &c.) ſed Evangeliſtae Johannis, quippe qui in Aſia ſcribens, notato opus eſſe putaret, nullum fuiſſe Samaritanis cum Judaeis uſum & conſuetudinem. Hoc nanque Aſiani ignorare poterant, Judaei aut Samaritae non poterant. Occupatum a Grotio.

AD JOH. IV. 25.

Scio quia Meſſias venit] Gr. ἔρχεται. h. e. jam jam venturus eſt. Vſurpant non raro Graeci praeſens tempus pro paullo poſt futuro. In formulis fidei, cujuſmodi plurimae Arianis temporibus editae apud Socratem ceteroſque illius hiſtoriae ſcriptores reperiuntur de Chriſto judice; ſic fides proponebatur: ἐρχόμενον ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων κρῖναι ζῶντας καὶ νεκρούς. *Qui venturus eſt in fine ſaeculorum, ut judicet vivos & mortuos*. Ἐρχόμενον, opinor, dicebant, quod is dies propius abeſſe prioribus Chriſtianis putaretur. Sic etiam ſaepe apud Homerum praeſens pro futuro, ut Il. XVII. 147. εἶσι pro *ibit*. & mox ϒ. 155. ἴμεν pro *ibimus*.

Scio quia Meſſias venit] ἔρχεται praeſenti tempore, quippe expletis Danielis hebdomadibus. Sic etiam de altero Chriſti adventu vetuſtiſſimi ſcriptores loqui conſueverunt, quibus perſuaſum, opinor, erat, haud diu judicis adventum dilatum iri. Ἔρχεται κρίνειν ζῶντας καὶ νεκρούς. Ita Hegeſippus apud Euſebium in martyrio S. Jacobi, & alii paſſim, ut notat Valeſius ad Euſebium.

AD JOH. IV. 31. 32.

Dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dicit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis . . . Meus cibus eſt, ut faciam voluntatem ejus, qui miſit me] Non opus habere cibis hiſce corporeis inter θεότητος propria vel ethnici poſuerunt. Libanius or. de imp. Juliani ira (quam Fabric. vol. 7. bibl. Gr. inſeruit) cap. IX. hoc tantum Julianum inter deoſque intereſſe jactabat. Καὶ τῶν θεῶν τῷ μὲν σῖτον ἐσθίειν διέφηκεν. ἐν δὲ τῇ τῆς ἀρετῆς ἀσκήσει . . . πλησίον αὐτῶν ἐστι. *Atque hoc quidem differt a diis, quod cibis veſcatur; ceterum exercitatione virtutis . . . propius ad illos accedit.*

AD JOH. IV. 34. 35.

Meus cibus eſt . . . ut perficiam opus ejus. Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit ? Ecce dico vobis, levate oculos veſtros & vi-

Digitized by Google

dete regiones, quia albae sunt jam ad messem.] Christus fortassis vocem עבדה *abodah*, usurparat, quae in Targum Gen. XXVI. 14. agriculturam significat: Johannes autem ἔργον reddidit, non ignarus, injectam statim messis mentionem tale aliquod vocabulum heic requirere, quod ejus rei sit proprium. Atqui tale potissimum vox ἔργα Johanni visa fuit, quam & operi suo georgico Hesiodus praescripsit, & ante eum Orpheus. Ἔργον peculiariter de agricolatione usurpari notavit Eustathius ad Il. P. pag. 1135. & de illo ipso Hesiodi opere agens Olympiodorus in I. Meteor. prax. 17. Adeatur & Salmasius de usuris pag. 299. ac Lambertus Bos Observ. Crit. C. VI. pag. 32.

Nonne vos dicitis, quod adhuc quatuor menses sunt, & messis venit? Ecce dico vobis . . . videte regiones, quia albae sunt jam ad messem.] Graece sic: ὅτι ἔτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται. Illud ἔτι sequente καὶ loco est עוד *od* Hebraici, & post quatuor menses instare messem significat, ut Jonae III. 4. Gen. XL. 13. 19. &c. Hanc sententiam si admittimus, non paullo ante Paschа, sed multo ante dixisse haec Christum oportet, quando quatuor ferme menses ad messem supererent. Nec refert quod infra V. 1. sequitur Μετὰ ταῦτα ἦν ἑορτὴ &c. nam illud μετὰ ταῦτα nonnunquam longius notat spatium, his quidem certe libris. Nec illud incommodat, quod de satis jam albicantibus subnectitur; nam est illa pulcherrima antithesis de spirituali messe jam flavescente.

Quod si ista Christum instante Paschate dixisse pertendimus, tum ne sic quidem ratio deerit, quare isto modo Praeceptor locutus fuerit. Ac primum ad Ps. LXXIII. 17. demonstravimus, tres tantum anni ὥρας veteres Hebraeos agnovisse, aestatem, hiemen, ver, idque exemplo aliarum nationum. Id si verum, tum & illud sequetur eos, annum in quaterna τετράμηνα esse partitos. Itaque si illud ἔτι (quod certe a plurimis optimae notae scriptis codicibus abest) removeris; tum sententia erit: *Nunc illud quadrimestre agitur, in quo messis.* Nam alia fortassis erant duo quadrimestria, sementis unum, quod praecesserat; vindemiae sive fructuum torcularis alterum, deinceps secuturum. Fateor tamen hanc rationem videri impeditiorem, tum quod dicendum fuisset τετράμηνόν ἐστιν, ἐν ᾧ θερισμὸς ἔρχεται; tum etiam quia quatuor anni תקופות *thekuphoth* revolutiones videntur jam Christi aevo innotuisse: quatuor certe agnoscit Targum Jonathanis Gen. VIII. 22. nimirum sementis in aequinoctio Septembris, messis in aequinoctio Martii, frigoris in solstitio Decembris, & aestus in solstitio Junii.

Illa postremo mihi visa est expeditissima ratio, si παροιμιώδες hoc fuisse dixerimus, inde orto adagio, quod quatuor non amplius menses in Judaea sementem inter ac messem intercederent: nec sane plures interfuisse facile demonstrare posse mihi videor. Ab illa tam praecoce Judaeorum messe factum puto, ut sicut aliis quibusdam regionibus τρίμηνος aut etiam δίμηνος πῦρος (*) miraculo haberetur,

(*) Τριμήνων πυρῶν meminit Hesychius: meminit & Theophrastus VIII. hist. pl. 1. ubi περὶ τῶν ὀψισπόρων agens, ait: εἶναι πυρῶν τι γένος καὶ κριθῶν, ὃ καλοῦσι τρίγωνον διὰ τὸ ἐν τοσούτῳ τελειοῦσθαι. Τρίγωνον vocat Theophrastus, an sicuti tres quidam Homeri versus Eustathio teste p. 397. τρίγωνοι dicebantur? an quia ὁμόνυμον fuit plantae Aegyptiae, quae auctore Hesychio τρίγωνον dicebatur? An Astrologorum usu τρίγωνον tantundem quod τρίμηνον? An pro τρίγωνον rescribendum est τρίμηνον, uti conjicit H. Stephanus in thesauro? Idem certe Theophrastus ejusdem libri cap 4. ait: Καὶ τὸ τῶν τριμήνων καὶ τῶν διμήνων καὶ εἴτι γένος ἐν ἐλάττοσιν ἡμέραις τελειοῦται (καθάπερ φασὶν εἶναι περὶ τὴν Εὐβοίαν) τεττεράκοντα ἡμέραις ἀπὸ τῆς σπορᾶς ἀδρύνονται καὶ τέλος ἴσχουσιν. Plinius XVIII. 7. *Est & bimestre circa Thracium sinum, quod quadra-*

tur, ſic Judaeorum πῦρος τετράμηνος eſſet & appellaretur. Ex quo & illud fieri potuit, ut quadrimeſtre illud ſpatium quandiu ſata matureſcerent, τετράμηνον diceretur. Inde autem in proverbium vox illa abierat, ἔτι τετράμηνόν ἐστι, καὶ ὁ θερισμὸς ἔρχεται: quo dicto ſerendi taedium brevi proventus exſpectatione leniebant; quod ſtatim poſt ſementem initio dictitatum, poſtea παροιμιωδῶς pro re nata uſurpabatur. Haec omnino vera hujus loci expoſitio, quae, quandocunque haec dixerit Chriſtus, vera reperietur; quam & illud ὑμεῖς λεγέτε h. e. *proverbio dicitis*, & quae ſequitur, ſementis ſpiritualis mentio confirmat, ac vox ipſa τετραμήνῳ, quae non quoslibet quaternos menſes, ſed celebre aliquod ac definitum quadrimeſtre ſpatium deſignare videtur. Vos, inquit, ſemente facta tritum illud uſurpatis, quae ſulcis mandavimus, ex iis poſt quatuor menſes fructum demetemus: at ſationis ſpiritualis fructus longe praecocior, jam enim regiones flaveſcunt ad meſſem. Familiaris Chriſto fuit adagiorum uſurpatio, ut & illud in eadem re infra ℣. 37. *Alius eſt qui ſeminat & alius eſt qui metit*, & quae ibi ſequuntur.

Albae ſunt jam ad meſſem] Eſt hodieque apud nos tritici genus, quod *album* vulgo appellant: cujus ſeges, dum falcem exſpectat, albicat, non flaveſcit. Vide num de hoc genere fuiſſe Judaicum triticum recte hinc colligatur.

AD JOH. IV. 47.

Incipiebat enim mori] i. e. Erat morti proximus. Vopiſcus Floriano cap. 1. *Quum ſciret adjuratum eſſe in ſenatu Tacitum, ut quum MORI COEPISSET, non liberos ſuos, ſed optimum aliquem principem faceret.*

Ad JOH. IV. 52.

Quia heri hora ſeptima reliquit eum febris] Gr. ἀφῆκεν αὐτὸν ὁ πυρετός. Eadem phraſeologia occurrit Matt. VIII 15. & Marci I. 31. quibus quidem locis τὸ ἀφῆκεν vertitur *dimiſit*. magis latine heic *Reliquit*; ſic enim & Spartianus Hadriano cap. 25. locutus eſt: *Hadrianum febris reliquit*.

AD JOH. V. 8.

Tolle grabatum tuum & ambula] Gr. ἆρον τὸν κράββατόν σου καὶ περιπάτει. Triphyllium Epiſcopum κραββάτου vocem ut minus elegantem reſpuiſſe in hoc allegando loco, ex Sozomeno didici; cujus locum non poſſum quin huc adducam ex lib. I. cap. XI. Nam cum in ſynodum quamdam Cypriorum epiſcopi, in iiſque Spyridon, & Ledrorum epiſcopus Triphyllius vir longe diſertiſſimus conveniſſent; cum collecta celebraretur, ἐπιτραπεὶς Τριφύλλιος διδάξαι τὸ πλῆθος, ἐπεὶ τὸ ῥητὸν ἐκεῖνο παράγειν εἰς μέσον ἐδέησε, τὸ = Ἆρόν σου τὸν κράββατον καὶ περιπάτει = σκίμποδα ἀντὶ τοῦ κραββάτου, μεταβαλὼν τὸ ὄνομα εἶπε· καὶ ὁ Σπυρίδων ἀγαναχτήσας, ὦ σύγε, ἔφη, ἀμείνων τοῦ κράββατον εἰρηκότος, ὅτι ταῖς αὐτοῦ λέξεσιν ἐπαισχύνῃ κεχρῆσθαι· καὶ τοῦτο εἰπὼν, ἀπεπήδησε τοῦ ἱερατικοῦ θρόνου, τῷ δήμῳ ὁρῶντως ταύτῃ γε μετριάζειν παιδεύων τὸν τοῖς λόγοις ὠφρυωμένον. h. e. *Rogatus Triphyllius ut concionem haberet ad populum, cum neceſſe haberet dictum illud Salvatoris adducere: Tolle grabatum tuum & ambula, mutato nomine,*

quadrageſimo die quam ſatum eſt, matureſcit. Poſt pauca. *In tantum fallitur Columella, qui ne trimeſtris quidem proprium genus exiſtima-verit eſſe, cum ſit antiquiſſimum. Graeci trimenon vocant.* Rurſus idem Theophraſtus: τρίμηνοι δὲ πολλοὶ καὶ παντα χοῦ κοῦφοι.

Digitized by Google

pro grabato ſcimpodium dixit. At Spyridon indignatione commotus: Num tu, inquit, praeſtantior es eo qui grabatum dixit, ut te pudeat ejus verbis uti? Quo dicto ex ſacerdotali ſolio exſiliit ſpectante populo: hominem propter eloquentiam inſolentius ſeſe efferentem, hac ratione ad modeſtiam erudiens (*). Quaeret heic aliquis, quae κραββάτου vox Triphyllium offenderit. Legerat, opinor, Phrynichum grammaticum cujus eclogae Atticarum dictionum etiamnum exſtant: ibi ſic legitur: Σκίμπους λέγε, ἀλλὰ μὴ κράββατος. Non quod vox κραββάτου auctoritate careat, nam teſte Polluce Criton Meſſeniâ & Rhinton Telepho uſurparant, ſed quod Atticis inuſitata fuerat; quo ſenſu accipiendum eſt illud veteris grammatici apud Euſtath. ad Od. Ψ. pag. 1944. Ασκάντης Αττικῶς· συνηθέστερον δὲ, ὁ σκίμπους· ὁ δὲ κράββατος, φησὶ, παρ' ὐδενί: Sed & ad Ariſtophanis νεφέλας Scholiaſtes: τὸν κράββατον σκίμποδα λέγουσιν Αττικοί. Verum nemo melius Triphyllii epiſcopi mentem aſſecutus videtur Thoma grammatico in eclogis: Σκίμπους ῥητορικόν, Κράββατον ἰδιωτικόν. Non eo reſpuerat vocabulum Triphyllius, quia minus Atticum, ſed quia commune & ἰδιωτικὸν, a quo genere vocum rhetores, in quorum ſchola diu verſatus fuerat, abhorrebant. Itaque frequentius Latini grabati voce (& quidem uno B) utuntur, ut Virgilius, Catullus, Martialis, Petronius, quam Graeci. De Scimpodis ſive grabati (ſunt enim duo ejuſdem rei ſynonyma) quaedam habet Nunneſius ad Phrynichum, & qui nuper Pollucem illuſtrarunt lib. X. ſegm. 35. Nec illud Kuhnii diſplicet, cum σκίμπους Euſtathio teſte ἀπὸ τῦ σκίμτειν *appropinquare* veniat, quia ob humilitatem terrae vicinior videri κράββατον a קרב *Karab*, *appropinquavit* eſſe deductum: aut vero a קרבית, *inſtitis* quae ſubtendebantur. Petronius: *Imperavi Gytoni, ut raptim grabatum ſubiret, annecteretque pedes & manus inſtitis, quibus ſponda culcitam ferebat* &c.

AD JOH. V. 30.

Non quaero voluntatem meam, ſed voluntatem ejus qui miſit me.] Tam excelſae philoſophiae praeceptum cuiquam profanorum innotuiſſe (& certe nonniſi illuminante mentes hominum Verbo) miratus ſui, poſtquam animadverti Thymaridem Tarentinum (qui ab Jamblicho cap. 23. inter eos refertur, qui Pythagoram ſenem juvenes auſcultarunt) teſtatum, *ſe non quae ipſe vellet, ſed quae Deus, velle*, uti idem Jamblichus cap. 28. prodidit.

AD JOH. VI. 7. 9.

Ducentorum denariorum panes non ſufficiunt eis, ut unuſquiſque modicum quid accipiat . . . Sed haec quid ſunt inter tantos?] Confer non diſſimilem locum Num. XI. 21. *Ait Moſes: ſexcenta millia peditum hujus populi ſunt, & tu dicis: dabo eis eſum carnium menſe integro? Numquid ovium & bovum multitudo caedetur, ut poſſit ſufficere ad cibum? vel omnes piſces maris in unum congregabuntur, ut eos ſatient?* Tum & alterum 4. Reg. IV. 43. *Reſponditque ei* (Eliſeo jubenti viginti panes hordeaceos apponi centum viris) *miniſter ejus: Quantum eſt hoc, ut apponam centum viris? Rurſum ille ait: Da populo ut comedat: haec enim dicit Dominus: Comedent & ſupererit.* Id quod accidit.

AD

(*) Similia narrat de Tatiano Euſebius: τῶ δὲ Αποστόλω φασὶ τολμῆσαί τινας αὐτὸν μεταφρᾶσαι φωνὰς, ὡς ἐπιδιορθώμενον. De eodem Victor Capuanus praefat. ad concordiae interpretationem a ſe factam: *Sed & dictis Apoſtolicis manus profanae emendationis, vel, ut dicam verius, corruptionis, dicitur intuliſſe.*

Digitized by Google

AD JOH. VI. 9.

Et duos piſces] Gr. καὶ δύο ὀψάρια. Τῶν ὄψων nomine piſces praecipue venire, res eſt notiſſima. Athenaeus & Plutarchus id tradunt, quorum loca in H. St. theſ. ὄψον. Straboni εὐοψος θάλαττα eſt *piſcoſum mare*. Idem lib. III. pag. 144. ἡ ἐκ τῶν ὄψων ταριχεία, *e piſcibus ſalſamenta*. Eodem lib. pag. 145. καὶ αἱ σμύραιναι, καὶ ἄλλα πλείω τῶν τοιούτων ὄψων· *Muraenae aliique id genus piſces*.

AD JOH. VI. 45.

Et erunt omnes docibiles Dei] Gr. διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. Citantur haec ex Iſa. LIV. 13. ubi legitur: καὶ πάντας τοὺς υἱούς σου διδακτοὺς Θεοῦ. Idem verbale reperitur & I. Cor. II. 13. eadem conſtructione poſitum: διδακτοὶ Πνεύματος ἁγίου. At I. Mac. IV. 7. cum genitivo, non perſonae docentis, ſed rei quae docetur, καὶ οὗτοι διδακτοὶ πολέμου. Interpres: *Et hi docti ad bellum*. Affertur & in lexicis cum genitivo mercedis: διδακτὸς μισθοῦ, *mercede doctus*. At Paullus I. ad Theſ. IV. 9. voce compoſita elegantius utitur: αὐτοὶ γὰρ ὑμεῖς θεοδίδακτοί ἐστε &c. Itemque Barnabas extrema ferme epiſtola: γίνεσθε δὲ θεοδίδακτοι, ἐκζητοῦντες τί ζητεῖ Κύριος ἀφ' ὑμῶν. Interpres antiquus: *Eſtote diſcipuli Dei, exquirentes, quid a vobis poſtulet Dominus*. Vox *docibilis* occurrit etiam 2. Tim. II. 24. *Ad omnia docibilem*, Gr. διδακτικὸν. Vtitur & Tertullianus; & poſterioris aevi ſcriptores non raro, quibus & *docibilitas* uſurpatur. In epiſtola Martyrum ad Cyprianum, quae eſt 26. inter Cypricanicas: *qui ſe docibilem diſcipulum ſubminiſtravit*. In Gloſſ. Lat. Gr. *Docibilis* εὐδίδακτος, εὐμαθὴς. In Gloſſis S. Benedicti etiam *Indocibilis*, δυσμαθὴς, occurrit.

Et erunt omnes docibiles Dei] Gr. διδακτοὶ τοῦ Θεοῦ. Heic *docibiles* eſt παθητικὸν· At 2. Tim. II. 24. *docibilis* eſt διδακτικὸς. vide quae ad locum.

AD JOH. VII. 15.

Quomodo hic litteras ſcit, cum non didicerit] Γράμματα εἰδέναι proprie hic accipio pro eo, qui legere ac ſcribere norit, ſeu γραμματοδιδασκαλεῖα frequentavit, in quibus grammatiſtice docebatur. Eadem prorſus notione Vitruvius (quem ſermone idiotico uſum, perinde ut N. T. ſcriptores, deprehendimus) lib. I. c. 1. *Litteras architectum ſcire oportet, uti commentariis memoriam firmiorem efficere poſſit*. Paullo ſuperius dixerat: *Itaque architecti, qui ſine litteris contenderunt, ut manibus eſſent exercitati* &c. Ac rurſus ibidem praecipit, *ut literatus ſit* architectus. Quomodo ſervi litterati ii dicebantur, qui legere ac ſcribere didiciſſent. Cic. Ver. 3. *Circum pedes autem homines formoſos & litteratos ſuos eſſe dicebat, ſe emiſſe*. Senſus ergo hujus loci eſt: quomodo hic omnino litteras ſcit, qui γραμματοδιδασκαλεῖα nunquam adierit. Qui vel litteras noſſent, ceteris ſapientiores habebantur: quo & vetus ille ſenarius ſpectat: Διπλοῦς ὁρῶσιν οἱ μαθόντες γράμματα. Cyprianus epiſt. 22. *Aurelii . . . nomine libelli multi dati ſunt, ejuſdem Luciani manu ſcripti, quod litteras ille non noſſet*. Cujuſmodi & epiſcoporum ἀναλφαβήτων exempla alii jam collegerunt: veluti quod in prima collatione Carthagini inter Catholicos & Donatiſtas c. 133. Trifolius Epiſc. Aborenſis pro Paulino Zumenſi litteras neſciente ſubſcripſit. In Conci. Chalced. Fl. Palladius pro Zenone, Romanus pro Elia, Dionyſius pro Cajuma illiteratis nomina ſubſcripſerunt.

AD

Digitized by Google

AD JOH. VII. 22.

Non quia ex Moyſe eſt, ſed ex patribus] Haec παρένθετα poſſunt & ex Evangeliſtae perſona dicta intelligi, ut multa paſſim Johannes ἐμβολιμαῖα explicationis cauſſa Chriſti ſermonibus inſpergit.

AD JOH. VII. 37.

In noviſſimo die magno feſtivitatis] Pro *Magnae feſtivitatis*: Vt & Jo: XIX. *Magnus dies ille ſabbati* pro *ſabbati magni* h. e. paſchalis diei primi, qui unus erat ex magnis ſabbatis. Confer dicta ad cit. Joan. locum, & in Curis poſter. de magno ſabbato Polycarpi.

AD JOH. VIII. 12.

Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat &c.] Cypr. ad finem epiſt. (63) ad Caecil. affert ſic: *Ego ſum lumen ſaeculi. Qui me ſecutus fuerit, non ambulabit in tenebris*. Vide quae de vetere verſione *ſaeculum* pro *mundo* uſurpante diximus ad Joh. XV. 18.

AD JOH. VIII. 24. 25. & 28.

V. 24. *Si enim non credideritis, quia* (Gr. ὅτι) *ego ſum, moriemini in peccato veſtro* V. 25. *Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis Jeſus: Principium qui* (Gr. ὅ, τι) *& loquor vobis*. Ver. 28. *Cum exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoſcetis, quia* (Gr. ὅτι) *ego ſum, & a me ipſo facio nihil*]. De particula ὅτι prima eſt difficultas: quae quidem in Graeco tam v. 24. quam 28. eſt ὅτι ſine interjecto commate, ita ut ſit *quia* ut in Vulgata vertitur: at ver. 25. in Graecis exemplaribus omnibus ὅ, τι reperitur, ita ut ſit neutrum relativum *quod* ſive *Id quod*. Meo tamen judicio ubique, (non modo ſcil. ver. 25. ſed etiam 24. & 28.) ὅ, τι commate interjecto ſcribendum & fuiſſe antiquitus ſcriptum ſuſpicor. Ita ut exiſtimem, v. 24. reddi potuiſſe, *Si non credideritis* (id) *quod ego ſum*, nempe *LVX mundi*, uti v. 12. dixerat. Aut vero rectius τὸ (Id *quod ego ſum*) refertur ad ea quae verſu proxime ſuperiore 23. de origine ſua caeleſti monuerat hiſce verbis: *Vos de deorſum eſtis ego de ſupernis ſum* &c. Hinc recte v. 28. ſubjicit: *Cum exaltaveritis* (i. e. cruci affixeritis) *Filium hominis*, tunc ea exaltatio in ſignum erit, cujas ego ſim, non ex hoc mundo ſcil. ſed de caelo, nempe Dei filius. Atqui ſi ὅτι, (*Quia*) ſcribatur, huic intelligentiae locus nullus erit. Ac ſane Tertullianus lib. contra Praxeam ita verſum 28. affert, *Tunc cognoſcetis quod* (h. e. *id quod*) *ego ſim*. Sed nihil Syro interprete luculentius, qui tam v. 24. reddidit *Niſi credideritis, me EVM eſſe*, tum itidem v. 28. *Cognoſcetis me EVM eſſe*: nempe eum, qui v. 12. ſe *Lucem mundi* dixerat, ac proxime v. 23. praedicaverat, ſe de caelo profectum. *Vos*, inquit, *de deorſum eſtis, ego de ſupernis ſum*. Ceterum quod complures interpretes τὸ *Quia ſum* explicant, *Quia ſum per eſſentiam*, parum probo, quia tum huic intelligentiae locus eſſet, ſi τὸ *ſum* repetiſſet: *Ego ſum qui ſum*, ut Ex. III. 14.

AD JOH. VIII. 25.

Tu quis es? Dixit eis Jeſus: Principium qui & loquor vobis. Hic locus, prout nunc Latine legitur, eam intelligentiam pluribus enarratoribus obtulit, ut reſpondiſſe videatur Chriſtus, *Ego ſum principium* (illud ſcil. in quo Deus mundum creavit, quo ſenſu in Apoc. dicitur *Principium & finis*) *qui & loquor vobis*,

Digitized by Google

bis. At haec intelligentia cum Graeco ſtare non poteſt, ubi ſine ulla variatione legitur in omnibus: Τὴν ἀρχὴν ὅ, τι καὶ λαλῶ ὑμῖν. Ex quo vides *principium* eſſe accuſandi caſum. Ac ſane ſuſpicabar veterem interpretem (verbum verbo de more appendentem) ſcripſiſſe, *Principium quia & loquor vobis*; deinde amanuenſium culpa ex *quia* factum fuiſſe *qui*. Ita quidem ſuſpicabar: ſed ejus poſtea lectionis certum me reddidit Lucas Brugenſis *ad variantia SS. Bibl. loca*. Ibi tres enumerat legendi modos, qui in Codicib. aut apud veteres enarratores reperiuntur, unus eſt, qui hodie in noſtris obtinet: alter habet *quia* pro *qui*: tertius poſtremo pro *qui* exhibet *quod*. Et in his omnibus τὸ ET retinetur ac merito. Sed equidem quartam reperio lectionem ſine ET, in hunc modum, *Principium quod loquor vobis*. Sic reperitur in Cod. S. Gatii & altero Majuſmonaſterienſi, qui duo veterem Italam continere dicuntur, ex quibus variantes lectiones ad finem comm. in Evangelia Calmetus excerpſit. Ex his autem legendi modis duo convenientes fonti ſunt, ſive *Quia &* (ex quo vitio librariorum manavit *Qui &*) ſive *Quod &*. Vtraque inquam lectio cum Graeco ſtare poteſt; nam ſi ſcribatur ὅ, τι erit neutrum relativum QVOD; ſi ὅτι, erit conjunctio QVIA. Vtrovis autem modo legas, ſemper τὸ *Principium* quarto caſu ponitur, quia reſpondet Graeco τὴν ἀρχὴν. Quid, inquis, erit *Principium* quarto caſu? Id ipſum, quod Graece illud τὴν ἀρχήν: nam ubi verbum verbo redditur, ex Graeco ratio ſyntaxeos petenda eſt. Graece autem in τὴν ἀρχὴν ſubauditur κατὰ, & eſt (ut alias ſignificationes hujus locutionis, quas huc pertinere non arbitror, taceam) idem ac ἀπ' ἀρχῆς i. e. *a principio*. En igitur hujus loci ſenſus: *A principio quod & loquor vobis* i. e. *Ego ſum id, quod & dico* (ſeu *dixi*) *vobis a principio*, nim. v. 12. *Ego ſum lux mundi*, & v. 23. *Ego de ſupernis ſum*.

Ac ne cui illud *Principium* pro *a principio*, inſolens prorſus videatur, (quamvis ubi verbum verbo κατὰ πόδα redditur, multa talia parum Latina irrepere neceſſe eſt) ajo & hujus locutionis exemplum in Terentio reperiri pulcherrimum, cujus tamen vim grammatici minime tenuerunt: de quo vide quid (*) adnotaverim.

Et hactenus de duobus his laboratum, I. τὸ *Principium* (in Gr. τὴν ἀρχὴν) vetus adverbium eſſe Terentio uſurpatum, idem quod *Principio*. II. ὅ, τι neutrum relativum eſſe, neque hîc ſolum, ſed & v. 24. & 28. III. At reſtat λαλῶ, quod hîc & in aliis N. T. locis, & apud LXX. non tam ſermocinandi, quam ſimpliciter *dicendi* vim habet. Nec λαλῶ hîc ad praeſens tempus reſtringitur,

(*) In Terentii Eunucho quum Thraſo miles virginem quamdam a ſe emptam Thaidi dono miſiſſet; mox ubi primum Thaidem natus fuit, (Act. 3. ſc. 2. initio) ſic orſus inducitur: *Ecquid nos amas de fidicina iſthac?* quam ei dono dederat. Id vero dictum militis eleganter irridet Parmeno, minime decorum ratus, initio ſermonis de dono injici mentionem, ajens: *Quam venuſte! Quod dedit, principium adveniens*. Id quidem vulgo grammatici omnes ſic acceperunt, quaſi dixiſſet, *Quod* i. e. *quale principium ſuae allocutioni dedit!* At equidem majorem heic ἐμφασιν locutionis reperio, ſi *Principium* idem ſit ac *A principio*. Ait igitur: *Quam venuſte! quod dedit* (cave τὸ *Dedit* cum *Principium* jungas; cum potius ſit *Dono dedit*) *Principium* (h. e. A principio) *adveniens*: ſupple *commemorat*, veluti qui exprobratum venerit. Nam plura apud comicos, ut & in ſermone quotidiano, ſubaudiri neceſſe eſt. Haec vera Comici ſententia. Nec vero novum, adverbia in *O* deſinentia alternare cum finitis in VM. Sic *vero, primo, poſtremo*, idem ſunt ac *verum, primum, poſtremum*. Sic etiam *principio* & *principium* aeque uſurpata fuiſſe tamquam adverbia fuiſſe cenſeo. Ac ſicuti in prioribus illis intelligitur IN, ſic in terminatis in VM ſubauditur *ſecundum*, ut Graece κατά. Ac de his tantum.

Digitized by Google

gitur, sed actionem permanentem notat, & habet potius vim παραχειμένω : *Dicebam* & adhuc *dico*. IV. Postremo ut ad τὴν ἀρχὴν redeam, hoc non cum sequentibus nectitur, sed ipsum per se stat, subaudito tamen *Dixi*, aliove congruo verbo, quod in concisis responsionibus suppleri solet. His intellectis, hunc locum ita vertes. *Tu quis es? Dixit eis Jesus: Principium* (sive *a principio dixi*): sum nempe id, *quod* dicebam, & adhuc *dico* vobis. Sum *Lux mundi* ut v. 12. iterumque disertius, *Ego de supernis sum*, ut v. 23. Atque ea loci intricati visa dilucidatio.

AD JOH. VIII. 59.

Tulerunt ergo lapides, ut jacerent &c.] Gr. ἐβάστασαν non significat *bajulaverunt*, sive *comportarunt*, sed omnino *sumserunt*; aut potius *avellerunt;* uti copiose dictum ad Joh. XII. 6. ubi Βαστάζω & *auferre* significare diximus, & (ex veteris poëtae de virib. herbar. exemplis) etiam *avellere*. Cur, inquies, avellere hic magis probum? Nimirum quia, cum in Templi Atrio lapides obvii non essent, videntur illos ex pavimento strato lapidibus, aut, undecunque demum revellisse. Brugensi quidem, cui de pavimento strato suboluit, valde notio ista τῦ βαστάζω opitulatur.

AD JOH. IX. 7.

In natatoria Siloe] Vtitur *natatoriae* vocabulo Sidonius II. ep. 2. In glossis vet. Gr. Lat. κλυμβήθρα *piscina*, *natatura*. ubi leg. *natatoria*.

AD JOH. IX. 28.

Nos autem Moysi discipuli sumus] Etiamnum Galeni aetate Judaei se Mosis discipulos praedicabant: sic enim Pergamenus Scriptor To. 3. edit. Basil. pag. 34. Judaeorum & Christianorum in suis dogmatibus constantiam cum medicis sectae alicui adhaerentibus confert. Θᾶττον γὰρ ἄν τις τὺς ἀπὸ Μωϋσῆ καὶ Χριστῦ μεταδιδάξειεν, ἢ τὺς ταῖς αἱρέσεσι προστετηκότας ἰατρύς. *Nam citius quis Mosis forte Christique assectas de sententia deduxerit, quam ex medicis eos qui sectae cuipiam adhaeserint.*

AD JOH. IX. 32.

A saeculo non est auditum] Gr. ἐκ τῦ αἰῶνος ὐκ ἠκύσθη. Non abhorruit ab hoc hebraismo Diodorus Siculus, ubi de Erycino Veneris templo in Sicilia celeberrimo; nam alia quidem omnia ob casus varios τεταπεινῶσθαι ait: istud autem τὴν ἐξ αἰῶνος ἀρχὴν λαβὸν, ὐδέποτε διέλιπε τιμώμενον, *nihil unquam de illius honore ac celebritate decessit, quamvis post hominum memoriam fundati.*

A saeculo non est auditum, quod quis aperuit oculos caeci nati] τυφλῦ γεγενημένω. Eadem ῥῆσις occurrit apud Spartianum Hadriano cap. 25. *Venit & de Pannonia quidam NATVS CAECVS ad febrientem Hadrianum, eumque contigit: quo facto & ipse oculos recepit, & Hadrianum febris reliquit.* Λῆροι; vel Mario Maximo teste, qui haec *per simulationem* vulgo tunc dictitata putat apud eundem Spartianum. Et est verissimum quod heic dicitur, ἀπ' αἰῶνος *a saeculo* tale prodigium non esse auditum.

AD

Digitized by Google

AD JOH. X. 3.

Et proprias oves vocat nominatim] Gr. Καὶ τὰ ἴδια πρόβατα καλεῖ κατ' ὄνομα. Nominatim ſingulas vocat, ut num qua deſit, animadvertat. Haud ſcio an hinc profluxerit, ut in Eccleſiae incunabulis, quando habebatur Eccleſia ut ovile Chriſti, in conventibus ſinguli fidelium nominatim appellarentur. Certe ad hunc morem reſpicere mihi videtur Ignatius epiſt. ad Epheſios: Οἱ κατ' ἄνδρα κοινῇ πάντες ἐν χάριτι ΕΞ ΟΝΟΜΑΤΟΣ συνέρχεσθε &c. Vetus interpres: *Secundum virum* (h. e. viritim) *communiter omnes in gratia EX NOMINE convenitis* &c.

AD JOH. X. 9.

Ego ſum oſtium] Ignatius epiſt. ad Philadelph. Αὐτὸς ἀν (repone ἂν, quomodo & vetus interpres legiſſe mihi videtur) θύρα τῦ Πατρὸς, δι' ἧς εἰσέρχονται Αβραὰμ καὶ Ισαὰκ καὶ Ιακὼβ, καὶ οἱ προφῆται, καὶ οἱ ἀπόστολοι καὶ ἡ ἐκκλησία. Interpres vetus: *Quippe eſt janua Patris, per quam ingrediuntur Abraham, & Iſaac, & Jacob, & Prophetae, & Apoſtoli, & Eccleſia.*

Ingredietur & egredietur] Hunc hebraiſmum frequenter uſurpatum in Veteris & Novi Teſt. paginis, etiam Irenaeus adhibuit epiſtola ad Florinum apud Euſeb. V. hiſt. eccl. 20. Ibi ait omnes actus, ſermoneſque Polycarpi ita ſibi haeſiſſe memoriae, tanquam ſi praeſens cerneret: ὥστε με δύναται εἰπεῖν ... καὶ τὰς προσόδους αὐτῦ καὶ τὰς εἰσόδους, *ita ut proceſſus quoque ejus & ingreſſus poſſim dicere* &c.

AD JOH. X. 10.

Ego veni, ut vitam habeant & abundantius habeant.] Hinc illud: *O felix culpa, quae talem ac tantum meruit habere* &c. Themiſtocles ἐξωστρακισθεὶς, & Xerxis, ad quem confugerat, maximis beneficiis delinitus, aliquando lautiſſima ſibi menſa appoſita, dixit: Ὦ παῖδες ἀπωλόμεθα ἂν, εἰ μὴ ἀπωλόμεθα. *Periiſſemus niſi periiſſemus.* Plut. in Themiſtocle, & Ariſt. to. 1. pag. 465.

AD JOH. X. 11.

Animam ſuam ponit pro &c.] Gr. τὴν ψυχὴν αὐτῦ τίθησιν. Locutio Johanni familiaris, cujus loco Homerus compoſitum παρατίθημι uſurpavit Od. Γ. 74. & I. 255. de piratis.

Ψυχὰς παρθέμενοι, κακὸν ἀλλοδαποῖσι φέροντες.

AD JOH. X. 15.

Animam meam pono pro ovibus] Frequens apud hunc Divinum ſcriptorem phraſis tum in Evangelio, tum prima epiſt. III. 16. Eandem ex vulgari Chriſtianorum ſermone hauſit Capitolinus in Juniore Maximino cap. 5. *Canes ... ululârunt, & animam quaſi flendo poſuerunt, ac prima luce mortui ſunt deprehenſi.*

AD JOH. X. 18.

Nemo tollit eam a me, ſed ego pono eam a me ipſo] Saepe hoc Johannes inculcat & modo ℣. 15. & 17. dixerat, Chriſtum obtuliſſe ſe ἀντίψυχον pro nobis. Id ut ad noſtram redemptionem valeret, opus fuit ut Chriſtus nulla neceſſitate adactus, ſponte ſe traderet immolandum. Ea certe lex erat τῶν ἀντιψύχων apud profanos, uti V. or. ſacra diſputat Ariſtides; & Aurelius Victor de Antinoi facto, qui ut Hadriani vitam produceret, ſe immolandum praebuit, ita narrat: *Quippe Hadriano cupiente fatum producere, cum VOLVNTARIVM ad vicem magi popoſciſſent, cunctis retractantibus, Antinoum objeciſſe ſe referunt.* Ex quo etiam loco colligitur, ex magorum hoc diſciplina apud paga-

Digitized by Google

nos fluxiſſe (nimirum diabolo operum Divinorum aemulatione per omnia abutente) ut homo immolaretur, ut alteri vita produceretur: cui ſacro Magi ἀντίψυχον nomen fecerunt. De quo vide dicta ad Joh. XV. 13.

AD JOH. X. 18.

Hoc mandatun accepi a Patre] Hujus ἐντολῆς mentio rurſum exſiſtit Joh. XII. 49. 50. XIV. 31. Celebre fuiſſe in ore Apoſtolorum hoc mandatum puto, quippe quod in Barnabae epiſtola abſolute ἐντολή, non addito Θεοῦ, vocatur cap. V. Ὅτε ὧν ἐποίησε ΕΝΤΟΛΗΝ, τί λεγει; τίς ὁ κρινόμενός μοι, ἀντιστήτω μοι &c. Vetus interpres vocem *Dei* de ſuo admenſus, explicationis gratia fecit, quod non erat neceſſe.

AD JOH. X. 21.

Haec verba &c.] Gr. ταῦτα τὰ ῥήματα, οὐκ ἔστι δαιμονιζομένου. cur? quia daemonium non poteſt caecorum oculos aperire. Ex his vides ῥήματα heic eſſe pro Heb. דברים, quae & *verba* ſignificat & *opera*.

AD JOH. XI. 11.

Lazarus amicus noſter dormit] Gr. κεκοίμηται. Ex ſequentibus cognoſcitur, auditores haec de κοιμήσει ὕπνου, non θανάτῳ accepiſſe; non quia ex V. T. exempla deeſſent, quibus id verbum de morte accipitur, ut frequens illa in libris Regum & Paralip. apud LXX phraſis notat, ἐκοιμήθη μετὰ τῶν πατέρων αὐτοῦ (praeſertim cum & profani ſcriptores quaedam ſimilia dixerint) ſed quod continuatio illa metaphorae ἵνα ἐξυπνίσω αὐτόν, fecerit, ut de ſomno iſta perceperint. Fateor tamen ex hoc Chriſti dicto id hauſiſſe Chriſtianos, ut familiarior multo ea verbi notio apud eos fuerit, unde & ſepulcreta Chriſtianis tantum, non item gentilibus, κοιμητήρια dicebantur (etſi tanto ante vocem εὐναστήριον uſurparat Lycophron ℣. 583.

Σίθωνος εἰς θυγατρὸς εὐναστήριον.

Sithoniae ad aeternale dormitorium.)

ut aperte ex Aemiliani praefecti verbis (quae refert Dionyſius Alex. apud Euſebium VII. hiſt. 11.) per ſe quiſque colligere poſſit; quibus vetat Chriſtianis, ne in coemeteriis, *uti vocant*, conventus agerent, ἢ εἰς τὰ καλούμενα κοιμητήρια εἰσιέναι. Illud enim τὰ καλούμενα prae ſe fert, ejus vocis uſum fuiſſe mere χριστιανικόν. Apud eundem Euſebium VII. 13. Gallieni edictum memoratur, quo Chriſtianis permittebat τὰ τῶν καλουμένων κοιμητηρίων ἀπολαμβάνειν χωρία, *coemeteriorum ut appellant* (Chriſtiani) *loca recuperare*.

Lazarus amicus noſter dormit] Non in Novi Foederis paginis primum invaluit, ut τὸ κοιμᾶσθαι pro *mori* diceretur. Jamdiu iſte εὐφημισμὸς obtinuerat, quo uſus auctor alterius Machabaici XII. 45. τοῖς μετ' εὐσεβείας κοιμωμένοις. Et reſpondet voci שכב *ſciacab*, quo verbo eodem ſenſu uſus Pſalmographus Pſ. III. 6. & Iſaias XIV. 8. utrobique autem LXX τὸ κοιμᾶσθαι adhibuerunt. Nec dubito & alia inveniri poſſe Veteris Inſtrumenti loca. Sed & Homerus, ex eoque Virgilius, θάνατον & ὕπνον fratres germanos eſſe commenti ſunt. Idem Homerus eadem locutione uſus Il. Λ. 241.

Ὡς ὁ μὲν αὐθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

Quod imitatus Virgilius *ferreum ſomnum* dixit. Callimachus epigr. X.

Τῇ

Τῇ δὲ Σάων, ὁ Δίκωνος, Ακάνθιος ἱερὸν ὕπνον
Κοιμᾶται.
Hac tellure Saon ſopitur Acanthius, ortus
Patre Dicone. Et Epigr. XVII.
- - - - ἡ δ' ἀποβρίζει
Ἐνθάδε τὸν πάσαις ὕπνον ὀφειλόμενον.
- - - - *Sed ipſa*
Omnibus heic ſomni debita dona capit.

Orpheus Argon. 540.
Εὕδεις, Αγνιάδη, γλυκερῷ βεβολημένος ὕπνῳ.
Dormis Agniade, dulci ſtupefacte ſopore.

In inſcriptione Romana apud Fleetwood pag. 222. num. 2. SOMNO · SEPVLCHRO · AETERNALI · SACRVM. Catullus: *Nox eſt perpetua una dormienda.* Haec eo ab Ethnicis uſurpata ob ſomni cum morte ſimilitudinem; unde *conſanguineum lethi ſoporem* Maro dixit, Maeonidem quoque imitatus, qui hunc illius κασίγνητον appellarat. Sed Sacri Scriptores ea locutione ad fidem reſurrectionis ſpectabant. Eo ſenſu Chriſtus intelligendus Matt. IX. 24: *Non eſt mortua puella ſed dormit*, ſtatim utique in vitam revocanda: ſic etiam Lazarus *dormire* dicitur, ad eumque ire Chriſtus, *ut a ſomno ſuſcitet eum.* Et majoris εὐφημισμῦ gratia *obdormire in Domino* dicebantur, ut Actorum ſeptimo extremo capite; aut ἐν εἰρήνη κοιμᾶσθαι, quod ſaepe in Judaicis tumulis occurrit, ut apud Fabrettum pag. 389. n. XXXXIV. EN · EIPHNH · KOIMHCIC · AYTOY · (Ζωσίμᾳ cui inſcriptio ponitur) & n. 247. iiſdem prorſus verbis. Jam vero pag. 465. n. 101. in Beturiae proſelytae inſcriptione Latina ad extremum eadem formula latinis tantum litteris ſubtexitur in hunc modum: BENIRENAEAY CYMISIS AVTIS. Quo loco rem notatu digniſſimam nec Sponius nec Fabrettus animadvertit, primam vocem Hebraica conſtructione adhibitam, cui τὸ ב una cum ἐν Graeco praefixum, ad finem vero Hebraicum pronomen tertiae perſonae ſuffixum fuit.

Non omittendum vero, quod haec formula ex extremo Pſ. IV. ſumta videtur ubi legitur: *In pace in idipſum dormiam* (heb. אשכב *eſcchab* apud LXX κοιμηθήσομαι, quae ſunt verba, uti ſupra dictum, hujus rei propria) *& requieſcam*; & ſpes (fortaſſe reſurrectionis) pro cauſſa adducitur, *quoniam tu Domine ſingulariter IN SPE conſtituiſti me.*

Eandem quoque formulam Chriſtiani veteres in ſuis ſepulcralibus titulis adoptarunt; nihil enim frequentius, quam DORMIRE IN PACE legitur in Chriſtianorum titulis apud Gruterum, Aringhum & Fabrettum, quem vide pag. 552. & ſeq. Et haec quidem eorum dormitio temporaria, ut erat, credebatur: Contra vero ethnicorum cippis SOMNO AETERNALI ſaepiſſime praeſcribitur; quippe ſpe reſurrectionis deſtituebantur.

AD JOH. XI. 51.

Hoc autem a ſemetipſo non dixit, ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetavit, quod Jeſus moriturus erat pro gente &c.] Paternus procoſ. in ſententia, quam in S. Cyprianum ſcripſit, viſus eſt quaedam prophetaſſe, uti legitur apud Pontium cap. 17. *Legit itaque de tabula jam ſententiam judex . . ſententiam ſpiritalem non temere dicendam . . in qua dictus eſt SECTAE SIGNIFER, ET INIMICVS DEORVM*

RVM, ET QVI SVIS FVTVRVS ESSET IPSE DOCVMENTO, ET QVOD SANGVINE EJVS INCIPERET DISCIPLINA SANCIRI. Nihil hac ſententia plenius, nihil verius. Omnia quippe, quae dicta ſunt, licet a gentili dicta, divina ſunt. Nec mirum utique, CVM SOLEANT DE PASSIONE PONTIFICES (manifeſta ad hunc Joh. locum alluſio) *PROPHETARE. Signifer fuerat, qui deferendo ſigno Chriſti docebat: inimicus deorum, qui idola deſtruenda mandabat: documento autem ſuis fuit, qui multis pari genere ſecuturis prior in provincia martyrii primitias dedicavit. Sanciri etiam coepit ejus ſanguine diſciplina, ſed martyrum, qui doctorem ſuum . . aemulati, ipſi quoque diſciplinam exempli ſui proprio cruore ſanxerunt.*

AD JOH. XII. 1.

Ante ſex dies Paſchae] Graece: Πρὸ ἑξ ἡμερῶν τοῦ Πάσχα. Neſcio quid nonnullos viros doctos impulerit, ut ſive e ſermone Syro, ſive Hebraico (apud quos cardinalis numerus pro ordinali uſurpatur) hanc locutionem arceſſant. Atqui non aliter Graeci loquebantur; qui, quod Romani A. D. VI. Kal. dicebant, ii Graece interpretabantur, πρὸ ἑξ ἡμερῶν καλανδῶν. Exempla ſunt paſſim obvia. Quid ſi de Romanis ipſis, utrum cardinali numero in hujuſmodi temporum notationibus haud raro uterentur, jure ſuſpicari poſſis? Id non tantum ex ceteris omnibus Scriptoribus Graecis patet, qui quoties uſu Romano dies numerarunt, eo modo ſunt locuti, verum etiam ex Anatolio Alexandrino, qui & Laodiceae Epiſcopus fuit, qui in Canonibus Paſchalibus apud Euſebium VII. 32. cum dies XXVI. menſis Phamenoth Aegyptiaci, ſive dies XXII Macedonici menſis Dyſtri, in quem diem ſecundum Romanos incurreret, oſtenſurus eſſet, ait: ὡς δ' ἂν εἴποιεν Ρωμαῖοι, πρὸ ἑνδεκα Καλανδῶν Ἀπριλίων. Interpretatur Valeſius: *Vt autem Romani dicerent, ante diem undecimum* (verterim potius *ante dies undecim*) *Kalendarum Aprilium*. Euſebius ipſe lib. de martyrib. Palaeſt. cap. 1. Procopii martyrium conſignat, Δεσίου μηνὸς ὀγδόῃ, πρὸ ἑπτὰ εἰδῶν Ιουνίων λέγοιτ' ἂν παρὰ Ρωμαίοις. Et infra de Alphaeo & Zachaeo Martyrib. Δίου μηνὸς ἑπταικαιδεκάτῃ· αὕτη παρὰ Ρωμαίοις ἡ πρὸ δεκαπέντε Καλανδῶν Δεκεμβρίων· Ac ſaepe alibi eodem libello, dum Macedonicos menſes comparat cum Romanis. Cum ergo Graeci Romano more numeraturi, numeros ubique cardinales adhibeant: quis praeſtare auſit non & Romanos ſic feciſſe? Certe cum nuſquam in inſcriptionibus numeri iſti ὁλογραμμάτως quod ſciam, notentur, ſed per numerorum notas; credibile eſt veteres quoque librarios in eundem modum numeros notaſſe: quorum codices qui poſtea deſcripſerunt, cum mallent ὁλογραμμάτως ſcribere, neſcio quibus grammaticorum praeceptis adducti, ordinales tantum numeros adoptarunt.

Illud quoque Graecis peculiare ut Kalendas, nonas, eidus caſu patrio ſemper efferant. Romani vero ſive patrio, ſive accuſandi caſu ea uſurpabant. Ad legem Papiam & Juliam: *Ante diem decimum Kalendarum, poſt diem decimum Kalendarum: neutro enim ſermone undecim dies ſignificantur*. Sic etiam Spartianus Hadriano cap. 4. *Quinto Iduum Auguſti die*, poſt pauca: *Tertio Iduum earundem*. In eundemque modum paſſim in hiſtoriae Aug. ſcriptoribus. Ammianus XV. 9. *Haec die octavo Iduum Novemb. geſta ſunt*. Et cum accuſandi caſu in inſcriptione Florentina (quae pertinet ad annum Vrbis 741. qui eſt ante Chriſtum 12.) apud

Digitized by Google

apud Spon. pag. 289. legitur AD (interpunge A. D.) VI. K. APRILES, ὁλογραμμάτως.

Valde autem notari hoc velim, quod Johannes, neglectis Judaicis Graecisve mensibus, novam numerandi rationem adhibuerit, rei tamen, quam tractabat, consentaneam. Nam quia de paschate, quo passus est Dominus, dicturus erat, hac temporis notatione utitur: *Ante sex dies Paschae*. Simile quoddam in Campano quodam marmore, quod exposuimus in nostro ad Amphitheatri Campani titulum commentario pag. 148. notavimus. Quae inscriptio sic orditur: PAGVS . HERCVLANEVS . SCIVIT · A. D. TERMINAliorum . h. e. *ante diem decimum Terminaliorum*. Nam quia lex paganica, quae ibi proponitur, occasione instantis paganicae celebritatis Terminaliorum, ferebatur: scite illa putandorum dierum ratio arcessitur. Vide quae ad eam inscriptionem notavimus. Sic etiam in Actis SS. Perp. & Felicitatis cap. XV. *Conjuncto itaque unito gemitu ad Dominum orationem fuderunt ante tertium diem muneris*.

Postremo nulli dubium, quin ex hoc Joh. loco arcessita fuerit illa putandi ratio, quam in Capuana inscriptione apud Jesuitas deprehendi, in qua legitur ANTE GII. (h. e. VIII) DIES PASCES. Illud quantivis pretii elogium tale est:

HIC REQVIE scit in pa
CE LEONINA Q uae vixit
ANN. IIII. MENSES . . . . de
POSITA XV. KAL · APRI
LIS · IND . GI (h. e. VII.) ANTE
GII (i. e. VIII.) DIES PASCES

Vide quae in eam inscriptionem alibi notavimus. Interim certum est, eum putandi morem ex Joh. XII. 1. fluxisse; ac scimus barbaris saeculis cum vix scripturae solae vulgo legerentur, inde & loquendi genera hausta fuisse, & quid non ?

AD JOH. XII. 3.

Nardi pistici pretiosi] Gr. πιστικὸς, quod heic & Marci XIV. 3. legitur, respondet τῶ נאמן *neeman*, *fidelis*. Vide quae dixi ad Deut. XXVIII. 59. ubi *infirmitates* נאמנים *neemanim* LXX, verterunt νόσους πιστάς. In speciebus autem τὸ πιστὸν sive πιστικὸν distinguitur a χιβδήλῳ. Cujusmodi vim & ἀληθινὸς habet saepe apud Jo: in Evang. & Apoc.

AD JOH. XII. 21.

Domine volumus Jesum videre] Ferebat hoc sermo Syriacus, ut honoris caussa se invicem Dominos compellarent: id quod apud Syros hodieque mansit, apud quos multus est praenominis *Mar* usus, ut apud recentiores Graecos Κῦρ, apud Italos & Hispanos *Don*. Sed ut ad veteres redeam, Alexander Hierosolymorum episcopus epistola ad Origenem apud Eusebium VI. hist. 14. Πατέρας γὰρ ἴσμεν τοὺς μακαρίους ἐκείνους τοὺς προοδεύσαντας . . Πάνταινον τὸν μακάριον ὡς ἀληθῶς καὶ Κύριον, καὶ τὸν ἱερὸν Κλήμεντα, Κυρίου μιμητὴν γενόμενον . . . δι' ὧν σε ἐγνώρισα τὸν κατὰ πάντα ἄριστον, καὶ Κυρίου μιμητὴν, καὶ ἀδελφόν. *Patres quippe agnoscimus beatos illos, qui viam nobis praeiverunt, . . Pantaenum vere beatum & Dominum meum, & sanctum Clementem Dominum item meum . . . per quos tu mihi innotuisti, Domine ac frater omnium optime*. Sane apud scriptores Syros & Palaestinos nihil hoc titulo frequentius.

AD

AD JOH. XII. 25.

Qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam aeternam cuſtodit eam.] Quo Hebraeis נפש *nepheſch*, & Helleniſtis ψυχὴ, eodem loco Graecis philoſophis σῶμα fuit, ἔμψυχον σῶμα ſcilicet. Platonici philoſophi habebantur ſuorum corporum inimici: διαβέβληνται μὲν παντα χῇ τῷ σώματι, quae ſunt Socratis verba in Phaedone. Mercurius Triſmegiſtus, ſive qui eidem opera ſuppoſuit: ἐὰν μὴ πρῶτον τὸ σῶμά σε μισήσῃς, ὦ τέκνον, σεαυτὸν φιλῆσαι ὐ δύνασαι. Plotinus (ut initio vitae quam de eo ſcripſit Porphyrius) ἐώκει μὲν αἰσχυνομένῳ ὅτι ἐν σωμάτι εἴη. E Porphyrio Eunapius: τό τε σῶμα, καὶ ἄνθρωπος εἶναι ἐμίσησε.

AD JOH. XII. 32. 33.

Et ego ſi exaltatus fuero ... a terra (*Hoc autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet morituru*s)] Hoc unum ex iis interpretamentis eſt, quae Johannes in Aſiaticorum gratiam intexuiſſe mihi videtur. Obſcurum erat Aſiaticis quid eſſet hoc loco ὑψῶσθαι, eoque hanc parentheſim gloſſematis loco inſeruit. Nam ſi Judaeis ſcripſiſſet aut Syris, poterat ea interpretatione ſuperſedere: quippe iis notum id, quod viri docti notarunt, Chaldaicum זקף *zekaph* quod primitiva ſignificatione eſt *exaltare*, poni etiam pro eo quod in crucem agere. Hinc ψ. ſequente Judaei ſe eam phraſeologiam percepiſſe produnt. Alterum ex iis gloſſematibus eſt Joh. VII. 2. ubi ſcenopegia *dies feſtus Judaeorum* fuiſſe dicitur; de quo Judaeos admonere non opus fuiſſet. Rurſus Joh. II. 13. ubi dixiſſet *Prope erat Paſcha*, addidit *Judaeorum*. Sic & VI. 4. *Erat autem proximum Paſcha dies feſtus Judaeorum.* Et XI. 15. *Paſcha Judaeorum.* Quo haec additamenta Aſiaticis, qui jam tum ſcribente Johanne Paſcha celebrarent? At docendi erant aliud eſſe Paſcha Judaicum, aliud Chriſtianum, prae caeteris Aſiatici, quos jam tum fortaſſis praeſentiebat conſuetudini ſuae circa tempus celebrandi Paſchatis tanquam hauſtam a Johanne traditionem praetexturos,

AD JOH. XII. 36.

Credite in lucem] Novum loquendi genus, a nemine mortalium uſurpatum. Sed iis verbis palam innuebat, ſe eſſe illam lucem ad breve tempus Judaeis coruſcaturam. Crederent modo in illam Divinam lucem. Sequitur: *Vt filii lucis ſitis.* Eadem phraſeologia, quae Luc. X. 6. *Et ſi ibi fuerit filius pacis*: & alia in hunc modum.

AD JOH. XII. 38. 39. 40.

Vt ſermo Iſaiae prophetae impleretur, quem dixit. Domine quis credidit &c.] Quam molliter haec ſint capienda, quae tribus his commatibus dicuntur, jam alii tradiderunt. In hunc modum ex genio linguae Helleniſtae loquebantur: id quod tum ex ſexcentis Scripturae locis intelligitur, tum ex Barnabae epiſtolae his, quae adnectam. Οὐκοῦν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ ἐς τοῦτο ἦλθεν ἐν σαρκὶ, ἵνα τὸ τέλειον τῶν ἁμαρτιῶν κεφαλαιώσῃ τοῖς διώξασιν ἐν θανάτῳ τοὺς προφήτας αὐτοῦ. In hoc veniſſe ait Dei filium, ut perſequentium ad mortem Prophetas iniquitatem ad ſummum culmen perduceret. Niſi τὸ τέλειον *finem* mavis accipere: ut conſummetur, inquit, eorum peccatum, ac finem accipiat; quo pacto vetus interpres accepiſſe videtur. Sed prior interpretatio ut verior, ſic mollius intelligenda.

AD JOH. XII. 42.

Sed propter Phariſaeos non confitebantur, ut e ſynagoga non ejicerentur] Inter Chriſti ſectatores & iſtos principes non auſos Chriſto nomen dare, fui

Digitized by Google

fuit tertium interjectum hominum genus, occultorum Christi discipulorum. E quorum numero fuit Βουλευτὴς ille Joseph ab Arimathea ὢν μαθητὴς τῷ Ἰησοῦ, κεκρυμμένος δὲ διὰ τὸν Φόβον τῶν Ἰουδαίων. Joh. XIX. 38. Et Nicodemus noctu ad Jesum itare solitus Joh. III. 2. Cum his mitius actum; nam post Christi passionem absterso metu, palam se illius sectatores professi sunt.

AD JOH XII. 44.

Jesus autem clamavit & dixit &c.] Jam supra ℣. 36. dixerat, Jesum se a Judaeorum conspectu subduxisse. Quo nunc statim haec tam subita Christi clamantis & sermocinantis mentio? Satis profecto constat haec, quae hinc ad finem usque capitis a Christo prolata narrantur, non tum quidem, postquam sese abdiderat, sed alias, ac diversis fortasse temporibus in eos dicta fuisse, qui, uti proxime Evangelista scripserat, metu Pharisaeorum Christi fidem profiteri non sustinebant, hominum magis quam Dei gloriam diligentes. In hoc demum hominum genus dicta aliquando fuerunt a Christo, quae sequuntur.

AD JOH. XIII. 1.

In finem dilexit eos.] Gr. εἰς τέλος i. e. usque in finem. Locutio Polybiana, qui lib. 1. cap. 11. ἐφ' εἰς τέλος ἐκύρωσε τὴν γνώμην. *Ne ad extremum quidem adduci potuit, ut hujus sententiae auctor esset.* Porro apud eundem Polybium saepius *in totum* sive *penitus* significat. Vt lib. 1. cap. 20. ter eadem notione: τὴν δὲ Λιβύην εἰς τέλος ἀβλαβῆ διαμένουσαν. *Africam vero ab omni penitus damno immunem manere.* Post pauca: τῶν δὲ ναυπηγῶν εἰς τέλος ἀπείρων ὄντων τῆς . . ναυπηγίας, *quumque navium fabricatores in totum ejus artis rudes existerent.* Eodem extremo capite εἰς τέλος ἂν ἐκωλύθησαν τῆς ἐπιβολῆς, *in totum illis defuisset ejus consilii ineundi facultas.* Si quis eadem significatione heic εἰς τέλος positum pertenderit, non repugnabo; non enim ab Evangelistae loco notio ista abhorret.

Cum dilexisset suos . . . in finem dilexit eos] Gr. εἰς τέλος h. e. usque ad finem. Livius eodem significatu *ad ultimum* usurpavit III. 25. *Tribuni suo more impedire delectum: & forsitan ad ultimum* (h. e. usque ad ultimum) *impedissent; sed novus subito additus terror est.* Idem Livius eod. lib. cap. 64. *Quod perseverarent ad ultimum dissimiles decemvirorum esse.* Ibidem: *Quum ad ultimum perseveraret.* Theocritus Eidyll. II. 14.

Χαῖρ' Ἑκάτα δασπλῆτι, καὶ ἐς τέλος ἄμμιν ὀπάδει.
Salve Hecate horrenda, atque in finem heic usque maneto.

Ad JOH. XIII. 4.

Et cum accepisset linteum praecinxit se] Gr. καὶ λαβὼν λέντιον, διέζωσεν ἑαυτόν. Vox λέντιον (ex Latino *Linteum*, non a λειαίνω, unde λειάντριον & per syncopen λέντριον, ut Etymologus somniat) non tantum ab Helleniſtis pro σινδὼν, verum etiam a probis scriptoribus usurpatur. Arrianus certe in periplo maris Etythraei inter ea, quae illuc afferuntur, etiam λέντια nominat. Λέντιον Hesychius περίζωμα ἱερατικὸν interpretatur. At δουλευτικὸν aut διακονικὸν melius dixisset & γενικώτερον: nam quia servorum ministrantium is praecinctus erat, ideo & Sacerdotum, qui *servitores deorum* in quadam inscriptione dicuntur, aliter ἱερόδουλοι. Phaedrus:

Ex

Digitized by Google

Ex alticinctis unus atrienſibus,
Cui tunica ab humero linteo Peluſio
Erat deſtricta, cirris dependentibus.

Suetonius Caligula: *Quoſdam ſummis honoribus functos . . . cenanti* (ſibi) *ad pedes ſtare ſuccinctos linteo* paſſus eſt. Vide Luc. XVII. 8.

Id erat ſemicinctium, uti patet e verbo διαζώννυμι, quo ſignificatur CHRISTVM non fuiſſe *alticinctum* (alte cinctis a ſummo pectore linteum procedebat) ſed *ſuccinctum*, quia in duodecima vertebra, cui nomen διαζωστῆρι, cinctura perficiebatur. Vide haec latius deducta in Diſſ. de Sindone & Sudar. pag. 98. ubi de *Semicinctio*. Linteum autem, quo quis διαζώννυται (i. e.) *ſuccingitur* aut *praecingitur*, id demum eſt ſemicinctium. Contra linteum quo quis *alte cingitur*, is erit *integer cinctus*. Vide ibi dicta.

AD JOH. XIII. 10.

Qui lotus eſt, non indiget, niſi ut pedes lavet: ſed eſt mundus totus.] Quomodo hoc intelligat Ambroſius, vide ejus librum de Myſteriis n. 31. 32. Vbi vide ſubjectam editoris adnotationem, ubi hoc totum declaratur luculentiſſimo Ambroſii loco ex Expoſitione in Pſ. 48. n. 8. ſed praecipue n. 9. Videatur etiam auctor de Sacramentis III. cap. 1. a num. 4. ad finem.

AD JOH. XIII. 26.

Ille eſt, cui ego intinctum panem porrexero] Intimae id familiaritatis ſignum, etiam priſcis Graecorum uſitatum, de quibus Athenaeus lib. 1. Ἐφορῶντο δὲ καὶ ἀπὸ τῶν αὐτῶν μοίρας, οἷς ἐβούλοντο. Sic etiam Vlyſſes Od. VIII. 477. ſeq. Demodoco cantori dat de tergo bovis ſibi appoſito reſciſſam partem.

Καὶ ἐμβάψας τὸ ψωμίον, δίδωσιν Ἰούδα] Eſt hodie benevolentiae teſtimonium, alicui ex accumbentibus ψωμίον porrigere.

AD JOH. XIII. 30.

Cum ergo accepiſſet ille buccellam, exivit continuo] Cum accepiſſet, in os utique & in ventrem, non tantum in manus. Neque eſt credibile Judam, non dum manſa buccella, ſe ſurripuiſſe, quod inurbanum fuiſſet. Graece eſt Λαβὼν ἐν τὸ ψωμίον: quod non dubito, quin de manducandi actu ſic dicatur, ut Latine *cibum ſumere* uſurpatur. In Barnabae epiſtola cap. VIII. legitur: Καὶ ὁ χοῖρος ὅταν τρώγῃ, οὐκ οἶδε τὸν κύριον· ὅταν δὲ πεινάζῃ, κραυγάζει, καὶ λαβὼν, πάλιν σιωπᾷ. Marci Evangelium de vino myrrhato, quod Chriſto oblatum fuit, ὁ δὲ οὐκ ἔλαβε h. e. *non imbibit*, quod Matth. XXVII. 34. dicitur, γευσάμενος οὐκ ἤθελε πιεῖν *guſtatum noluit bibere*. Sic & Joh. XIX. 30. ὅτε οὖν ἔλαβε τὸ ὄξος, *cum ſorbuiſſet acetum*. Plutarchus Catonem Cenſorium in expeditionibus aquam bibiſſe ait, niſi ſi quando ἰσχύος ἐνδιδούσης ἐπιλάβοι μικρὸν οἰνάριον, *viribus defectus pauxillum villi ſumſiſſet*.

AD JOH. XIII. 31. 32.

Nunc clarificatus eſt Filius hominis &c. . . . *Si Deus clarificatus* &c.] Non poterat clarius duarum naturarum unio hypoſtatica ab Evangeliſtarum Theologo deſignari. *Nunc clarificatus eſt Filius hominis*, & *Deus clarificatus eſt in eo*. Ecce in una hypoſtaſi naturas duas clarificatas. Pergit autem: *Si Deus clarificatus eſt in eo, & Deus clarificabit eum in ſemetipſo*. Poſtremum hoc ἐν ἑαυτῷ clare docet, non tantum unam eſſe hypoſtaſin, ſeu τὸ ὑποκείμενον, verum etiam hoc eſſe penes Divinitatem; neque enim Chriſtus eſt *homo habens Verbum*, ſe

Verbu

Digitized by Google

Verbum hominem habens. Ergo & quod praecedit, *Deus clarificatus eſt in eo*, ſupplendum ἀπ' ἐαυτοῦ *in ſemetipſo* h. e. Deus clarificatus eſt ab homine, quem in ſemet aſſumpſit. In eo quod initio dixit: *Nunc clarificatus eſt*, eſt aliquid ἀπροσδόκητον, & παραδοξολογούμενον. Quod, inquit, a Juda in mortem prodor, praeclare mecum agitur (quis hoc credidiſſet ?) hinc enim claritas mea pendet. Poſtremo in hunc locum Apoſtolus commentator accedet ad Philipp. II. 8. *Humiliavit ſemetipſum, factus obediens uſque ad mortem*. En Deum per obſequium hominis clarificatum. *Propter quod & Deus exaltavit illum* &c. Viciſſim Homini claritas a Divinitate rependitur: nam ad Hominem refertur id quod ſequitur: *Vt in nomine Jeſu omne genuflectatur* (nam Jeſus eſt hominis nomen, I. Joh. V. 1. *Jeſus eſt Chriſtus* & alibi) & rurſus illud *In gloria eſt Dei Patris*. Quae maxima Humanitatis exaltatio fuit.

AD JOH. XIV. 7.

Et amodo cognoſcetis eum] Gr. γινώσκετε. *Cognoſcitis*; nec alio modo Noſter interpres poſuit, ſed librariorum poſtea errore tertia vocalis in ſecundam tranſiit. Certe apud Victorem Vitenſem in hiſtoria perſec. Vandal. *Noſtis eum* legitur.

AD JOH. XIV. 27.

Pacem relinquo vobis] Ad verbum *dimitto vobis*. Ac ſic videtur vetus ante Hieronymum verſio habuiſſe. Cyprianus epiſt. 6. quae eſt ad Rogatianum presb. & ceteros confeſſores: *Cum pacem ſuam nobis dimiſerit Dominus*. Ceſſationem perſecutionis intelligit. Lucianus epiſt. ad Celerinum (quae eſt inter Cyprianicas 21.) *Vniverſis pacem dimiſimus*: pacem nempe illam, quae lapſis dabatur a Martyribus. Sed rectius atque ἰδιαίτερον eſt, quod in noſtra vulgata ponitur, *relinquo*: nam ἀφίημι loco τοῦ עזב *azab*, quod *relinquere* ſignificat, non raro Graeci interpretes poſuerunt, ut Ex. IX. 22. II. Reg. XV. 16. II. Paral. XXVIII. 14. Job. XXXIX. 14. Iſa. XXXII. 14. Nam ceteroqui τοῖς ἔξω hoc verbum *dimitto*, aut *omitto*, aut *permitto* ſignificat, nunquam autem *relinquo*. Salutandi hanc eſſe formulam jam alii viderunt. Et שלום *ſcialom*, *pax*, quod in ſalutationibus adhibebant, frequentius εἰρήνην, interdum & verbo ὑγιαίνειν Graecis uſitatiſſimo, Graeci interpretes reddiderunt.

Non quomodo mundus dat, ego do vobis] Fort. alluditur ad Jer. VIII. 11. *Dicentes pax, pax, & non erat pax*. Quod & Ez. XIII. 10. legitur. Mundus ſalutationes alias aliis cumulat ore tenus. Chriſtus praeſtat pacem, quam nuntiat.

Pacem relinquo vobis] Verbum *relinquo* Latini patres videntur heic notione teſtamentaria accepiſſe. Sic certe Vranius presb. uſurpavit in Epiſt. de Paulini obitu, ubi ſic de Paulino Nolano moriente narrat: *Preſbyteris & diaconib. atque omnibus clericis exemplo Dominico* (huc ſcil. alludens) *pacem HEREDITARIAM praedicavit*. At erit, cui videbitur, Graecum ἀφίημι eam ſignificationem non admittere. Verum Helleniſtis tantumdem erat ἀφίημι, quod *relinquere*, uti & hinc liquet, & quod in Graeca interpretatione V. T. ſaepe ἀφίημι reſpondet verbo עזב *azab*, quod eſt *relinquere*.

AD JOH. XIV. 28.

Pater major me eſt] Qui alibi ſaepe divinitatem ſuam teſtatam fecit, & humanae formae veritatem his verbis firmare voluit. Neque enim veterum quorundam (ſaltem S. Alexandri) interpretationem probo, de Divina Chriſti na-

Digitized by Google

tura hunc locum accipientium, hoc tantum, uti loquebantur, minoris Patre; quod hic *ingenitus*, Filius non item. Certe Alexander Alexandrinus ea ipsa epistola ad Alexandrum CPolitanum, qua dogma Arianum egregie refellit (quam Theodoritus I. hist. 4. inseruit) Filium Patri per omnia similem dixit, ac μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκεῖνε, *hoc solo inferiorem Patre, quod ingenitus non est*. Ac post non pauca rursus ait: τὸ δὲ ἀγέννητον τῷ Πατρὶ μόνον ἰδίωμα παρεῖναι δοξάζοντες, ἅτε δή καὶ αὐτῦ Φάσκοντος τῦ Σωτῆρος, ὁ Πατήρ μυ μείζων μυ ἐστί. *Solum vero ingenitum Patris proprium esse dicamus, cum & ipse Servator dixerit, Pater major me est.*

AD JOH. XV. 13.

Majorem hac dilectionem nemo habet, ut animam suam ponat quis pro amicis suis] Vt falsum est aurum, quod obrizi speciem ac fulgorem mentitur, sed neque soliditatem nec ceteram auri naturam assequitur; sic hujus quoque principis Christianarum virtutum falsa quaedam exempla ethnicismus praesetulit. Id vero dupliciter: sive cum quis vice alterius mortem oppeteret, sive una cum altero pariter occumberet. Quod ad prius attinet; persuasum veteribus fuit posse alicujus fata produci, si ejus vicem alter, tanquam hostia succidanea, subiret. De quo more videsis Casaubonum ad quartum Suetonii librum, & ad Spartiani Hadrianum cap. 14. Tale apud Spartianum ibidem & Dionem, necnon Aurelium Victorem est Antinoi factum sese pro Hadriano devoventis. Aristides sacrarum quinta, se periculose aegrotantem narrat oraculo monitum, ὅτι ἡ Φιλουμένη ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς, καὶ σῶμα ἀντὶ σώματος ἀντέδωκε, τὰ αὐτῆς ἀντὶ τῶν ἐμῶν. Notari velim hanc Aristidis locutionem ψυχὴν ἀντὶ ψυχῆς ἀντιδῦναι, non absimilem illi, quam heic Evangelista usurpavit ψυχὴν τιθέναι. Id quod accidit; nam moriente Philumena, convaluit Aristides. Sicut & jam antea Hermeas pro eodem Aristide mortem oppetiisse visus. Dictys Cretensis: *Adfuit & Eumelus Pheraeus, cujus pater Admetus quondam vicaria morte conjugis propria fata protulerat*. Hujusmodi & ἀντίψυχοι, & ἄνταυδροι vocabantur. Lucianus Tyranno: καὶ ἄνταυδρον ὑμῖν ἀντ' ἐμαυτῦ παραδώσω. Quod autem heic Evangelista ψυχὴν τιθέναι pro aliquo dixit, id Hispani apud Strabonem & Plutarchum eleganter κατασπένδειν ἑαυτὸν (pro quo Paulus αὐτοπαθῶς usurpavit σπένδομαι 2. Tim. IV. 6.) dicebant. Quanquam Hispanorum, ut & Solduriorum, de quibus mox, exempla de eorum genere sunt, qui cum alio ἐναποθανεῖν animum inducebant. Strabo lib. III. p. 165. Hispanorum morem fuisse ait τὸ κατασπένδειν αὐτοὺς, οἷς ἂν προσθῶνται· ὥστε ἀποθνήσκειν αὐτὺς ὑπὲρ ἑαυτῶν· *devovere se pro iis, quorum amicitiam amplectuntur, ita ut mortem pro iis oppetant*. Plutarchus Sertorio de iisdem Hispanis ait: Ἔθος δ' ὄντος Ἰβηρικῦ, τὺς περὶ τὸν ἄρχοντα τεταγμένυς συναποθνήσκειν αὐτῷ πεσόντι, καὶ τῦτο τῶν ἐκεῖ βαρβάρων κατάσπεισιν ὀνομαζόντων, τοῖς μὲν ἄλλοις ἡγεμόσιν ὀλίγοι τῶν ὑπασπιστῶν καὶ τῶν ἑταίρων, Σερτωρίῳ δὲ πολλαὶ μυριάδες ἀνθρώπων κατεσπεικότων ἑαυτὺς· κατηκολούθυν. Eundem morem Celtiberis tribuit Val. Max. lib. II. 1. 6. Gallis Hispanorum vicinis idem in usu fuit, ut quod de Gallor. Solduriis Caesar narrat *de bell. Gall.* III. 22. *Adcantuanus*, inquit, *qui summam imperii tenebat, cum sexcentis devotis, quos illi Solduries appellant: quorum haec est conditio, ut omnibus in vita commodis una cum*

Digitized by Google

eum his fruantur, quorum se amicitiae dediderint: si quid iis per vim accidat, aut eundem casum una ferant, aut sibi mortem consciscant. Neque adhuc hominum memoria repertus est quisquam, qui eo interfecto, cujus se amicitiae devovisset, mori recusaret. De iisdem Damascenus apud Athen. Haec autem Christi sententia generalis est, ut tam de Christo intelligatur, cujus divina caritas eo usque processit, ut pro sontibus ipse innocens mortem subiret; tum martyribus Christo & pro Christo commorientibus h. e. κατεστιχόσιν ἑαυτὺς: id quod Dio lib. 53. καθοσιῦν & καθοσιῦσθαι appellavit. Atque huic loco nititur *baptismus sanguinis*, quem vocant. Nam quia nulla major, quam in martyrio, caritas sese prodit: eadem caritas efficit, ut ex baptismi inopia, tanquam sanguine loti salvi fiant: Vide quae de baptismo sanguinis diximus ad Matt. XX. 22. Vide praeterea, quae de voce ἀντίψυχον Valesius affert ad Eusebii or. de laud. Const. c. 15. Et Svicerus Thesauro.

AD JOH. XV. 14. 15.

Vos amici mei estis, si feceritis quae ego praecipio vobis. Jam non dicam vos servos: quia &c.] Cyprianus (ep. 63.) ad Caecilium, & initio lib. de unitate Ecclesiae, finem commatis 14. cum initio 15. nectit in hunc modum: *Si feceritis quae* (at ep. ad Caecil. *quod*) *mando vobis; jam non dico vos servos, sed amicos.* Postremum hoc *amicos* deest in Gr. & Vulg.

AD JOH. XV. 15.

Vos autem dixi amicos, quia omnia quaecunque audivi a Patre meo, nota feci vobis.] Cum *amicos* dicit, adsessores sibi eos adsciscit; ita ut negotiorum & consiliorum omnium, participes fierent. Notum quid sint *amici Augustorum* in historia Augusta. Adeatur Salmasius ad Spartiani Hadrianum cap. 18. erudite de his differentem, ubi & de variis istiusmodi *amicorum* primae, secundae, tertiae admissionis classibus agit, quos postea Constantinus *Comites* appellavit, & primi, secundi, ac tertii ordinis esse jussit. Quod ergo apud Caesares *amici* sive *comites* fuere, hoc in Christi regno fuere Apostoli, primae admissionis amici; tum LXXII, qui secundae admissionis; postremo complures alii discipuli (saltem ex illis *plusquam quingentis fratribus* 1. Cor. XV. 6.) qui tertiae admissionis, dici poterant.

AD JOH. XV. 18.

Si mundus vos odit, scitote &c.] Graece: εἰ ὁ κόσμος ὑμᾶς μισεῖ. Cyprianus epist. 56. sic Johannis textum hunc profert, ut quoties Graece κόσμος, toties *saeculum* latine redderet: *Si saeculum vos odit, mementote, quia me priorem vobis odit. Si de saeculo essetis, saeculum quod suum esset, amaret. Sed quia de saeculo non estis, & ego elegi vos de saeculo, propterea odit vos saeculum.* Sic etiam illud *Ego sum lux mundi*, idem vetus interpres apud Cypr. extrema ad Caecilium epistola exhibet sic: *Ego sum lumen saeculi.* Ex quorum locor. indicio suspicor hujus interpretationis, quam heic usurpat Cyprianus, auctorem fuisse Judaeum ῥωμαΐζοντα· qui cum sciret hoc Graecis esse κόσμον, quod Syro-Chaldaeis עלם *olam*, istud autem primario *saeculum* significare (certe enim τὸ *olam* LXX nunquam aliter quam αἰῶνα verterunt) secundaria vero significatione *mundum*; imo cum animadverteret *saeculi* notionem heic, quam *mundi*, longe esse convenientiorem; erudite in hunc modum est interpretatus. Equidem praestare non ausim, primaevam omnem interpretationem latinam ab Judaeis latine doctis profectam. Tamen

men ſiquis ad ejus verſionis, quatenus nobis per priſcos patres innotuit, linguae impuritatem animum adverterit, nae is facile ſibi perſuaderi ſinet, non potuiſſe alterο aut tertio Chriſti ſaeculo, in tanta Latini ſermonis luce, quemquam iſto modo ſcribere, niſi alio ſub caelo ortum, ac Latine balbutientem; qui coactus *verba noſtra conari*, peregrinitatem interim bibliis Latinis infudit.

Scitote, quia me priorem vobis odio habuit] Gr. Πρῶτον ὑμῶν. At noſter maluit *priorem*; quia ſic poſterior Latinitas dicere conſuevit. Celebre eſt Favorini dictum apud Spartianum Hadriano cap. 15. *Non recte ſuadetis, familiares, qui non patimini, me illum* (Hadrianum) *DOCTIOREM omnibus credere, qui habet triginta legiones.*

AD JOH. XVI. 2.

Sed venit hora, ut omnis qui interficit vos, arbitretur obſequium ſe praeſtare Deo] Pro ἔρχεται vetus verſio apud Cyprianum habet *veniet*, nimirum enim ſaepe in hoc ipſo Johannis Evangelio praeſens pro inſtanti tempore ponitur; ut *ſcio quia Meſſias* ἔρχεται (*jam jam venturus eſt*). Quod ſequitur: λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ: Pro λατρείαν in eadem vetere verſione non *obſequium* ſed *officium* legebatur. Sic citat Auguſtinus epiſt. ad Bonifacium comitem, & Cyprianus tum initio epiſt. 56. tum etiam epiſt. ad Fortunatum de exhort. Mart. cap. XI. (nam in III. Teſtim. 16. variant codices) ſed in utraque illa epiſtola ſic exhibetur hic locus: *Veniet hora, ut omnis qui vos occiderit, putet ſe officium Deo facere.* Nec aliter Tertullianus hunc locum Latine effert De jejun. cap. 13. (*); ut ex tot teſtium conſenſu non ſit dubitandum quin vetus Latina verſio non alio modo habuerit (**). Quantivis autem pretii haec verſio; hinc enim officii Eccleſiaſtici vera origo appellationis deprehenditur; atque errare eos, qui ſic dictum putant, quod id proprium Clericorum ſit munus. Atqui Cyprianico aevo officium tantumdem Latine valebat, quod ex uſu Graecae Eccleſiae λατρεία (quod heic in fonte uſurpatur) aut hujus ſynonymon λειτουργία aut poſtremo ὑπηρεσία, nam in veteribus Gloſſis *officium* tantundem eſt quod ὑπηρεσία. Accedit quod ſicuti verbum προσφέρω tum heic, tum Mat. V. 23. 24. VIII. 4. Act. VII. 42. Heb. V. 1. 3. 7. VIII. 3. 4. 7. IX. 9. & paſſim ead. epiſt. & ſaepe apud LXX verbum λειτουργικὸν ac λατρευτικὸν eſt, ac de ſacrificiis atque hujuſcemodi rebus uſurpatur; ſic Latinis *Facio* abſolute poſitum (ut

(*) Dicto loco Tertullianus indicendi jejunia morem laudans ait: *Sic meum eſt! ultro OFFICIUM FACERE DOMINO* (ideſt quod heic apud Joh. Graece legitur λατρείαν προσφέρειν τῷ Θεῷ) *ſic ut indicere illius* (Paracleti, quem jactabant Montaniſtae) *eſt. Non tantum obſequi* (id quoque ad λατρείαν hujus loci refertur) *ei debeo, ſed & adulari: illud enim imperio ejus, hoc arbitrio meo praeſto.* Et infra: *Paracletus . . . hujuſmodi officiorum* (jejunia Montaniſtica intelligit) *remedia mandabat.*

(**) Non aliter, inquam, quam officium vetus verſio habuit; idque non mutavit, opinor Hieronymus, ſed librarii, qui ex *officium* aut *obficium* unius mutatione litterae fecere *Obſicium*. *Obſicium* autem pro *Obſequium* (Graecorum imitatione, quibus eſt ὀψίκιον) ſequiore aetate dicebatur, ut *comes obſicii*, *primus ſtratorum obſicii* &c. teſte Caſaubono ad Capitolini Pertinacem cap. XI. Hinc manavit opinor quod hodie legitur *obſequium*, quod ceteroqui ſynonymon eſt *officii*; nam *obſequium* non minus quam officium & Auguſtorum & magiſtratuum apparitionem ſive comitatum ſignificat; & *obſequium* pro *officio* Eccleſiaſtico etiam uſurpabatur. Vtriuſque notionis plurima exempla ſuppeditabit Cangius.

Digitized by Google

(ut saepe apud profanos) ac *facere officium* apud Ecclesiae scriptores saepissime, quoties de *cursu Ecclesiastico* sive rebus liturgicis sermo est. Itaque cum quodcumque ecclesiasticum ministerium λειτουργία aut λατρεία Graece diceretur, id, uti dixi, Latina Ecclesia per vocem *officium* jam inde a principio est interpretata. Neque enim psalmodiam solum, sed & Dominicum hujus vocabuli *officium* ambitus complectebatur.

Hinc etiam altera celebris ejusdem vocis significatio detegitur, qua apud ejusdem aevi scriptores *officium* magistratuum apparitores, sive apparitionem designat; nam quia *officium* λατρείαν significabat, hinc ipsos λατρεύοντας (uti saepe abstracta pro concretis usurpantur) h. e. apparitores notare coepit; uti vulgo Itali servorum comitatum *servitutem* appellant. Id adeo vocabulum eadem plane notione a saecularibus magistratibus ad Ecclesiam transiit. Victor Vitensis II. 17. *Pergit cum eo comitante officio clericorum, ad fontem:* ubi nempe baptismus erat administrandus. Bundemundus in vita S. Amandi n. 5. *Rursum cum officio clericorum Romam perrexit.*

Officium se facere &c.] Officium est ὄνομα λειτουργικὸν apud Vopiscum Aureliano cap. 25. *Ac statim ad templum Heliogabali tetendit, quasi communi officio vota soluturus.*

AD JOH. XVI. 8.

Arguet mundum de peccato] Quia Dominus fore dixit, ut Spiritus Dei mundum argueret de peccato; iccirco Daemon is qui per Cataphrygarum prophetidas loquebatur, alios quidem beatos praedicabat & promissorum magnitudine deliniebat; ἐσθ' ὅτε δὲ καὶ κατελέγχοντος τῦ πνεύματος ἐκείνε τοχαστικῶς καὶ ἀξιοπίστως αὐτὸς ἄντικρυς, ἵνα καὶ ἐλεγκτικὸν εἶναι δοκῇ (uti vetus innominatus auctor apud Eusebium V. hist. Eccl. 16. scribit) h. e. *interdum tamen conjecturis & fide dignis argumentis utens, palam eos condemnabat; ut etiam objurgator spiritus videretur.*

AD JOH. XVII. 3.

Haec est autem vita aeterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum] Solus verus Deus est Pater, quia enim est fons & origo Deitatis, eidem Dei nomen ita proprie attribuitur, ut quoties Deus simpliciter & absolute in Scripturis dicitur, Pater intelligi soleat. Ex eo autem non magis sequitur, Filium non esse verum Deum, quam ex eo quod Sapientia Filio, aut Spiritui Sancto bonitas tribuatur, ea attributa non esse tribus communia. Ac mihi persuadeo abusos hoc loco Arianos; nam Eusebius, qui Or. de laudibus Constant. cap. XII. de Patre dixit τοῦτον μόνον ἀληθῆ Θεὸν τὰ θεῖα λόγια εἰδέναι παιδεύει. *Hunc solum verum Deum agnosci debere sacra docent oracula:* idem epistola ad Euphrationem, Filium non esse verum Deum affirmavit; quod ei Athanasius objecit, ac Patres VII. Synodi. Vide Valesium ad Or. de laud. Const.

AD JOH. XVIII. 1.

Trans torrentem Cedron] Confer Synopsim heic & Buxtorfium in Lex. Chald. in קדר, & me in Etymologico in CEDRVS.

AD

AD JOH. XVIII. 2.

Sciebat autem & Judas . . . locum: quia frequenter Jesus convenerat illuc cum discipulis suis] Ex frequenti in hortum Gethsemani accessu orationis caussa, potes discere hortos Judaeis pro proseuchis habitos. Juvenalis Sat. 3.

Nunc sacri fontis nemus & delubra locantur
Judaeis, quorum cophinus foenumque supellex.
Omnis enim populo mercedem pendere jussa est
Arbor, & ejectis mendicat silva Camoenis.

Quo postremo versu morem Judaeorum stipem in proseuchis rogantium tangit. Vide quae in eum Juvenalis locum diximus ad Matt. XXIII. 14.

AD JOH. XVIII. 6.

Abierunt retrorsum & ceciderunt] Ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω καὶ ἔπεσον χαμαί. Posterius est, ni fallor, prioris ἐπεξήγησις· nam & Hectoris uxor ex animi deliquio retrorsum cecidit, apud Hom. Il. XXII. 467.

Ἤριπε δ' ἐξοπίσω, ἀπὸ δὲ ψυχὴν ἐκάπυσσε.
Illa quidem externata malo prolapsa retrorsum est.

Abjerunt retrorsum & ceciderunt in terram] Duo dicit & abiisse retrorsum, & corruisse. Neque enim illud ἀπῆλθον εἰς τὰ ὀπίσω idem est cum subsequenti membro; quasi vero supini conciderint; sed significat se subduxisse; eosdem vero mox inter recedendum ruisse notat. Similis est locutio Matt. XVI. 23. ὕπαγε ὀπίσω μου Σατανᾶ.

AD JOH. XVIII. 9.

Ut impleretur sermo, quem dixit] Supra Johannes: *Quia quos dedisti mihi* (electos scil.) *non perdidi ex eis quemquam*. Ostendit Evangelista, verba illa Christi modo indicata, duplex complementum habere, unum de incolumitate corporis (in quam partem heic is locus accommodatur) alterum μυστικώτερον & praestantius de aeterna salute. Sic & alterum illud Servatoris dictum *Centuplum accipietis*, &c. dupliciter verum esse solet ἐπὶ τὸ πλεῖστον. Nam quod rarius accidit, id non laedit ἀποφάσεως τὸ γενικόν.

AD JOH. XVIII. 10.

Erat autem nomen servo Malchus] Frequens apud Palaestinos ceteramque Syriam nomen. Quoscunque potuit Malchos, Holstenii diligentia collegit in vita Malchi, qui Graece βασιλεὺς & Πορφύριος est appellatus. Nam & Cleodemum, cui & Malcho nomen fuit, historiae Judaicae scriptorem ex Alex. Polyhistore memorat Josephus I. ἀρχαιολ. 16. & Malchum ducem I. bell. Jud. 6. 9. & Malchum Martyrem Caesareensem Eusebius VII. 2. & Malchum Philadelphensem sophistam Rer. Byzantinar. scriptorem Photius cod. 70. & Malchi Eremitae Syri *natione & lingua* vitam Hieronymus scripsit. Apud Gruterum 93. 5. M. VLPI · MALCHI · 317. 7. T. AEL · MALCO · 1108. 8. C · IVLI · MALCHI · legitur; & apud eundem totidem Malchiones occurrunt.

AD JOH. XVIII. 13.

Ad Annam primum. Erat enim socer Caiphae] Duxerunt ad Annam primum, utpote Synedrii praesidem & ethnarcham. Cur ergo subjungitur αἰτιατικῶς *Erat enim socer Caiphae*? Non dubito quin γὰρ hoc loco aut redundet, (ut aliis locis, quos refert, Schmidius ad Matt. 1. 18.) aut ἐξηγητικὸν, nihilque aliud valeat, quod *nempe*, *certe*, aut quod particula δὲ, aut quod Hebraicum

Digitized by Google

cum כ *chi*, quod etiam saepe est expletivum, aut ἐξηγητικόν. Vide dicta ad Luc. III. 2.

Caiphae qui erat pontifex anni illius] Postquam Romanorum nutu res Judaica temperari coepit: pontificatum antea perpetuum in annuum transmutarunt; cujusmodi apud gentiles erant plerunque sacerdotia. Hinc in veteribus titulis flaminibus ceterisque hujusmodi appellationibus nonnunquam numerus adscribitur, quo bis terve gestum sacerdotium significetur. Idque ad discrimen pontificum aut flaminum *perpetuorum* aut διὰ βίου, quos etiam passim in veteribus monumentis reperias. Idem heic fortasse discrimen fuerit; ut non alia de causa Caiphas pontifex anni illius diceretur, quam ut distingueretur a socero suo Anna, qui erat, opinor ἀρχιερεὺς διὰ βίου, utpote Judaici concilii praeses. Et Annas quidem erat appellatione tenus pontifex; Caiphas autem, quippe ἐναύσιος, etiam ministerio. Honores maximos Annae habitos tradit Josephus, ni fallor ob eam causam, quod eorum, qui pontificatum gessissent, esset omnium natu maximus: id quod etiam cum ethnicorum disciplina consentit. Apud Grut pag. 314. 1. legitur: Ο ΠΡΕCΒΥΤΑΤΟC ΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΥ CΑΡΑΠΙΔΟC.

AD JOH. XVIII. 18.

Stabant autem servi & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se.] Graece εἱστήκεισαν δὲ . . . ἀνθρακιὰν πεποιηκότες. Quid sibi vult *stabant . . . quum prunas fecissent?* Ἀνθρακιὰ in veteribus Glossis vertitur *Ramalis prunarum*. Sed ex Manuscriptis legendum est *Ramalis pruna*. Nimirum enim quod ex succensis ramalibus supereſt, id ἀνθρακία appellatur. Et quidem quum Marcus XIV. 54. & Lucas XXII. 56. eos πρὸς τὸ φῶς sedisse ajunt, satis innuunt eos ad lucentem sive flammantem ignem stetisse: Johannes vero stetisse ait ἀνθρακίαν πεποιηκότας i. e. desita flamma adhuc ad superstites prunas substitisse. Ex hac tantula temporis distinctione perspicitur, cur Marcus & Lucas sedentem Petrum induxerint, Johannes stantem.

AD JOH. XVIII. 23.

Si male locutus sum testimonium perhibe de malo &c.] Gr. μαρτύρησον. At Cyprianus ep. 65. & 69. habet: *exprobra de malo*. Hieronymus lib. 2. adv. Pelagianos *argue de* &c. Nimirum enim μαρτυρῆσαι apud Hellenistas non tam testium, quam accusatorum verbum est.

AD JOH. XVIII. 35.

Quid feciſti?] Supple *mali*. Sic & Ps. X. 4. *Justus autem quid fecit?* Cujusmodi est illa senatorum acclamatio de Tetrico in Trebellii Claudio cap. 4. *Claudi Auguste, Tetricus nihil fecit*; sic enim ex Palatino cod. legendum pro vulgato *nihil fuit*. Sic sermone idiotico consuevimus pro *nihil mali fecit*.

AD JOH. XVIII. 37.

Ego in hoc natus sum &c.] Graece εἰς τοῦτο. Idem loquendi genus ad Rom. XIV. 9. 1. Pet. II. 21. III. 9. & 1. Joh. III. 8. Sed & quod interpres posuit *In hoc*, probe Latinum est. Phaedrus prologo lib. V.

In hoc, ut aliis esset materiae satis.

AD JOH. XIX. 10.

Nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te?] Optime interpres ἐξουσίαν *potestatem* vertit heic, & Matt. XX. 25. & Luc. XXII.

Digitized by Google

XXII. 25. & ad Rom. XIII. 1. 2. 3. *Poteſtatis* vocabulum in jure Romano merum imperium notat, (vide l. *nec magiſtratibus*. D. *de injuriis*, ubi cum *ſine imperio*, *aut ſine poteſtate* dicitur, priore vocabulo miſtum imperium, poſteriore merum intelligitur) quod definit Vlpianus l. *imperium*, D. *de juriſd. Eſt poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos*. In provincias praeſides cum poteſtate h. e. mero imperio mittebantur, ut ex multis legibus patet. Et quidem ſatis fuiſſet Romano praeſidi dicere: *Neſcis me ea exercere omnia, quae poteſtatis ſunt?* Nunc autem ut peregrinis auribus ſermonem attemperet, περιφράζει in eum modum, quò Johannes recitat.

Poteſtatem habeo crucifigere te] Hinc patet vana juris interpretum περιεργία, qui legem *illicitas*, §. *qui univerſas*, D. *de offic. Praeſidis* (qua lege jus gladii & in metallum datio praeſidi permittitur) ſtricte interpretantur, ut gladio punire poſſint, laqueo aliiſve modis non poſſint.

Poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te] Vox iſta Romani praeſidis videtur favere Alciato ad l. *poteſtatis*, D. *de verb. ſign.* cauſſas criminales merae judicantis voluntati relinqui exiſtimanti. Falſo. Nam ex l. 1. §. 4. D. *ad Turpil.* & l. 15. D. *ad municip.* & ex Harmenopulo VI. Prochiri 3. poenae perſecutio non a judicantis voluntate, ſed a legis auctoritate dependet. Quare ex eo *poteſtati* ſive *mero imperio* nomen datum, quia non cohaeret juriſdictioni, nec ei deſervit (ut eſt de miſto imperio) ſed ab ea eſt omnino disjunctum, & per ſe ſtat; uti diſputat Eguinarius *de Juriſd.* pag. 26.

AD JOH. XIX. 11.

Non haberes poteſtatem adverſum me ullam, niſi tibi datum eſſet deſuper.] Anceps reſponſio; nam illud ἄνωθεν poteſt & *caelitus* ſignificare, (qua notione Chriſtus accepit) & ita ut a Caeſare tranſmiſſa in eum poteſtas fuerit, quo fort. ſenſu praeſes dictum putavit. Nam a principe praeſes gladium accipiebat, & non niſi ejuſdem permiſſu de criminibus cognoſcebat, ex l. *lege Julia*, D. *ad legem Jul. pecul.* Adde, ſi lubet, ex clarorum juris interpretum ſententia, magiſtratum qui merum habet imperium, non niſi ejuſdem exercitium, uti loquuntur, habere, jure penes principem reſidente. Verum Chriſtus, uti dixi, priore ſignificatu hoc uſurpavit: eoque ſpectat illud Apoſtoli ad Rom. XIII. 1. *Non enim eſt poteſtas niſi a Deo*. Quae Pauli ſententia multo magis in Chriſtum convenit (& eſt illud *Adverſum me* ἐμφατικὸν) quem *definito conſilio & praeſcientia Dei* (Act. II. 23.) traditum Pilato conſtat. Vide etiam Act. IV. 28.

AD JOH. XIX. 15.

Tolle, Tolle, crucifige eum] Praeter Syriacam ſignificationem, ſignificat occidere. Lactantius de mort. perſec. c. XI. *Proprio adverſus Chriſtianos odio inimicos deorum, & hoſtes religionum publicarum tollendos eſſe cenſuerunt.*

AD JOH. XIX. 12.

Si dimittis hunc, non es amicus Caeſaris] De amicis Caeſaris vide quae dixi ad Joh. XV. 15. ac multo plura apud Salmaſium ad Spartiani Hadrianum. Sicut libera rep. magni fiebat in populi R. amicitiam admitti, idque qui conſequerentur reges, Φιλορωμαῖοι dicebantur (quod praeter hiſtoricos, nummi hodieque de Ariobarzane & Ariarathe teſtantur): ita ſub Caeſaribus maximi id erat honoris genus, a regibus etiam expetitum; unde Agrippa rex ΦΙΛΟΚΑΙΣΑΡΙΟΣ in nummis legitur. Quanti ſit faciendum Καίσαρος φίλον εἶναι,

Digitized by Google

εἶναι, ex Arriani dissertationibus in Epictetum lib. 3. c. 26. disci potest. Non enim sterile ac nudum hoc *amicorum Caesaris* nomen fuit, sed *amici* iidem erant qui consiliarii & assessores, & in varias classes tribuebantur (quos postea Constantinus *comites* appellavit, qui inter imperii dignitates recensebantur) per eos & ex eorum consilio bellica juxta & civilia negotia Caesar expediebat; id quod de Alexandro Severo diserte tradit Lampridius.

Omnis enim, qui se regem facit, contradicit Caesari] De Jesu prorsus haec intelligenda, non de Pilato, ut vulgo solent. Neque enim Pilatus absolvendo Jesum, se regem gerebat. Sed falli solent particula caussali *Enim*, quae tamen a Graeco fonte abest, nisi quod in solo Cantabrigiensi codice, qui olim Bezae fuit, quique non optimas lectiones offerre solet, legitur particula γάρ. Sed etsi maxime retineatur αἰτιολογία illa, non continuo ad Pilatum haec sunt referenda. Scitum est enim Hebraeo atque Hellenistico sermone saepe causssas reddi ejus quod reticetur, quod tamen ex orationis contextu satis intelligitur. Ita si mavis hîc retinere causssalem; esset αἰτιολογία τῦ σιωπωμένυ. Vociferabantur Judaei, videret Pilatus, ne Jesum absolvens, a Caesaris excideret amicitia. Cur hoc? Quia nimirum non se gerit amicum Caesaris is, qui Caesaris hostes non insequitur. Hoc est τὸ σιωπώμενον, quocum illud connectitur, quod statim sequitur: *Omnis enim qui se regem facit, contradicit Caesari* h. e. hostis est Caesaris. Ergo cum Jesus regium sibi nomen arrogarit, omnino plectendus est. Vide infra v. 19. 20. 21. prorsus intelliges, Judaeos non ob aliud crimen voluisse Christum in crucem actum videri, quam propter arrogatum sibi regnum.

AD JOH. XIX. 19.

Titulum] Elogium intelligit. Erat enim *elogium* brevis annotatio criminis, seu titulus criminis, ut dicitur l. 3. D. Stellionatus. Graece appellatur & ἔλεγχος & ἀναγραφή, ut est in veteribus Glossis. Eadem notione sumitur *elogium* apud Suetonium Caligula, & l. ult. C. Th. *De naviculariis*.

AD JOH. XIX. 20.

Hunc ergo titulum multi Judaeorum legerunt: quia prope civitatem erat locus, ubi crucifixus est Jesus. Et erat scriptum Hebraice Graece & Latine] Tolle τελείαν στιγμὴν post *Jesus*. Duplicem enim affert causssam, cur multi Judaeorum legerint, tum loci propinquitatem, tum tituli πολυγλωττίαν, ut etiam Hellenistae, qui ad festivitatem venissent, quamvis Hebraice nescirent, legere potuerint. Capitolinus Gordiano tertio, ultimo capite: *Gordiano sepulcrum milites . . . fecerunt in finibus Persidis, titulum hujusmodi addentes & Graecis & Latinis & Persicis & Judaicis & Aegyptiacis litteris, ut ab omnibus legeretur: DIVO GORDIANO* &c. Bilingues quidem titulos in lapidibus aut nummis scalptos non raro invenire licet.

AD JOH. XIX. 23.

Acceperunt vestimenta ejus . . . & tunicam.] Hinc patet impleta fuisse Davidica vaticinia, non ea tantum, quae ad sortitionem vestium, sed & ea quae ad nuditatem pertinent: nam Ps. XXI. ante ea verba *Divisérunt sibi* &c. illud de nuditate praecedit, *Dinumeraverunt omnia ossa mea*; itemque *Considerâverunt & inspexerunt me*. Vtrumque, inquam, heic impletum Johannes docet; de vestium quidem divisione disertim, de nuditate vero saltem oblique. Nam dum praeter vestimenta cetera etiam tunicam illos sortitos narrat, ex eo palam arguitur, Je-

Digitized by Google

ſum tunica detracta nudum fuiſſe relictum. Illud non item conceſſerim, quod quidem pertendunt, eam nuditatem fuiſſe omnimodam, ita ut ea quoque invelata remanſerint, quae pudor velari jubet. Non ea enim conſuetudo Romanorum fuit; qui quoties noxios in equuleo ſuſpendi juberent, ſimul eos ſuccingi imperabant, nequid pudorem obviolaret. De eo more vide quae infra ad cap. XXI. 18. ex Actis S. Tarachi Mart. adnotabimus.

Milites ergo . . . acceperunt veſtimenta ejus, & fecerunt quatuor partes, unicuique militi partem.] Hinc vides tunc licuiſſe carnificibus *pannicularia* ſibi vindicare, ſive id jure ſuo, ſive conniventibus praeſidibus. At poſtea coërcita eſt ea licentia, ac damnati ſpolia ſive in *Chartiaticum*, ſive alios ejuſcemodi uſus arbitratu praeſidis erogata fuere. Patet id ex Hadriani reſcripto ad Aquil. Braduam apud Vlpianum l. 6. D. *de bonis damnatorum* & ex iis, quae ibi Vlpianus addit. Proderit totam eam legem, etſi paullo eſt longior, producere „ Divus Hadrianus „ Aquilio Braduae ita reſcripſit. *Pannicularia cauſa quemadmodum intelligi debeat ex ipſo nomine apparet: non enim bona damnatorum pannicularia ſignificari quis probe dixerit: (Nec) ſi zonam circa ſe habuerit, protinus aliquis ſibi vindicare debebit: ſed veſtem, qua is fuerit indutus, aut nummulos in ventralem, quos victus ſui cauſa in promtu habuerit, aut leves annulos, id eſt, quae rem non excedunt aureorum quinque. Alioquin ſi quis damnatus digito habuerit aut Sardonycha, aut aliam gemmam magni pretii, vel ſi quod chirographum magnae pecuniae in ſinu habuerit: nullo jure illud in pannicularia ratione tenebitur „ Pannicularia* ſunt ea, „ quae in cuſtodiam receptus ſecum attulit ſpolia: quibus indutus eſt, cum „ quis ad ſupplicium ducitur, ut & ipſa appellatio oſtendit: ita neque ſpecula„ tores ultro ſibi vindicent, neque optiones ea deſiderent, quibus ſpoliatur, quo „ momento quis punitus eſt. Hanc rationem non compendio ſuo debent praeſi„ des vertere: ſed nec pati optiones, ſive Commentarienſes ea pecunia abuti: „ ſed debent ad ea ſervari, quae jure praeſidum ſolent erogari: ut puta Char„ tiaticum quibuſdam officialibus inde ſubſcribere: vel ſi qui fortiter fecerint „ milites, inde eis donare, Barbaros etiam inde munerari venientes ad ſe vel „ legationis, vel alterius rei cauſa. Plerumque etiam inde conraſas pecunias „ Praeſides ad fiſcum tranſmiſerunt: Quod perquam nimiae diligentiae eſt: quum „ ſufficiat, ſi quis non in uſus proprios verterit: ſed ad utilitatem officii patia„ tur deſervire „

Erat autem tunica inconſutilis] De ἀῤῥάφῳ Chriſti Domini copioſe agit Salmaſ. ad Vopiſci Aurelianum pag. 566. totuſq. in eo eſt, ut ἄῤῥαφον idem putet quod ſine fibulis, in quo ſuffragatorem habet Grotium &c.

AD JOH. XIX. 24.

Et in veſtem meam miſerunt ſortem] Pro Heb. לבושי *lebuſi, veſtem meam*, Chaldaice eſt פתגי phethagai *veſtem lineam meam*. Nam & Joſephi *tunica phaſſim* (quae hanc CHRISTI adumbrabat) linea erat, uti diximus diſſ. *de tunica phaſſim* ad Gen. XXXVII. 3.

AD JOH. XIX. 25.

Stabant autem juxta crucem Jeſu mater ejus, & ſoror matris ejus &c.] Εἱστήκεισαν. Poſitu corporis, animi conſtantiam notari volunt. Quanquam ne id neceſſe quidem. Nam & Livius cum, verbi cauſſa II. 40. Veturiam Coriolani matrem *inſignem maeſtitia . . . inter nurum nepoteſque ſtantem* narret, nihil de ejuſ-

Digitized by Google

ejuſdem conſtantia inferri voluit, ſed quod hunc habitum corporis illa temporis circumſtantia poſceret.

AD JOH. XIX. 27.

Accepit eam diſcipulus in ſua.] Caeſar in III. de bel. civ. 30. *Partem* (legionum) *IN SVA remiſit.*

AD JOH. XIX. 28.

Sitio] Heb. צמא *tſame* Pſ. XLII. 3. & LXIII. 2. de animae ſiti capitur. Graeci quoque διψῶ eadem notione uſurparunt. Xenoph. X. Paed. 4. διψῶ χαρίζεσθαι ὑμῖν. Plato VIII. de rep. πόλις ἐλευθερίας διψήσασα. Πολυδίψιον Ἄργος apud Homerum veteres grammatici apud Strabonem lib. VIII. pag. 370. non *ſiticuloſum* ſed πολυπόθητον exponebant. Poſtremo διψᾷν nihil aliud eſſe quam ἐπιθυμεῖν Artemidorus ſcripſit. Haec eo dixi, quod utraque ſiti laboraſſe Chriſtum putem, tum corporea, tum ea etiam, de qua Pſalmographus *Sitivit anima mea ad Deum.*

AD JOH. XIX. 29.

Vas ergo erat poſitum aceto plenum] Vaſorum acetariorum multa exſtant nomina apud Pollucem, ceteroſque grammaticos; de quibus vide H. S. in thes. in voce ὀξὶς. Cur acetum Chriſto ſitienti propinatum fuerit, aperta eſt cauſſa, eaque ex recepto more repetenda. Nam quia ſitis in cruciatibus maxima eſſe ſolebat, hinc acetum ad reſtinguendam ſitim praeſto habere ſolebant. Aceti adverſus ſitim vires teſtatur Plutarchus de Catone Cenſorio: Ὕδωρ δὲ ἔπινεν ἐπὶ τῆς στρατείας, πλὴν εἴποτε διψήσας περιφλεγῶς ὄξος ἤτησεν, ἢ ἰσχύος ἐνδιδόσης ἐπιλάβοι μικρὸν οἰνάριον. *Aquam in expeditione bibebat, niſi ſi quando ſiti flagrans acetum popoſcit, aut viribus defectus exiguum villi ſumſit.* Ob eandem cauſſam militibus poſca dabatur, hodieque meſſoribus in Apulia, ſi vera narrant. Nil mirum, nam & ad reſtinguenda incendia aceto olim utebantur, teſte Vlpiano l. 3. §. 5. *de penu legata* ac l. 12. §. *Acetum*: de inſtructo vel inſtrumento legato: *Acetum quoque*, inquit, *quod extinguendi incendii cauſſa paratur.* Macrobius VII. Sat. 6. *quid aceto frigidius, quod culpatum vinum eſt? Solum enim hoc ex omnibus humoribus creſcentem flammam violenter extinguit, dum per frigus ſuum calorem vincit elementi.*

AD JOH. XIX. 30.

Tradidit Spiritum] Gr. παρέδωκε τὸ πνεῦμα. Capitolinus de Antonino Pio cap. 12. *Spiritum reddidit apud Lorium.*

AD JOH. XIX. 31.

Erat enim magnus dies ille Sabbati] Vox *Sabbati* heic non pro ſeptimo die ponitur (etſi eo anno re ipſa ſeptimus dies fuit) ſed eſt vox communis omnibus feſtis. Sicuti Levit. XXIII. 15. *Numerabitis ergo ab altero die ſabbati.* h. e. ab altero die feſti paſchalis. Et ſexcenta alia ejuſmodi loca. Vult ergo Johannes, in ſequentem diei Chriſti θανασίμῳ diem incidiſſe magnum quoddam ſabbatum h. e. magnam feſtivitatem, nempe paſchalem, quae eo anno in ſeptimum hebdomadae diem incidit. Faceſſant ergo qui hunc diem ideo *Magnum* ab Johanne dictum volunt, quia in eum duplex feſtum incidebat, tum ſabbati tum etiam paſcha. Imo unice propter paſcha *Magnus* Johanni dicitur: Nec dubito, quin ſi paſchale feſtum eo anno in aliam hebdomadae feriam incurriſſet, nihilo minus is dies *Magnus* fuiſſet vocatus. De quo ſat multa

Digitized by Google

dixi in Kal. marmor. in Additamentis ad menſ. Febr. in *Curis poſter. de magno Sabbato Polycarpi* cap. IV.

Rogaverunt Pilatum, ut frangerentur eorum crura] Gr. Σκέλος, quod *cruris* vocabulo reſpondet, utrumque ſimul femora & tibias ſignificat; etſi haud raro pro alterutro ponitur. Crurifragium heic utramque cruris partem complectebatur. Mos is non tam Romanorum, quam Orientalium erat (ut vel hinc conſtat, quod qui ſuccidi crura petierunt, ii Judaei erant) iſque a Chananaeis ſeu Phoenicibus ad Poenos tranſiit. Ennius in Annalibus apud Feſtum in SVPPERNATI:

His pernas ſuccidit iniqua ſuperbia Poeni.

Quod quale ſit, exponit Livius, qui ubi de clade Cannenſi, ait: *Quoſdam & jacentes vivos ſuccisis feminibus poplitibuſque invenerunt.* Id *ſuppernare* Latini vocabant: vide Feſtum.

Et tollerentur] Ad ſepulturam ſcil. Id Latinis tum *Efferri* dicebatur, tum etiam *Levari* (de utroque dixi in Additamentis ad Kalend. Marmor. p. 905. 906. & 907.) Graecis autem αἴρεσθαι i. e. *attolli*. Nam cadavera a ſuccollantibus attollebantur, ſive *efferebantur*, ſive *levabantur*.

AD JOH. XIX. 35.

Et qui vidit, teſtimonium perhibuit] Modeſtus agendi mos, quo & Cyprianus utitur epiſt. 7. ad cler. de precando Deo: *Et cum miraretur quid hoc eſſet* (de oblata ſibi viſione loquitur) *ille qui vidit, dictum eſt ei &c.*

Ad JOH. XIX. 40.

Et ligaverunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judaeis ſepelire] Quia Johannes in Aſia degens, non Judaeis, ſed Graecis ſtilum attemperabat, crebris utitur notationibus, ſicubi quid a Graecorum conſuetudine deflecteret, quod jam ſaepe notavimus. Nam quia Graeci cadavera comburebant; notatum oportuit, iccirco Corpus Jeſu conditum aromatibus, quod ſic popularium ſuorum conſuetudo ferret, qui ea re ab Aegyptiis non diſſidebant. Lucianus de luctu: Ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσεν, ὁ δὲ Πέρσης ἔθαψεν, ὁ δὲ Ἰνδὸς ὑάλῳ περιχρίει, ὁ δὲ Σκύτης κατεσθίει, ταριχεύει δὲ ὁ Αἰγύπτιος.

AD JOH. XX. 10.

Abierunt ergo iterum diſcipuli ad ſemetipſos] Gr. Τὸ πάλιν valet heic retrorſum, ut ſaepe apud Homerum. Vide quae annotavi ad Joh. III. 2. 3. de πάλιν *retro* & de *rurſus*.

AD JOH. XX. 15.

Si tu ſuſtuliſti eum] Recte in hunc modum interpres vertit Graecum ἐβάστασας. Nam βαστάζω non tantum *ferre*, ſed & *auferre* ſignificat, ut Joh. XII. 6. & Matth. III. 11. Vide quae ad ea loca notavimus. Codex Cantabrigienſis, qui Bezae fuerat, pro ἐβάστασας habet ἦρεις, nempe quod librarius vim verbi βαστάζω perſpectam non haberet. Et aliunde conſtat, eum codicem ſaepe non optimas lectiones exhibere.

AD JOH. XX. 17.

Noli me tangere: nondum enim aſcendi ad Patrem meum.] Loci hujus difficultatem αἰτιολογία parit illa, *Nondum enim aſcendi*: quae quo ſpectet, non appa-

Digitized by Google

apparet. Alii alias iniere ſolvendae difficultatis vias, inter quas Leonis elegans (*) explicatio videtur praeſtare ceteris. Liceat & mihi, quid venerit in mentem, proponere. Quoties cauſae dictio cum ſuperioribus non cohaeret, aliquid in medio omiſſum oportuit, quod tunc quidem ex circumſtantiis ſatis pateſcebat: nunc autem quia minus liquet; quod deeſt, ingenio eſt revocandum. Hac regula uſi, non raro ſuppletis congruis αἰτιολογίαις, locorum aliquot obſcuritates deterſimus. Venio ad locum. Videtur Maria, ad Magiſtri pedes provoluta eos attrectare coepiſſe, probatura, num ne ſpirituales qualitates induiſſet. Contra Chriſtus tametſi diſcipulos infirmiores ad contrectandum ſeſe invitaſſet (*Palpate*; inquit Luc. XXIV. 39. *& videte, quia ſpiritus* [vox autem *ſpiritus* hîc *phantaſma* deſignat] *carnem & oſſa non habet, ſicut me videtis habere*), Magdalenam tamen fide & caritate ferventem ab attrectando prohibuit, hac ratione addita: *Noli me* (ultra) *tangere* (nec de mea tractabilitate dubites) *nondum enim aſcendi ad Patrem meum* (ad quem ubi venero, tum demum intactilis ero, quia dotes ſpirituales caro induet: interim) *vade ad fratres meos*, iiſque me brevi ad Patrem aſcenſurum nuntia.

AD JOH. XXI. 3.

Vado piſcari] Gr. ὑπάγω ἁλιεύειν. Familiaris hîc modus loquendi Graecis. Hom. Il. XVII. 155. Οἴκαδ' ἴμεν *domum imus* pro *ibimus*. Sermo ἰδιωτικὸς non ſolum Graecorum ſed & Latinorum ſic erat, uti conſtat ex Actis judicialibus ſive verbalibus Martyrum apud Ruinartum ſaepiſſime.

AD JOH. XXI. 5.

Pueri, numquid pulmentarium habetis?] Criminatur hanc interpretationem Beza, quaſi ineptum ſit a piſcatoribus *pultem* quaerere. Sed non potuiſſe aptiore modo vocem προσφάγιον verti, fidem facient Philoxeni Gloſſae, in quibus PVLMENTARIVM reſpondet voci προσφάγιον. Deinde aliud eſt *puls*, aliud *pulmentarium*.

AD JOH. XXI. 18.

Alius te cinget] *Ab alio cingi* (ſive potius *ſuccingi*: nam in his libris ſaepe ſimplicia pro compoſitis uſurpantur) nuditatem paſſionis comitem praenotat. Conſuetudo enim Romanorum fuit, ut quoties noxios in equuleo extendi neceſſe eſſet, eos antea pudoris gratia ſuccingi juberent. In Actis S. Tarachi & ſocior. cap. 2. vetus verſio ſic habet: *Maximus* (praeſes) *dixit: Diſpoliate illum* (Probum M.) *& tollite ei pallium* (καὶ περιζώσαντες τείνατε) *& cingite eum & extendite, & nervis crudis caedite*. Mox cap. 3. *Maximus dixit: Diſpoliate illum & (περιζώσαντες αὐτὸν ἀναρτήσατε) cingite & ſuſpendite*. En igitur cur Chriſtus per ea verba ſignificaverit, *Qua morte Petrus clarificaturus eſſet Deum*.

Quamquam ſi Egeſippo ſive Exjoſippo (qui non alius eſt quam S. Ambroſius) lib. III. cap. 2. credimus, non tantum iis verbis violentam quamlibet mor-

(*) Leo Serm. 2. de Aſcenſ. *Noli me tangere: nolo ut ad me corporaliter venias, nec me ſenſu carnis aſpicias: ad ſublimiora te differo. Cum ad Patrem aſcendero, tunc me perfectius veriuſque palpabis, apprehenſura quod tangis, & creditura quae non cernis.*

Digitized by Google

mortem, ſed & cruci affixionem ſitu inverſo ſignificatam innuit. Id quo pacto procedat, in comm. ad Kalend. marmor. Neap. ad 29. Junii patefecimus.

AD JOH. XXI. 25.

Sunt autem & alia multa, quae fecit Jeſus; quae ſi ſcribantur per ſingula; nec ipſum arbitror mundum capere poſſe eos, qui ſcribendi ſunt libri.] Pulcherrima hyperbole, eaque antiquis Judaeis valde uſitata; ubi praeceptores ſuos extollunt. Rabbi Jochanan (i. e. *Joannes*) ben Zacchai (quem volunt Veſpaſiano aequalem fuiſſe, & Joſephi hiſtorici praeceptorem) ſummae apud Judaeos exiſtimationis vir, de ſeipſo dixiſſe ac ſcripſiſſe fertur: *Si omnes Caeli eſſent pelles* (i. e. pergamenae) *& omnes filii hominum librarii* (ſive ſcribae) *& omnes arbores ſylvae eſſent calami ſcriptorii; non poſſent ſcribere ea, quae didici a praeceptoribus meis; quibus non ſum inferior, niſi quantum canis lambit in mari.* Haec ille de ſe gloriоſius praedicat: quae recitantur in libro Jalkut fol. 7. col. 1. & in Chronico *ſalſelet* fol. 26. 2. Quanto modeſtius Johannes, qui nihil ex magiſtri gloria in ſe redundare eſt paſſus. At illum hyperbolicum loquendi morem etiam qui ſecuti ſunt poſtea Talmudici a R. Jochanan h. e. Johanne ſunt imitati. Sic enim Sab. fol. 11. 1. legitur: *Si fuerint omnia maria atramentum, & omnes junci fuerint calami, & totum caelum pergamenum, & omnes filii hominum librarii; non ſufficerint ad deſcribendam profunditatem cordis principum.*

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIONES
AD QVAEDAM JOHANNIS LOCA.

DISSERTATIO I.
AD JOH. CAP. XII. 6.
DE NOTIONE VERBI ΒΑΣΤΑΖΩ

Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum, ſed quia fur erat, & loculos habens, ea quae mittebantur, portabat.

Non quia de egenis pertinebat ad eum] Graece: οὐχ ὅτι περὶ τῶν πτωχῶν ἔμελεν αὐτῷ. Non hoc dixit Johannes, Judae partium non fuiſſe pauperum & egenorum curam (nam ex Joh. XIII. 29 colligitur erogatio pecuniae in pauperes huic Apoſtolo fuiſſe demandata) ſed proditoris cupiditatem caritatis in egenos velo palliatam perſtringit. Verti poterat: *Non quod magnopere pauperes penſi duceret*. Sequitur.

Sed quia fur erat] Nimirum in id intentus, ut per omnem erogandi occaſionem, ex eo quod in pauperes diſpertiendum offerebatur, aliquid in ſuos privatos uſus interverteret.

Et loculos habebat] Graece: καὶ τὸ γλωσσόκομον εἶχε. Et quidem Γλωττοκομεῖον Julio Polluci eſt arcula, in qua tibiarum γλωττίδες ſeu ligulae recondebantur: ita enim habet lib. II. ſect. 108. VII. 153. & X 153. 154 Phrynichus in Γλωσσόκομον ait: διεφθαρμένως δὲ λέγεται ὑπὸ τῶν πολλῶν· ἐχρῆν γὰρ γλωττοκομεῖον λέγειν, ὥσπερ ἀμέλει καὶ οἱ ἀρχαῖοι. *Corrupte* (γλωσσόκομον) *vulgo uſurpatur pro eo, quod* γλωττοκομεῖον *dicendum fuerat, quomodo veteres dixerunt.* Verum ni fallor, intereſt inter utrunque vocabulum, quod γλωττοκομεῖον ex veteribus grammaticis arcam τῶν αὐλητικῶν γλωττῶν ſignificet: γλωσσόκομον vero ſive γλωττόκομον arculam ad pecuniam recondendam ſignificare, & ex gemino Joh. loco tum hic, tum cap. XIII. 29. & ex 2. Paral. XXIV. 8 10. 11. conſtat. Nec dubito quin vere Gorraeus apud H. St. in theſ. tradiderit eſſe arculam oblongam & anguſtam: nec enim temere machina chirurgica cava & oblonga fractis cruribus adhibenda, γλωσσόκομον medicis dicebatur; nimirum quod illi γλωσσοκόμῳ, de quo dicebamus, ſimilis videretur. Dictum autem mihi videtur ab eo, quod γλωττίδα ſeu ligulam ſuperne haberet, per quam pecunia demitteretur. Nec enim quaevis crumena γλωσσόκομον fuit, ſed illud loculamentum, quod in templis ad colligendam ſtipem proſtabat, nempe ut injici per ligulam pecunia poſſet, extrahi a quoquam non poſſet. Patet hoc ex 2. Paral. XXIV. 8. 10. 11. Καὶ εἶπεν ὁ βασιλεὺς, Γενηθήτω γλωσσόκομον, καὶ τεθήτω ἐν πύλῃ οἴκου κυρίου ἔξω· Καὶ κηρυξάτωσαν... εἰσενεγκεῖν Κυρίῳ . . . καὶ εἰσέφερον, καὶ ἐνέβαλον εἰς τὸ γλωσσόκομον, ἕως ἂν ἐπληρώθη· Καὶ ἐγίνετο ὡς εἰσέφερον τὸ γλωσσόκομον πρὸς τὰς πρόσταξας... καὶ ἐξεκένωσαν τὸ γλωσσόκομον, καὶ κατέστησαν εἰς τὸν τόπον αὐτῷ· οὕτως ἐποίουν ἡμέραν ἐξ ἡμέρας &c. Non piguit totum locum adſcribere, ut intelligatur γλωσσόκομον (heb. ibi ארון *aron*, *arca*) ſic fuiſſe elaboratum, ut inferri pecunia per quemlibet poſſet, extrahi non item, niſi clavi adhibita, quae duplex erat; unam ſcriba Regius, alteram ὁ προστάτης τοῦ ἱερέως τοῦ μεγάλου ſervabat. Et cum ex inſcriptionibus & ſcriptoribus ſciam, ethnicos etiam in templorum uſum ſtipem collegiſſe; ſimile prorſus aliquod adhibuiſſe loculamentum, mihi perſuadeo. Sed ad Judaeorum templum quod attinet, Hadrianus Relandus in erudito opere *de ſpoliis templi* cap. XII. receptacula nummorum templi Hieroſolymitani in tubarum formam ex auguſto in latum producta delineat: hoc ideo, quia loculamenta illa in Thalmude שופרות *ſciopharoth*, *tubae* nuncupantur. Re enim vera Scekalim cap. 6. initio legitur: *Tredecim* שופרות *ſciopharoth, fuerunt in ſanctuario.* In quem locum Gloſſa ſic commentatur. *Sciopharoth i. e. theboth* (arcae): *vocarunt eas ſciopharoth, propterea quod fuerint ad formam tubae rotundae, curvae latae infra, anguſtae ſupra, lente ad ſummum ſe arctantes.* Cujus formae poſt pauca hanc affert cauſ-

cauſſam *propter homines*, inquit, *fraudulentos*. Vide de hac re plura in lexico Rab. Buxtorfii. Sed piget me rabbinicae περιεργίας. Ex allatis Paralip. locis diſcimus, loculamenta templi voce Hebraica ארון *aron* (quae arcam ſignificat) appellata, Graece vero γλωσσόκομον, quod quale fuerit, haud temere conjecimus. Quid porro Rabbinos moror, quibus Nil extra eſt oleam, nihil intra eſt in nuce duri, ita quidvis ad libitum comminiſcuntur? A me quidem ſi forte quaeratur, cur Thalmudici *ſciopharoth* nuncuparint; pari facilitate reſponderim, *ſciopharoth* appellata, quia anguſta ibi orificia in ligulae modum, ferme ut in tubis, prominerent, qua nummi inferrentur. In Philoxeni gloſſis Latino-Graecis legi: *Ciſtellam* γλωσσόκομον. Ciſtella vero tum eaſdem cum ciſta (quae κιβωτὸν & λάρνακα ſignificat, & pecuniae, veſtibus &c. condendis uſui erat) ſignificationes habebat; tum illam peculiarem, quod ad colligendas in comitiis tabellas ſive ſuffragia adhibebatur. An in illam ſuffragiorum ciſtellam tabellae demitti per ligulam rimamve poterant, extrahi rurſus non poterant, eoque in illis gloſſis γλωσσόκομον redditur? Ac de γλωσσοκόμῳ nolo afferre plura: nec enim refert, quod pro quocunque loculo aliquando uſurpetur, καταχρηστικῶς, ut opinor. Sed redeo ad Johannem. Judam ait γλωσσόκομον habuiſſe, h e. arculam anguſta lingula inſtructam, nequis illatam pecuniam poſſet extrahere praeter Judam, penes quem clavis erat. Nam quaecunque collegia ſtipem corrogarent, in eundem modum τὰ γλωσσόκομα habebant. Collegium autem Apoſtolicum de ſtipe oblata vivebat. Id quidem ex Judaeorum inſtituto fiebat, quos in ſuis proſeuchis ſtipem rogaſſe teſtatur Cleomedes, cujus locum attulimus ad Act. XVI. 13. teſtatur & Juvenalis Sat. VI.

Et ejectis mendicat ſylva Camoenis.

Quo fortaſſis loco falſus ejus Scholiaſtes ad Sat. 31. notavit, proſeucham locum eſſe, in quo mendici ſtipem rogarent, falſus fortaſſe & in proſeuchae etymologia, quaſi non tam a precando Deo diceretur, quam a rogandis divitibus, uti ſtipem conferrent. Quin & Maſſalianis (Syriace מצלין *metſalin* h. e. Epiphanio interprete εὐχόμενοις) ſemijudaeis, ſuis ſe bonis abdicantibus in proſeuchis ſuis manus ad ſtipem porrigere ſollemne fuit; teſte Epiphanio her. 80. n. 3. Ἀκώλυτοι δέ εἰσι, καὶ ἐκτείνουσι χεῖρας μιταιτεῖν, ὡς ἀβίωτοι καὶ ἀκτήμονες. *Soluti porro ac vagi, & manus ad ſtipem porrigunt, quippe victu ac poſſeſſione carentes.* Id imitatus Montanus, in cujus ſchola arca fuit, in quam ſodales ſtipem conjicerent ad prophetarum alimoniam: cujus arcae Theodotus primus omnium curam geſſit, quem idcirco ἐπιτρέπον appellat vetus innominatus auctor apud Euſebium V. 16. quemadmodum Valeſius ad idem caput adnotat.

Et ea quae mittebantur, portabat.] Gr. καὶ ἐβάσταζε τὰ βαλλόμενα. Non poterat ſignificantius γλωσσοκόμῳ-forma deſignari, quam vocabulo βαλλόμενα. Sic etiam 2. Paral. XXIV. 10. καὶ εἰσέφερον, καὶ ἐνέβαλον εἰς τὸ γλωσσόκομον. Et Matth. XXVII. 6. οὐκ ἔξεστι βαλεῖν αὐτὰ εἰς τὸν κορβανᾶν. Neſcio quid hic ineptiat Ligtfootus, dum ait arcam illam habuiſſe Judam domi ſitam (cujus claves ipſe haberet) ad quam ille portaret τὰ βαλλόμενα. Inepte omnino; tum enim dicendum fuiſſet τὰ διδόμενα. Ergo illud βαλλόμενα ſi quid aliud Judae γλωσσόκομον tale fuiſſe arguit, quale ſuſpicati ſumus. Ἐβάσταζε vero quid ſibi velit, age videamus.

Portabat] Gr. ἐβάσταζε. Miror tot viris doctiſſimis veram τοῦ βαστάζειν ſignificationem huic loco convenientem, non ſuboluiſſe. Nam quo pacto haec ſibi cohaerent? *Sed quia fur erat, & loculos habens, ea, quae mittebantur, portabat.* Omnino id ab Evangeliſta exſpectaſſes, ut diceret, *& quae in loculos immittebantur, ſurripiebat.* Atqui non aliam eſſe hoc loco τοῦ βαστάζειν notionem, Suidas docere potuiſſet, ſic tradens: Βαστάζειν. αἴρειν· ΚΛΑΠΕΙΝ. Et exemplum hoc affert: ὁ δὲ Λακύδης σφραγισάμενος &c. Quem locum integrum in Diogene Laertio in Lacyde exſtare monuit Portus, in hunc modum: Ἐπειδάν γάρ τι προίλοι τοῦ ταμείου, σφραγισάμενος πάλιν, εἴσω τὸν δακτύλιον διὰ τῆς ὀπῆς ἐρρίπτει, ὡς μηδέποτε αὐτῷ περιαιρεθείη, καί τι ΒΑΣΤΑΧΘΕΙΗ τῶν ἀποκειμένων. *Vbi* (Lacydes) *ex penu aliquid depromſiſſet; eo iterum obſignato, anulum intro per foramen injiciebat, ne quid unquam de rebus ipſius ibi reconditis ſurreptum auferretur.* Verti *auferretur*, quia haec videtur τοῦ βαστάζειν ſignificatio late patentior, tum portandi, tum & ſurripiendi notionem complectens. Nec tantum hic apud Johannem Βαστάζω *auferre* ſignificat, verum etiam Matt. III. 11. τὰ ὑποδήματα βαστάσαι non eſt *portare* ſed *auferre*, aut *detrahere calceos*. Vide ibi dicta. Apud eundem hunc vero Joh. tum VIII. 59. (ubi ἐβάστασαν eſt *avellerunt*) tum perſpicue XX. 15. Κύριε εἰ σὺ αὐτὸν ἐβάστασας. Vbi & Latino interpreti ea ſignificatio ſuboluit, ſic interpretato, *Domine ſi tu ſuſtuliſti eum*; ut ibi notavimus. Poſtremo Prov. IX. 12. ubi LXX. verterunt μόνος ἀντλήσεις τὰ κακά, *ſolus hauries mala*, ibi Symmachus poſuit Βαστάξεις *auferes*: in Hebraeo autem eſt verbum נשא *naſa* quod & *ferre*, & *auferre* aeque ſignificat, unde nil mirum, ſi Helleniſticum Βαστάζω utraque notione donatur.

Vim hujus verbi non tenuit Valeſius, Apollonii verba de Thamiſone falſo Cataphrygarum

Digitized by Google

garum confessore, prave interpretatus apud Eusebium lib. V. cap. 18. ἔτι δὲ καὶ Θεμίσων ὁ τὴν ἀξιόπιστον πλειονεξίαν ἡμφιεσμένος, ὁ μὴ βασάσας τῆς ὁμολογίας τὸ σημεῖον, ἀλλὰ πλήθει χρημάτων ἀποθέμενος τὰ δεσμά. Valesius vertit: *Praeterea Themison specioſa avaritia obvelatus, qui confeſſionis ſignum non* PERTVLIT, *ſed magna pecuniae vi erogata vincula abjecit*. Vbinam quaeſo βασάζω pro *perferre* legitur? Legitur apud Euseb. lib. de martyrib. Palaest. c. 7. μὴ βασάσασα τὸ ἀηδὲς . . . τῶν πραττομένων. *Cum tantam atrocitatem ferre non poſſet*. Et bis Symmachus ap Trom. in βασάζω. Hoc, ſatis ſcio, virum magnum fefellit, quod *confeſſionis ſignum* vincula eſſe putavit, quae tolerare falsus Confeſſor nequivit, ut ipse in notis declarat: cum contra majore forsan judicio Chriſtophorsonus de crucis ſigno accepiſſet, quae proprie βασάζεσθαι in Evangelio dicitur. Sed ne hic quidem ſatis mihi facit. Confeſſionis ſignum ſunt vibices, cicatrices, & hujuſmodi talia, quae confeſſorem teſtatum faciunt. Verte ergo: *qui* (a prehenſione) *confeſſionis ſignum non* ABSTVLIT (ſive retulit) *ſed vi pecuniae vincula a ſeſe rejecit*. De Natali Confeſſore ſcribit vetus auctor apud Euſebium eodem lib. cap. uit. τὰς μώλωπας *vibices* oſtentaſſe, quo ſe confeſſorem exſtitiſſe probatum faceret. Non ſic Themiſo, qui vibices nullas aut citratrices, aut omnino nullum confeſſionis ſignum auferre ſuſtinuit. Eodem etiam ſignificatu κομίζω & κομίζομαι reperiuntur, non tantum ut *ferre*, ſed & ut *auferre* notent. Hom Il. A.

Πρῶτος ἐγὼν ἕλον ἄνδρα, κόμισσα δὲ μώνυχας ἵππους.

Beroſus apud Joſephum in I. Antiq. 4. ex arca, quam etiamnum in Cordiaeorum monte ſuperfuiſſe narrat, κομίζειν τινὰς τῆς ἀσφάλτου ἀφαιρεῦντας· χρῶνται δὲ μάλιστα οἱ ἄνθρωποι τῷ κομιζομένῳ πρὸς τὰς ἀποτροπιασμούς· *Quoſdam bitumen auferre. Eo autem ablato utuntur homines ad amuleta*. Demoſth. contra Midiam. ὃν δίκαιον ἦν δοκιμασθέντα κομίσασθαι, *quantum par erat a tutoribus me auferre, quum jam in tutelam meam veniſſem*; ut Budaeus interpretatur. *Idem* κομίσασθαι πάντα τὰ χρήματα παρ' αὐτῶν, καὶ ἀπελθεῖν. *Vt ab eis integram pecuniam auferentes a lite diſcederemus*. Athenaeus II. 7. Democritum Abderitem narrat mellis ſolo odore atque halitu vitam ſibi in multos dies prorogaſſe, poſt aliquot vero dies βασαχθέντος τοῦ μέλιτος h. e abducto melle interiiſſe. Vbi βασάζω non pro ἀναβασάζω, uti Caſaubonus ibi adnotat, ponitur, ſed pro ἀποφέρω. Idem Athenaeus lib. V. Ἀπαλλαγέντων δὲ τῶν δειπνούντων, αἱ τράπεζαι ἐβασάζοντο. *Dimiſſis convivis, menſae removebantur*. Quo ſpectat illud Virg. *Poſtquam exempta fames epulis, menſaeque remotae*. Xenophon Sympos. ὡς δ' ἀφῃρέθησαν αἱ τράπεζαι. Nec ſcio an *Porto* idem valeat apud Virg.

- - - *Portantur avari*
Pygmalionis opes pelago.

H. e. furtim aſportantur. Poſtremo non alia mens eſt Tertulliani initio libri de bapt. *Qui ſimpliciter credidiſſe contenti, non exploratis rationibus traditionum, intentatam probabilem fidem per imperitiam portant*. Rigaltius vim verbi *porto* non capiens, pro *intentatam* reſcribi jubet *in tentatum* h. e. *in tentationem*. Sed quidquid ibi vir doctus argutetur, ſenſus multo erit obſcurior. Atqui ſi *portant* accipias pro *ſecum auferunt*, plana erunt omnia. Nam quidam ſimpliciter credunt, nec traditionum momenta ob ſuam imperitiam explorare ſatagunt, ii intentatam ſive non expenſam quidem, ſed tamen probabilem fidem ex digeſto illo, cujus proxime meminerat, ſecum auferunt. Quare non imperite Latinus interpres locis ſupra notatis τὸ βασάζω per *portandi* verbum expreſſit.

Livius I. 28. de Mettii Fuffetii ſupplicio. *Deinde in diverſum iter equi concitati, lacerum in utroque curru corpus, qua inhaeſerant vinculis membra portantes*. H. e. auferentes, aſportantes. Virgilius Aen. XI. aquilae ſerpentem rapientis comparatione inſtituta mox ℣. 757. ait:

Haud aliter praedam Triburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. . . . .

Neque porro ingratam lectoribus operam me navaturum crediderim, ſi aliquot Vulgatae verſionis loca collegero, quibus *portandi* verbum omnino *auferendi* aut *aſportandi* notionem habere videatur: ex quo non pauci Scripturae loci, ut opinor, illuſtriores fient. Ac primum producatur locus is, quem ſupra poſuimus, Prov. IX. 12. ubi pro eo, quod LXX. habent μόνος ἀντλήσεις τὰ κακά, Symmachus autem βασάξεις, Noſter habet: *Solus portabis malum. Haurire* enim & *portare* eandem habere vim noſtro interpreti videbantur: quemadmodum autem hic Hebraice verbum נשא *naſa* occurrit, ſic iis locis omnibus, quibus in Hebraeo hoc verbum *auferre*, *aſportare* aut tale aliquid ſignificat, Latinus ferme *portandi* verbum uſurpavit. Ex. XXVIII. 38. *Portabitque Aaron iniquitates eorum*. LXX. ἐξαρεῖ *efferet*, *exportabit*. Lev. X. 17. *Vt portetis iniquitatem multitudinis*. LXX. ἵνα ἀφέλητε, *ut amoveatis*. Levit. XX. 19. *Portabunt ambo iniquitatem ſuam*. LXX. ἀποίσονται, *auferent*. I. Sam. XV. 25. *Peccavi* (Saul Samuelem alloquitur) *ſed nunc porta quaeſo peccatum meum*. Graeci interpretes ἆρον δή, *aufer quaeſo*. Hinc etiam Jo-

Digitized by Google

hannis I. 29. ubi nunc legitur: *Ecce agnus Dei, ecce qui tollit* (Graece ὁ αἴρων) *peccatum mundi*: vetus verſio praeferebat: *Ecce qui portat peccatum mundi*. Sicuti in Iſaia *languores portare* eſt auferre. Tertullianus hoc pulchre notavit IV. adverſ. Marcionem 8. *Ipſe igitur eſt Chriſtus Eſaiae, remediator valetudinum. Hic inquit imbecillitates noſtras aufert, & languores portat. PORTARE autem Graeci* (apud quos *portandi* verbo reſpondet βαστάζω) *etiam pro eo ſolent ponere, quod eſt Tollere*. Ezech. XXXII. 30. *Portaverunt confuſionem ſuam*: Graece ἐπήνεγκαν. Zach. V. 7. *Talentum plumbi portabatur*: graece, ἐξαιρόμενον. Joſ. IV. 8. *Portantes de medio Jordanis*: LXX, ἀναλαβόντες. Atque his locis omnibus נשא naſa verbum Hebraice uſurpatur. Eodem vero capite ψ. 5. *Et portate inde ſinguli ſingulos lapides*. Heb. הרימו harimu: LXX ἀνελόμενος ἐκεῖθεν. Num. XIII. 25. *Eo quod botrum portaſſent inde*. Heb. כרתו משם charethu miſcham, *exciderunt inde*. LXX ἔκοψαν ἐκεῖθεν. Poſtremo Eccleſiaſtis X. 20. *Aves caeli portabunt vocem tuam*. Heb. יוליך jolich, *abducet*. Graeci interpres: πετεινὸν τοῦ οὐρανοῦ ἀπενέγκει τὴν φωνήν σου· Vides opinor, *auferre* & *portare* noſtro Interpreti viſa fuiſſe ſynonyma, ut nimirum ſuorum temporum conſuetudo ferebat. Atqui & *fero* pro *aufero* veteres Latini dicebant. Plautus Aul. V. I. 22.

Vel hercle enica, nunquam hinc feres a me.

Adhaec βαστάζω in re botanica eſt *avellere, eruere* plantam aut radicem. Vetus poeta de viribus herbarum, (quem Aldus Ann. 1518. Dioſcoridi ſubjecerat, ac poſtea Fabricius to. 2. biblioth. Graecae p. 630. cum verſione ac notis Rentorfij inſeruit) in non longo carmine ter βαστάζω eo ſignificatu adhibuit. ψ. 4. de Chamaemelo

ὃ βαστάζουσιν ἰατροὶ
Ἀρχομένῳ θέρεος·

Interpres vertit *verſant medici*; idem vero nota (f) poſt illud Plinii recitatum: *Eodem tempore & medici folia tuſa in paſtillos digerunt, item florem & radicem*: concludit in hunc modum: *quae Plinii verba vocem* βαστάζουσιν *pulchre illuſtrant*. Faceſſat cum ſuo acumine. Vertendum fuerat *avellunt medici aeſtate ineunte*. Rurſus ψ. 10. de rhamno:

Ὥρῃ δ' ἐσθλὸν τόδε, (heic diſtinguendum, non ut interpres poſt φυτὸν)
σύμφορόν ἐστι βροτοῖσι
Βαστάζειν τότε ῥάμνον, ὅταν φθίνουσα σελήνη
Δίρχηται &c. Quae interpres ſic vertit, quaſi decreſcente luna rhamnum geſtare proſit. At rhamnus contra faſcina ſuſpendebatur in domibus, ut auctor ille tradit, nam geſtare ſpinoſum fruticem quis potuiſſet? Sed & Graecus Scholiaſtes fallitur περιφράζων in hunc modum: τὴν ῥάμνον ἤν τις ἄρῃ ἐν λειψοσελήνῳ καὶ βαστάζῃ; ſi quidem βαστάζω pro φορέω accepit. Verte igitur: *Horo autem ſacra eſt planta iſthaec; prodeſt autem mortalibus tum demum rhamnum eruere, quum luna decreſcere viſa fuerit*. Poſtremo ψ. 83. de dictamno minore:

Ἰατροὶ δ' ἅμα πάντες, ὅσοις σωτήριόν ἐστι,
Βαστάζοντες ἔχουσιν ἐν ἀγκοίῃ &c. Non vertendum fuerat *ferunt in vaſe*, ut Rentorfius reddidit, ſed *avulſum ſervant in vaſe*. Omnino huic poetae βαστάζειν tantundem valet, quod αἴρειν, ἀναίρειν, λαμβάνειν, ῥιζοτομεῖν, quibus verbis utitur alibi. At vero cum eidem de geſtatione ſermo eſt, verbum φορέω uſurpat. Hujus poëtae exemplis jam allatis illuſtrari poteſt illud Joh. VIII. 59 *Tulerunt* (Gr. ἐβάσασαν) *ergo lapides, ut jacerent* &c. ubi βαστάζω eſt vel ſimplex λαμβάνω vel avello, nam quia in atrio templi lapides obvii non erant, ex pavimento lithoſtroto illos avellerunt, uti diximus ad Joh. VIII. 59. Porro ſiquis forte de poetae hujus aetate quaeſierit; non videtur ſecundo Chriſti ſaeculo antiquior ex his, quae ψ. 169. de angelis 360. ſive 365. caeli praeſidibus innuuntur. Simlerus eundem cum Rufo Epheſio facit, quippe cujus libros quatuor carmine hexametro περὶ βοτανῶν Galenus praef. lib. VI. de ſimplic. medic. memorat.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

AD JOH. XIX. 41.

DE CEPOTAPHIO CHRISTI DOMINI.

Erat autem in loco, ubi crucifixus est, hortus, & in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat: Ibi ergo propter parascaven Judaeorum, quia juxta erat monumentum, posuerunt Jesum.

Quoscunque evolvere licuit Sacrae Scripturae explanatores, de vero horto haec accipiunt; nec desunt, qui adscitis ex Vetere Foedere locis, in eo argumento ἀλληγορεῖν. Sed primum omnium scire velim, quid Josepho ab Arimathaea venerit in mentem in loco supplicüs infami, deinde & ὑποπίτρῳ, hortum sibi sive λαχάνων, sive πολυδένδρου conferere. Nam fuisse horti hujus solum ὑπόπιτρον, Matthaeus XXVII. 60. dubitare non sinit, narrans, Josephum tumulasse Jesum in monumento suo novo, ὃ ἐλατόμησεν ἐν τῇ πέτρᾳ (1) *quod*, inquit, *exciderat in petra*, seu *in rupe excavarat*. Ergo & hujus horti area ὑπόπιτρος fuit, & in rupe explicabatur. Postremo ideone sepulcrum in horto consito Josephus exstruxerat, ut statim post primi cadaveris illationem polluerctur? Nam circa talia egregie religiosos fuisse Judaeos non minus, quam ceteras nationes, nemo ignorat.

Itaque aliud mihi hoc videtur fuisse horti genus, nec aliud hoc loco κῆπος significare, quam τὸ ὕπαιθρον seu aream subdivalem, muro aut maceria cinctam. Neque enim quisquam est adeo in antiquitate peregrinus, qui ignoret, definitam olim fuisse aream, qua sepulcrum ambiebatur, utpote religiosam. Quare nequo modo in loci religionem impingeretur, non tantum quousque area illa pateret, cippis inscribebant in hunc modum: *In fronte pedes* tot, *in agro pedes* tot: verum etiam muro aut maceria sepiebant; id quod ex innumeris constat inscriptionibus, & ex Vlpiano l. *aede sacra* de contrah. emt. ubi ait quidquid *intra maceriam sepulcrorum* est, ad emptorem pertinere. Sed & Cicero Philip. IX. sepulcro Ser. Sulpicii, qui in legatione Pop. Rom. obierat, locum publice dari, & pedes XXX. quaquaversus designari censet. Judaeis alia, opinor, praeterea causa fuit, cur sepimento isto uterentur, ne forte quis incogitans pollueretur. Hanc vero sic cinctam aream sepulcralem *hortum* Latine, Graece κῆπον fuisse appellatam, prius horum vocabulorum origine, tum usu ipso demonstrabitur.

Et ad originem quod attinet, tres principes linguas Hebraeam, Graecam, Latinamque in id convenire video, ut a sepiendo *horti* vocabulum deducant. De Hebraeis nulla est dubitatio, apud quos גן *gan*, *hortus*, est a גנן *ganan*, quod *sepire* significat. Apud Thalmudicos קרפף *Karpheph*, *septum* & גינה *ginnah*, *hortus*, sunt synonyma, & utroque vocabulo utuntur ad significandum septum illud LXX cubitorum, quod addebant urbi, ut ab illo septo deinceps iter sabbati metientes, longius illud efficerent. Vide Buxtorfii

(1) Et vide quam longe absim a Salmasii sententia. Ille enim in Solinianis, ex eo quod Johannes hortum ibi fuisse tradat, negat solum esse ὑπόπιτρον potuisse, Matthaei vero verba sic interpretatur, quasi si Evangelista dixerit ἐν τῇ πέτρᾳ, vel πέτρᾳ h. e. sepulcrum ex silice sive silice constructum, contra apertam Evangelistae sententiam, qui in rupe solida sepulcrum excavatum docuit: ego contra ex eo quod ὑπόπιτρος fuerit ille locus, nego *hortum* a Johanne descriptum quidquam habuisse cum vulgaribus hortis commune.

Jam vero quod de πέτρας significatione sic statuit, ut olim quidem nonnisi rupem significaverit, apud mediam vero Graeciam etiam λίθον *lapidem*: primum quamne mediam Graeciam appellat? Illam puto, qua & Apostoli scripserunt, nam de Evangelistae usu quaerebatur. Atqui est ne Agathias ad fidem ejus rei faciendam testis idoneus, qui sub Justiniano vixerit? Deinde ultro assentior, non modo apud mediam Graeciam sed & apud vetustissimos Scriptores πέτραν pro lapide dictam. Aeschylus apud Strabonem lib. IV. p. 183. νιφάδα πετρῶν *imbrem lapidum*, dixit. Nec alia deerunt exempla rimantibus. Nunc, uti dixi, de Evangelista quaeritur, quam notionem ei voci subjecerit: eam, opinor, quam olim LXX, qui non alia significatione πέτραν, quam pro *rupe* acceperunt, quod sciam. Deinde quod ex Matthaeo affert: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam*, non de lapide fundamentali est ibi sermo, sed de rupe, cui optime innititur aedificium.

Digitized by Google

lexic. Thalm. in קרפף. Κῆπος autem ſcio Etymologici auctorem, Euſtathium, & Heſychium a Κάπος, quod *flatum* ſignificare volunt, derivaſſe: κάπος γὰρ πνεῦμα (inquit Heſychius) καὶ κῆπος ὁ περιπνιόμενος καὶ εὐήνεμος τόπος. Inepta prorſus derivatio; neque enim κάπος pro *flatu*, aut κάπω pro *ſpiro* exemplo ullo comprobantur, ut H. St. notavit, aut omnino fuiſſe haec vocabula doceri poteſt. Deinde tam ne hortorum peculiare τὸ εὐήνεμον, ut inde κῆπος deduci oporteat? Ergo nihil veriſimilius dicturus mihi videor, quam ſi κῆπος ab Homerica voce Κάπη, quae *praeſepe* ſignificat (unde Epimenides Cretenſis apud Ariſt. Pol. I. ὁμοκάπους pro ὁμοτραπέζους eadem elegantia dixit, qua Horatius, *Non qui certum praeſepe teneret*) adſciſcam: ſive ut accuratius dicam, tam κάπη, quam κῆπος ab aliquo communi ſtipite veniunt, h. e. aliquo inuſitato themate, quod olim *ſepire* ſignificaverit: non minus enim *hortus* quam *praeſepe*, ſepimenti notionem conſectam habet, uti deinceps docebitur. Quid quod κάπη Homerica non tantum praeſepe animalium, ſed ſeptum quemcunque locum ſignificaſſe videtur? Ait enim Od. IV. 40.

Καὶ τὰς μὲν κατέπησαν ἐφ' ἱππείῃσι κάπῃσι.

Quid enim attinebat ἱππείῃσι addere, niſi quia illa vox quodvis ſepti genus notaſſet. Nam quod docet Euſtathius, hoc ideo additum, ut ἀπὸ τῶν βοείων diſtingueret, nihili eſt.

De *Horti* vero etymologia haud diu pugnabo: doctiſſimum enim harum rerum ſcriptorem Voſſium ſequor ducem, qui rejecta antiquorum ſententia, quibus *Hortus* ab *oriendo* arceſſebatur, eam vocem vel ab ἕρκος *ſeptus* (ut prius fuerit *herctus* ſive *horctus*, deinde *hortus*) vel potius a χόρτος, quo vocabulo non tantum *foenum*, & *gramen*, ſed & *ſeptum* ſignificatur, Heſychio, & Euſtathio auctoribus: unde & in villis *cortes* ſepta erant loca, quod omnes norunt; pro *corte* autem poetas Graecos χόρτον dixiſſe, Varro tradidit. Huc etiam pertinet, quod *Hortus* apud veteres *villam* quoque ſignificabat, auctore Feſto; & in legibus XII. tab. non alio nomine villa appellatur, teſte Plinio XIX. 4. Neque enim villa, niſi ſepta, eſſe poterat.

Poſſem & in alias linguas veteres recenteſque excurrere, apud quas *horti* vocabula ab eadem origine proficiſcuntur, niſi alio properarem. Talis enim & παράδεισος Perſica vox fuit, quae nihil aliud quam *ſeptum* (2) ſignificat: & apud Graecos poſteriores περιβόλιον (vix enim alio vocabulo *hortum* notare ſolent, & in Gloſſis Graecobarbaris ὁ κῆπος exponitur τὸ περιβόλι) a περίβολος *ſeptum* deducitur; & apud Batavos, teſte Voſſio, ſynonyma ſunt *hoff* & *tuyn*, quorum

(2) *Quid proprie vox παράδεισος ſibi velit?* Perſicam eſſe vocem e Xenophonte, Polluce & aliis non eſt dubium; ea tamen & Hebraei utebantur, quibus פרדס *Pardes* dicebatur, fortaſſe a פרר *pharad* quod eſt *disjungere*. Vtut eſt, Perſis eam vocem non aliud quam *ſeptum* valuiſſe, teſtatur Cicero, qui lib. de Senect. Xenophontis παράδεισον *agrum* CONSEPTVM interpretatur. Xenophon, inquit Cic. *in eo libro, qui . . . Oeconomicus inſcribitur, refert, Cyrum minorem . . . & ceteris in rebus comem erga Lyſandrum atque humanum fuiſſe: & ei quendam* CONSEPTVM *agrum diligenter conſitum oſtendiſſe*. Adhaec παράδεισον tantundem valuiſſe, quod *ſeptum*, illud argumento eſt, quod quae Latinis *vivaria*, (*vivaria* autem definiente A. Gellio II. 19. ſunt *SEPTA quaedam loca, in quibus ferae vivae paſcuntur*. Ammianus lib. 31. de Gratiano: *Intra ſepta, quae oppellant vivaria, ſagittarum pulſibus crebris dentatas conficiens beſtias*) ea illis παράδεισοι dicebantur; uti idem Gellius ibidem teſtatur: *Vivaria autem, inquit, quae nunc vulgus dicit, ſunt quos Graeci παραδείσους vocant*. Feras Perſae παραδείσοις concludebant, quo eas conficere promtius eſſet. Regibus hoc in primis in deliciis fuit. Ammianus lib. 24. narrat in lucorum tractu *Extentum fuiſſe ſpatium & rotundum, loricae ambitu circumcluſum, deſtinatas Regis voluptatibus continens feras* &c Zoſimus lib 3. Παραγίνεται εἰ καὶ εἰς περίβολον, ἐν βασιλέως θήρᾳ ἐκάλουν &c. Hujuſmodi παραδείσους *regiam venationem* appellari dixit. Non tantum reges, ſed & magnates ſic plerunque venabantur. Hinc duum generum venationes diſtinguit Xenophon, ubi Pharnabazi praetorium diſtinguit: Καὶ θῆραι, αἱ μὲν ἐν περιειργασμένοις παραδείσοις, αἱ δὲ καὶ ἀνάπτεταμένοις τόποις, παγκάλαι. Venationes alias in paradiſis, alias patentibus locis inſtitui ſolere ait. Curtius lib. 8. *Barbarae opulentiae in illis locis haud ulla ſunt majora indicia, quam magnis nemoribus ſaltibuſque nobilium ferarum greges cluſi . . . Muris nemora cinguntur, turreſque habent venantium receptacula*. Perſicum iſtud venandi genus Pruſienſis Dio inſectatur: Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ παραδείσους περιλαβόντες, ὁπόταν ἐπιθυμήσειαν, ὥσπερ ἐν εἱρκτῇ, τὰ θηρία ἔκτεινον, ὡς μήτε ζητοῦντας ποιεῖν, μήτε αὖ κινδυνεύοντας, ἅτε ἀσφαλῆ καὶ δεδιωμένα. &c. Scriptorum pleraque loca e Briſſonii Perſicis decerpſimus.

Digitized by Google

quorum illud hortum proprie, hoc vero ſeptum notat.

Ex linguarum vero complurium nobiliumque conſenſu jam hoc intelligitur, quod modo dixeramus, *ſepti* notionem horto haerere conjunctam: id quod & alioqui demonſtrare poſſem ſcriptorum locis, quibus quoties in horti ſimilitudine ludere collibuit, de ſepimento ante omnia ſollicitos ſeſe produnt. Tertullianus ad *Paradiſi*, hoc eſt, *horti* ſignificationem alludens ait: *Et ſi Paradiſum nominemus locum Divinae amoenitatis, recipiendis Sanctorum Spiritibus deſtinatum, MACERIA quadam igneae illius zonae a notitia orbis communis ſegregatum; Elyſii campi fidem occupaverunt.* S. Vigilius Tridentinus epiſt. ad S. Joh. Chryſ. apud Ruinartum pag. 613. n. IV. *Eſt enim . . . hortus Eccleſia SEPIBVS mandatorum plantata viventium.* Adhaec Ἀλωὴ eſt area ſepta, quae & hortum ſignificat, quia undequaque περίφραστον. Hom. Od. XXIV. 223.

Αἱματιὰς λέξοντες, ἀλωῆς ἕρματα. ἕρκος.
Sentes colligerent viridarj ſepta futuras.

Il V. ἕρκεα ἴσχει ἀλωείων ἐριθηλέων. Hinc Od. 24. ℣. 225. εὐκτιμένῃ ἐν ἀλωῇ non *bene culto in horto*, quod vulgo interpretantur, ſed *bene munito* expoſuerim. Suidas: Ἀλωαὶ, ἀλωίαι, ἢ παράδεισοι. Atqui παράδεισος quid ſignificet, ſupra diximus. Sed fruſtra his immoror tricis. Age tandem jugulum hujus cauſſae petamus.

Demonſtrandum eſt enim ex uſu veterum κήπου & *horti* vocibus aream ſepulcralem quaquaverſum muro aut maceria cinctam frequenter olim notatam. Ordiar a Latino vocabulo. Apud Gruterum pag. 809. 2. ſic legitur: *Hic locus cum HORTVLO SVO RELIGIOSO & aedificiolis ſuis muro cinctus ad ſepulchrum Mindiae Juliae, & P. Aeli Phileti pertenet &c.* Quid enim eſt aliud *Hortulus religioſus*, quam ſepulcrale ὄχθωμα quaquaverſum definitum & muro cinctum? Et pag. 964. 2. *Et praecepit, ut ad id ſepulchrum HORTVS QVI EST CINCTVS MACERIA, & dicta adjuncta januae cuſtodiae cauſa, ſepulchro cedat.* Et hic quoque *Hortus ſepulchro cedens* nihil eſt aliud, quam area ſepulcralis, de qua in marmoribus eadem phraſis paſſim uſurpatur, veluti: *Huic monimento cedunt quaquaverſum pedes* tot, vel *cedunt in fronte pedes* tot, *retro pedes* tot. Nam *Dieta* & in ſuperiore epigrammate *aedificiola* quorſum pertineant, non eſt difficile augurari; nam, ut obiter dicam, in uſum ſervorum aut libertorum, qui ſepulchri cuſtodiae advigilabant, cedebant hujuſmodi manſiunculae, quibus & TABERNAE nomen inditum video in alio marmore pag. 383. 4. ubi & *Hortuli* ſepulcralis item mentio: *C. Calpurnius Philokyrius V. C. & Septimia Ammias conjux conparaverunt ſibi memorias II. & C. Calpurnio Ammiano &c. armarium diſtegum cum taberna & HORTVLO &c.* Apud Fleetwood pag. 290. 3. HORTVLOS · AEDICVL & SACELL · CVM · DISTEG · SERVILIA · CYNIRA · SIBI · ET · M · SERVILIO · &c. Eadem *memoriae* & *hortuli* mentio in cippo alterius Philokyrii apud Fabrettum pag. 85. n. 155. AVRVL · FILOCVRIVS · FECIT . SEBIBO · SIBI · ET · VLP · EVPROPRIE · COIVGI · MEMORIOLAM · CVM · ORTVLO · SVMIACENTE · SVBVS · LIBERTIS · LIBERTABVSQ · POSTERISQ · EORVM · Nec ambigendum, quin vetera elogia rimantibus ſaepenumero hujus generis horti religioſi ſint occurſuri. Eadem fortaſſis ſignificatio fuerit *hortulorum*, quorum mentio eſt apud Suetonium cap. 50. *Reliquias* (Neronis) *Ecloge & Alexandra nutrices cum Acte concubina, gentili Domitiorum monumento condiderunt, quod proſpicitur e Campo Martio impoſitum colle hortorum.* Pro quo veteres libri habent *colle hortulorum*, & ſic eum collem ab aliis vulgo appellari video. Apud Spon. pag. 222. eſt quidam C. OCTAVIVS · C · L · PACCIVS · AVG · SER · (nota hunc libertum ſimul & ſervum dici, quippe infima manumiſſione donatum) AB . HORTVL · Hortulum autem Auguſti haud alium intelligo, quam eum, in quo ejuſdem mauſoleum exſtructum erat. Nec dubito quin eadem notione *hortos* uſurparit Frontinus lib. de limit. agror. pag. 43. *Similiter*, inquit, *locorum religioſorum, quibus ſecundum cautiones modus eſt reſtituendus. Habent enim & Meſilea juris ſui HORTORVM modos circum jacentes, aut praeſcriptum agri finem* (3). Eadem

(3) *Moeſilea* aut *maeſilea* ſunt mauſolea ſive monumenta. Apud Grut. pag. 496. 7. EIVSQVE. MAESOLEI . CLAVES . DVAE . PENES . ALIQVEM . LIBERTORVM . MEORVM . ET . CVRATOREM . CVIVS . QVE . ANNI . SINT . Item apud FleetWood p. 180. 2. MESOLEVS. Et ex eo quod per ſequiorem aetatem mauſolea ſic dicerentur, fortaſſe inde orta *Turris Maeſae* appellatio, quaſi *Turris maeſilei* prius, poſtea, uti ſit, decurtato vocabulo *Turris Maeſa* dicta fuerit. *Hortorum juris ſui* idem eſt, ac ſi dixiſſet *hortorum religioſorum*, ut in

Digitized by Google

Eadem in Aggeni commentario reperies.

Ad vocem vero Graecam quod attinet, eadem notione accepisse videntur Graeci interpretes apud Nehemiam III. 16. ubi Nehemias quidam aedificasse dicitur ἕως ΚΗΠΟΥ ΤΑΦΟΥ Δαυὶδ h. e. *usque ad hortum sepulcralem David*. Etsi in Hebraeo codice paullo aliter haec leguntur (4). Nec alia est sententia Arundelliani marmoris, quod inter Christiana refert Reinesius Cl. XX. n. 325. ubi Johannes quidam donasse dicitur ΚΗΠΙΟΝ ΤΟΥΤΟ, puta hortulum illum, seu aream, ubi sepulcrum extructum fuit, Theodoro suo *spiritali filio*.

✠ ΙΩΑΝΝΗΣ ΡΟΥΦΙΝΟΥ ΣΜΥΡΝΑΙΟΣ
ΣΥΜΒΟΛΑΙΟΓΡ . . . ΔΩΙΗΣΑΜΗ ΤΟ ΚΗΠΙΟΝ
ΤΟΥΤΟ ΘΕΟΔΩΡΩ ΤΩ ΕΜΩΓΝΕ ΕΚΓΟΝΩ
✠ ΚΑΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΩ ΥΙΩ ✠

Ac sane dubito utrum in earum constitutionum Constantini & Licinnii pro Christianis (quas Eusebius X. hist. 5. intexuit) altera κῆποι, quos Christianis restitui jubent, pari significatu accipiendi esse videantur. Σπεύδοντες εἴτε κῆποι, εἴτε οἰκίαι, εἴθ' ὁτιῶν δήποτε τῷ δικαίῳ τῶν αὐτῶν ἐκκλησιῶν διάφορον, σύμπαντα αὐταῖς ἀποκαταστᾶναι ὡς τάχιστα. *Operam dabis ut sive horti, sive aedes, sive quodcunque aliud ad jus earundem Ecclesiarum pertinuerit, cuncta illis celerrime restituantur.*

Et quando ad Christianos digressi sumus, scio apud hos coemeteria *paradisos* appellata fuisse (exempla innumera suppeditabit Cangius in Glossario) non aliam ob caussam, ut opinor, nisi quia παράδεισος unus erat ex horti synonymis. Hinc factum ut *Paradisus* Ecclesiarum quoque atria porticibus ambulationibusque consepta significarit: nam quae ratio fecit, ut sepulcrale septum *hortus* aut *paradisus* diceretur, eadem impulit, ut septa ὑπαίθρια praetensa basilicis, eandem appellationem nanciscerentur. Accedit, quod in Ecclesiarum atriis coemeteria sequiore saltem aetate fiebant, unde apud posteriores scriptores coemeteria eadem & atria quandoque appellantur.

Sed redeo ad vocem Κῆπος, quae huc maxime pertinet. Ea enim vox adeo est rei sepulcralis propria, ut Christiani veteres, sive LXXviralem versionem Neh. III. 16. (ubi Κῆπος τάφου legitur) sive hunc Johannis locum, de quo commentamur, imitati; sive, ut verius dicam, ea vocis illius notio apud omnes erat pervulgata latissime, sepulcreta sua κηποτάφια dicerent. Vtitur ea voce Palladius in hist. Lausiaca cap. 20. p. 926.

Tametsi nihil est caussae, cur Christianos hujus vocis auctores faciamus, qua multo antea gentiles passim in cippis sepulcralibus utebantur; quam tamen qui non intelligerent in *Cenotaphium* commutarunt. Erravit hunc errorem Vignolius, qui pag. 330. ad hanc inscriptionem.

(5) Q · MEDICVS · AVG · LIB
A · SOLO · SIBI · FECIT
HOC · CEPOTAFIV · QVI
NTA · VITALIS · FILIA · MEA
POSSIDEBET · SINE · CONTRO
VERSIA ·

Notavit in hunc modum: *CEPOTAFIV h. e. cenotaphium, quod hic sumitur pro sepulcro, non*

---

in Gruteriana inscriptione. *Hortos* autem numero multitudinis dixit comparate ad moesilea numero plurativo antea posita: nam ceteroqui *Horti* plurativo numero ubi de unis *hortis* est sermo, non nisi consitos & amoenos hortos significant. *Circum jacentem* idem Frontinus dixit, quomodo in superiore Fabrettiana epigraphe SVMIACENTE quatuor syllabis *sumjacente*, h.e. *subjacente*; *Jacere* autem est in longum protendi. Apud Virg. Aen. I. 228. *terras jacentes* Servius interpretatur *in longum expositas*. Pomponius Mela I. 1. c. 1. *Haec* (οἰκουμένη) *ergo ab ortu porrecta ad occasum, & quia sic JACET, aliquanto quam ubi latissima est, longior* &c. Postremo illud *praescriptum agri finem* non alio spectat, quam ad notas cippis insculpi solitas IN. AGR. P. XX. &c.

(4) Hebraice sic legitur עד נגד קברי דויד *ad neged Kibre David* h. e. *usque contra sepulcrum David*. Sed nihil dubii, quin Graeci interpretes nacti codices suo tempore puriores, legerint גנת, *gennath*, *hortum*, ex quo נגד *neged*, *contra*, fit postea factum, prioribus duabus simillimis transpositis litteris, ex ultima vero extrito finisteriore ductu.

(5) Τὸ Q. non merum hic praenomen videtur, sed verum nomen, quippe cum & filia, (nam rarissime feminae cum praenominibus reperiuntur) item QVINTA appelletur, accepto, uti par erat, a patre nomine. Quaerendum igitur cujusnam imperatoris libertus is fuerit. Ajo Hostiliani libertum fuisse. Hostiliani haec simul omnia nomina in nummis & lapidibus reperiuntur: C. VALENS HOSTILIANVS MESSIVS QVINTVS. Sed hujus imperatoris aetate invaluerat, ut nominum quod esset ultimum, illud proprium ac διακριτικὸν censeretur. Exempla in aliis afferre supersedeo. Sed de eodem hoc principe nummus apud Patinum exstat pag. 396. in num. med. & min. formae, qui jugata capita Q. Herennii Etrusci, & Hostiliani exhibet cum hac epigraphe: ÆTRVSCVS ET QVINTVS CAESS. Ex quo colligitur non aliud

Digitized by Google

non vero pro monumento honorario, ut alibi. Sed & pag. 269. ad eandem vocem eundem auctorem impegisse, argumento est, quod ad oram vocabuli CEPOTAFIVM τὸ *sic* appinxit, qua notatione antiquarii, si quid peccatum in scribendi ratione occurrit, id in quadratarium ipsum rejiciunt. Haec altera inscriptio sic habet: *M. Vlpius Aminnas CEPOTAFIVM MVRO CINCTVM fecit sibi & libertis libertabusque eorum.* Vides hic *cepotaphii* vocabulo lapidem ipsum interpretem accedere; subjecit enim MVRO CINCTVM, ut & in altera apud Fabrettum pag. 115. n. 293. ubi legitur . . . HOC CEPOTAPHIVM MVRO CINCTVM CVM SVO IVRE OMNI EX AVCTORITATE ET IVDICIO PONTIFICVM POSSEDERVNT. De his enim *hortis* utpote *religiosis*, uti supra ex Grut. docuimus, controversiae ad pontificum cognitionem spectabant. At enim cum Cepotaphium, uti supra demonstravimus, septum sepulcrale notaverit, quid intererat MVRO CINCTVM addere? Non otiose: quia sive muro sive maceria cingi poterat, uti hoc cepotaphium, quod legitur in inscriptione, quam egomet Neapoli in villa Altimaria descripsi, quae talis est: IN · HOC · CEPOTAPHIO · MACERIA · CINCTVM † ANNIAE · MAXIMINAE · ET · ANNIORVM † CELERIONIS · MAXIMINI · ET · CELERINAES · (6) † FILIORVM . EIVS † QVAE · EST · DOMVS · AETERNALIS

Eadem quoque vox occurrit apud Fabrettum pag. 80. n. IX. ubi & cepotaphii fines notis illis IN FR. IN AGR. terminantur.

D · M
PEDVCAEA · IRENE · FECIT
SE · VIVA · CEPOTAFI
VM · QVOT · CONTINET
IN · F · P · XX
IN · AG · P · XX

Postremo & *cepotaphiolum* (ut illa diminutiva *hortulus* & κήπιον, de quibus supra) reperitur apud eundem Fabrettum pag. 115. n. 294. *IN HOC CEPOTAPHIOLO · cum · superficio · Gerulonia · Maria · & · Aur · Sentia · & · filiorum · lib · lib · que · posterisque · eorum ·*

Quae hactenus diximus, eo spectant, ut intelligamus, Christi sepulcrum rectissime a nobis cepotaphium appellari, tum hortum, de quo Johannes, non aliud quam ὕπαιθρον sepulcrale fuisse lorica circumseptum. Sunt tamen, quae mihi objici posse videantur; atque illud in primis, quod idem Johannes XX. 15. κηπουρὸν h. e. *hortulani* aut *horti custodis* meminit; ut dubitari nullo modo possit, quin vulgarem hortum in usus humanos comparatum Evangelista intellexerit. Verum sive κήπουρος horti custodem significat (nam οἰκουρος & similia paresin significationem habent) scitum est habuisse monumenta & cepotaphia custodes suos, qui & monumentum & hortulum religiosum a quacunque violatione tuerentur; sive κήπουρον *horti cultorem* mavis interpretari (quanquam id non puto) tamen ejus partes fuerint funereas tantum arbores conserere & colere, non olera aut pomiferas stirpes.

At enim, inquis, est in Evangelistae verbis nonnihil ἐμφατικὸν, ita dicentis: *Erat autem in loco, ubi crucifixus est HORTVS, ET IN HORTO Monumentum &c.* Nam si cepotaphium sive aream sepulcralem notare voluisset, satis habuisset dicere κῆπος τάφου, ut apud LXX; nunc autem veri horti notionem ingerit inculcatio ista ἦν . . κῆπος, καὶ ἐν τῷ κήπῳ μνημεῖον. Quibus respondeo, non frustra haec fuisse notata; quia cum universa area recipiendis cadaveribus esset destinata; *peculiaris*, inquit Fabrettus aliud agens, *caritatis erat intus in ipsoque monumento locum dare.* Erat, inquit Evangelista, hortus h. e. area sepulcralis humandis cadaveribus destinata, ibidem vero erat & monumentum; in hoc demum illatus

---

aliud peculiare ac διακριτικὸν Hostiliani nomen quam QVINTI fuisse. Hujus opinor libertum hunc Q. MEDICVM fuisse. Priscam imponendorum nominum rationem in libertis, adoptivis ceterisque id genus per posteriorem aetatem frustra requiras.

(6) Vir Anniae hujus, idemque Anniorum pater, nomen gessisse videtur Annius CELER. Nam sub Caesaribus perraro haec regula fallit, ut quae cognomina parentes gererent, eorum diminutiva filii assumerent, ut ex sexcentis exemplis constat.

Ceterum haec inscriptio, quam rebar ineditam, refertur a Grutero pag. 668. 6., ac Puteolis fuisse dicitur, unde omnino Neapolim translata fuit. Sed praeter versuum dispositionem, quae longe alia apud Gruterum; duobus eam mendis deformatam videas; nam pro CEPOTAPHIO legitur EPITAPHIO, & pro CELERINAES (usitatissimae in lapidibus formae genitivo) CELERINATIS. Eadem omnia peccat Fleetwodus pag. 198. 2. qui ex Grut. descripsit.

Digitized by Google

tus est Jesus. Sane apud Fabrettum pag. 225. n. LXII. distinguuntur ollae in area sitae ab ollis, quae in ipso monumento. Et pag 375. n. 173. *L. Vitellianus . . . loca duo concessit sepulturae INIVS IN MONVMENTO SVO &c.* Pag vero 412. n 353. IN IPSO MONVMENTO &c. Opponi & hoc potest non novum videri in hortis consuevisse veteres sepeliri. Apud Hebraeos Manasses sepultus est 4 Reg. XXI. 18. in horto Ozae. Apud Romanos exempla vide in Pitisco in *balneum Avascantianum*. Grut. pag. 636. 12. *Hi horti ita uti optimi maximique sunt*. Et pag. 755. *Hortos coherentes* &c. Respondeo, videndum an quidem ex his hortis cepotaphia fuerint, ut hortus Ozae. Ceterum num. plur. *Horti* veros hortos significat. Nihil enim impediebat, quominus sicut a ceteris possessionibus, ita a consitis hortis pars areae decideretur, ibique sepulcrum exstrueretur.

Postremo hoc omnium maxime huic nostrae sententiae incommodare videtur, quod qui alibi HORTVS aut CEPOTAPHIVM appellatur, in aliis inscriptionibus VIRDIARIVM dicitur, quae vox vix aliud quam consitos hortos notare potest. Itaque apud toties laudatum Fabrettum pag. 158. n. 274 ea vox legitur, itemque pag. 159. n. 279. & pag. 225. n. LXI. LXII. & n. 596. Sane Clarissimus auctor pag. 225. non imperite VIRDIARIVM in re sepulcrali non aliud significare putat, quam locum sepulturae subdivalem, & distingui a monumento, tanquam locum apertum ab operto. Possum & hanc potissimum responsionem adhibere, esse hoc figurae genus, quam μετάληψιν appellant, quam Homeri scholiastes, ad illud Od. IX. 327. ubi ἐθέωτα pro ἀπώχνια capitur, sic definit: ἐκ τῆ συνανύμυ τὸ ὁμώνυμον· ὁ τρόπος μετάληψις. Exempli causa, quia γλήνη & κόρη duo erant pupillae oculi synonyma, hinc quia κόρη translata significatione de homine ignavo dicebatur, Poeta eadem notione etiam vocem γλήνη usurpavit. Simili ratione γέροντας pro *legatis* accepit Il. IX. Eadem prorsus ratione factum, ut quia *viridiarium* erat *horti* synonymum, non tantum illud pro horto consito, quae propria est viridarii significatio, acciperetur, verum etiam altera illa horti significatio cum eodem vocabulo communicaretur, qua aream subdivalem sepulcro circumfusam, quae proprie HORTVS dicebatur, notaret. Sane viridiarium pro coemeterio positum in tabulariis monachorum reperitur apud Cangium in glossario: & ex vetere instituto hodieque Carthusiani *in viridario* seu viridiario tumulantur.

Postremo si quis forte in hujusmodi sepulcralibus hortis κυπαρισσῶνας fuisse contenderit, aliasve ibi funereas arbores consitas, quarum gratia vere VIRDIARIA dicerentur, non repugnaverim: modo ne hortos sepulcrales, de quibus tandiu disseruimus, cum veris hortis in humanos usus comparatis confuderimus. Itaque Josephi ab Arimathaea hortus VIRDIARIVM sepulcrale cupressis & hujusmodi feralibus arboribus consitum fuerit, & suum cultorem (si κήπαρος id significat, ac non potius custodem Joh. XX. 15.) habuerit per me licet; modo ne vulgarem hortum intelligamus pomis aut oleribus consitum. Nunc cetera quae apud Joh. sequuntur, porro videamus.

Et in horto monumentum novum, in quo nondum quisquam positus erat.] Sicuti nascentem Christum virginis uterus, ita & morientem *virgo sepulcrum* decuit. Sic enim novum monumentum veteres appellabant. Apud P. Lupum Jesuitam in Severae tumulo pag. 159. ex Museo Kircheriano. *Septimius Juvenalis . . . HOC MONIMENTVM VIRGINEM . . . CVM TERRVLA PVRA . . . comparavit* &c. Vetus in hortis Matthaeiis lapis apud Fabrettum p 53. n. 308. *Quieti · aeternae. Aurelius. Hermes · & Claudia · Secunda · hoc · MONVMENTVM · VIRGINEM · se · vivi · comparaverunt · sibi & · filiis · suis &c.* & eadem pag. num 309. item ex hortis Matthaeiis. *D. M. M Aurelius Domitianus · se · vivus · emit · & comparavit · LOCVM · VIRGINEM · a · solo · fecit · sibi · & · libertis &c.* Et eadem pag. num. 397. *Et . columbaria · XII. in · quibus · OLLAE · VIRGINES · N · XXIIII.* Nam singulis columbariis binae ollae cinerariae inferebantur. Similis est apud Aristophanem translatio, qua τριήρεις παρθένους dixit h.e. Eustathio interprete πρωτοπλόους.

Ibi ergo . . posuerunt Jesum] Sicut ergo Jesus virginis uterum dedicaverat, ita & sepulcrum virginem dedicavit: sed non *sub ascia dedicavit*: de qua formula vide alibi dicta &c. Solebant hujusmodi monumenta lucelli gratia extrui, ac postea vendi. Talis est illa καμάρα καθαρὰ apud Prideaux in marm. Oxon. pag. 132. num. LXXXI. ΓΑΙΟΣ ΕΛΕΜΠΟΡΟΣ ΑΓΟΡΑΣΑΣΑΣ ΚΑΜΑΡΑΝ ΚΑΘΑΡΑΝ ἐπιστεύσεν ἑαυτῷ καὶ τοῖς ἰδίοις &c. *Cajus Elemporus coëmta camara pura* (in qua nemo quisque humatus fuerat) *fecit* (σορὰς scil. & *ενσόρια loculos* & *ossuaria*) *sibi & suis* &c.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO III.

AD JOH. XXI. 7.

DE EPENDYTE ET SVBITARIO PETRI SVCCINCTORIO.

PETRVS *quum audiſſet, quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus), & miſit ſe in mare.*] Hic locus, ſiquis alius, variis interque ſe contrariis interpretationibus jactatus, non ſegnius heic a nobis exponetur; & ita fort. ut neminem noſtrae commentationis poeniteat. Tria vero ſunt, quae difficultatem pariunt: 1. quid ſit Ἐπενδύτης, quod interpres *tunicam* reddidit: 2. quid διαζώσασθαι, Noſtro *ſe ſuccingere*: 3. poſtremo quo ſenſu Petrus nudus exſtiterit.

Ordior ab Ἐπενδύτῃ. Sunt qui *induſium*, ſive *interulam* interpretantur; alii cum Vulgato *tunicam*; alii poſtremo veſtem *ſuperariam*, ſive extimam. Harum ſententiarum fulcimenta vide in Synopſi, quibus tamen licet haec addere. Suidas ſtat pro *intima tunica* ſive induſio: Ἐπενδύτης, ait, τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον, ὅ καὶ ὑποκάμισον λέγεται. *Ependytes eſt veſtis intima,* quae & *hypocamiſum dicitur*. Atqui mirum, ni haec Suidae ſint vitioſa (1) qui certe hiſce contraria alibi docuit. Et certe Ἐπενδύτης nihil minus, quam *induſium* eſſe potuit; uti nomen ipſum oſtendit. Ita haec interpretatio (maxime ſi Suidas aliud dixit) fundamentis caret. Alii cum Vulgato (2) interprete exteriorem *tunicam* volunt intelligi: cujus interpretationis fundamenta in Synopſi Crit. leges. Sed praeter ibi allata, Pollux (ſaltem ex interpretatione mea, quam vide in ſequentibus) ſuo tempore pro *tunica* uſurpatum id vocabulum teſtatur: idemque in Aelio (3) Dionyſio apud Euſtathium reperies.

Poſtremo Grotius, ut alios taceam, extimum veſtimentum interpretatur, ita ut reſpondeat Hebraico מְעִיל *Meil*; quae vox quum extimam veſtem notet, bis ἐπενδύτης a Senioribus redditur, & quidem de ſuperaria (4) veſte ibi

(1) Suidas in Ὑποδύτην, interpretatur id vocabulum τὸ ἐσώτερον ἱμάτιον· Ἐπενδύτην δὲ τὸ ἐπάνω i. e. *interiorem veſtem: Ependyten vero ſuperiorem*. Quo pacto haec ſtant cum verbis ſupra adſcriptis? Equidem non dubito quin ſive Suidas, ſive alius Suidei lexici interpolator, legerit in aliquo grammatico Ὑπενδύτης, τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον: quod quia ſive vitioſe ſcriptum erat Ἐπενδύτης, ſive in evanida & corrupta ſcriptura ita putaſſet legendum (praeſertim quum illud Ὑπενδύτης nuſquam facile reperiatur) ita retulit in lexicon, locumque aſſignavit inter voces ab E incipientes. At revera τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον non aliud eſt quam Ὑπενδύτης, quod vocabulum pro *interula* ſive in Iſidoro, ſive Varino, aut Heſychio, aut Gloſſis, alicubi certe legi. Ergo haec tria vocabula ſic definienda ſunt, & quidem ipſius Suidae verbis. Ὑποδύτης τὸ ἐσώτατον ἱμάτιον i. e. *induſium*. Ὑπενδύτης, τὸ ἐσώτερον ἱμάτιον h. e. *tunica*· Ἐπενδύτης δὲ τὸ ἐπάνω i. e *veſtis ſuperaria*.

(2) Non ſolum in Vulgata legitur *Tunica*, ſed & in Syro ſic reddente: *Accepit tunicam & cinxit lumbos ſuos*: & Arabe, qui poſuit חמוץ *chamots*; quod eſt *tunicae* vocabulum, quod ad Graecos primum, mox ad Italos tranſiit, quibus *camicia* dicitur interior tunica.

(3) Euſtathius ad Hom. Il. Σ prope finem (p. 1166. 50.) haec affert ex Aelio Dionyſio: Χιτὼν, ὁ ζωστὸς καὶ γυναικεῖος· ὁ δὲ ἀνδρεῖος, Χιτωνίσκος· ὁ τινὲς Ἐπενδύτην· τὸ δὲ βραχύ, Χιτωνισκάριον· Χιτώνιον δὲ καὶ Χιτωνάριον, λεπτὸν ἔνδυμα γυναικεῖον πολυτελές . . . ταῦτα Αἴλιος Διονύσιος. i. e. Χιτὼν *eſt tunica quae praecingitur, necnon & muliebris: at virilis dicitur* Χιτωνίσκος: *quod genus quidam Ependyten appellant. Id ſi brevius ſit, dicitur* Χιτωνισκάριον. *At* Χιτώνιον & Χιτωνάριον, *muliebre indumentum eſt tenue ac pretioſum . . . Haec Aelius Dionyſius*. Qui grammaticus ſub Hadriano floruit, dictus etiam *Dionyſius Atticiſta*. Quod χιτῶνα dixit eſſe ζωστὸν, eo diſtinguitur ab ὀρθοσαδίῳ i. e. a *tunica recta*, quae non *praecingebatur*, ſed recta deorſum fluebat: ζωστὸς longior erat, recta brevior. De *tunica recta* videatur Pollux. VII. 48. ubi inter veſtes utrique ſexui communes recenſetur χιτὼν ὀρθοσάδιος, ὁ ἐ ζωννύμενος i. e. *tunica recta conſiſtens, quae non cingitur*. Quamvis Heſychius aliter ὀρθοσαδίας definiat, ita ut a συρτοῖς diſtinguantur; & Feſtus *rectas* intelligat, quae a ſtantibus in altitudinem texantur. De quo dixi quaedam in *diſſ. de ſemicinctio* ad Act. XIX. 12.

(4) Vt I. Sam. XVIII. 4. Jonathan exuit ſe pri-

Digitized by Google

ſte ibi eſſe ſermo videtur. Cetera opinionis hujus vide in Grotio. Cui interpretationi & quidquid veterum (5) Gloſſarum eſt, & (6) Nonnum favere animadverti; ac praeterea idem confirmatur ex diſcrimine inter haec vocabula Ὑπενδύτης, Ὑποδύτης, Ἐπενδότης, quod adnot. 1. poſui. Nam ſi primum eſt interula, alterum tunica exterior; reſtat ut tertium Ἐπενδύτης ſit veſtis extima.

Verum hujus vocabuli ſignificationem nemo accuratius Polluce (cujus auctoritatis neminem credo poeniteat) docuit; parum tamen ad hunc diem intellectus. Is tamen meo judicio ſic ſtatuit, Ἐπενδύτην vulgo quidem ſuo tempore pro *tunica* uſurpatum; at veram ſignificationem eam eſſe, ut extimum notet amiculum. Pollucis verba, meamque interpretationem, ne longum faciam, videbis in (7) ſubjecta adnotatione.

Quum ergo duplex ſit ἐπενδύτου notio, una τῶν πολλῶν (*vulgi*) pro tunica, altera doctiorum pro extima veſte: quam ſtatuemus ſecutum eſſe Scriptorem Divinum? Omnino extimam veſtem intellexit, tum quia ea propria eſt, Polluce teſte, vocabuli notio, nec Johannem Graece proprietatis incallidum auctorem fuiſſe pluries deprehendi; tum quia is uſus fuit Graecae Seniorum interpretationis. Poſtremo, cur haec notio, ſit huic loco convenientior alterâ, ex his quae de διαζώννυμι & γυμνῷ dicentur, facilius intelligetur.

At enim, inquies, ſi ἐπενδύτης veſtis extima eſt (veluti laena, pallium, penula, & ſiqua ſunt alia hujus generis) Vulgati interpretis exiſtimatio (ut de Syro, & Arabe taceam) periclitabitur, cujus eſt interpretatio *Tunica* ſuc-

---

primum Ependyte, tum inferioribus veſtibus.

(5) In Cyrilli Gloſſis Ἐπενδύτης eſt *Inſtata* (vulgo corr. *Inſtita*: ſed *inſtita* longe eſt aliud; videndum an non ſcripſerit Auctor *Inſtrata*: h. e. quae inferioribus veſtibus deſuper *inſternitur*) *Superaria*. Item in Philoxeni Gloſſis eſt *Superaria veſtis*. Alibi *Superalia*.

(6) Nonnus in Io. XXI. 7. τὸν ἐπενδύτην pluribus vocabulis παραφράζων, & εἷμα δαιδάλεον appellat, & λίτον πέπλον, & ἀμφίβλημα: quae ſunt tamen poetica & γοητικώτερα.

(7) *De* Ependyte *Locus Pollucis explicatur.*

Pollux VII. 45. Vbi tunicae nomina recenſuiſſet his verbis: Χιτὼν δὲ ἁπλῆς, Χιτωνίσκος, Χιτώνιον, Ἱμάτιον i. e. *Proba veſtium vocabula haec ſunt*, Χιτών *Tunica*, Χιτωνίσκος *virilis tunica*, Χιτώνιον *tunica muliebris*, Ἱμάτιον (quod ultimum reddi poteſt aut γυναικῶς *veſtis* aut potius *Veſtis ſuperaria*) ubi inquam proba nomina ope verbi Ἐρεῖς i. e. *recte dices* deſignaſſet; ſtatim ſubjicit: Εἶτα (adſcribe heic, meo periculo conjunctionem δὲ) καὶ ὁ Ἐπενδύτης ἐστὶν ἐν τῇ τῶν πολλῶν χρήσει, ὃς τις βούλοιτο καὶ τούτῳ τῷ ὀνόματι βοηθεῖν φαύλῳ ὄντι, λαμπρὸν αὐτὸ ἐν τῶν Σοφοκλέους Πλυντρίων,

Πέπλους τινύσσει (cor. κτενίσσει *depectere*)
λιτοπλυσεῖς τ' (cor. λιτοπηνίας τ') ἐπενδύτας.

Καὶ Θέτις δέ που φησὶν ἐν τῷ Πενθεῖ,

Ἔργῳ νόμιζε πυρίδας (cor. πυρρίδα, imo, ut verſus conſtet, πυρρίδ') ἔχειν ἐπενδύτην.

Quae ſic ſunt reddenda: *Quoniam vero etiam* Ἐπενδύτης *vulgo a pluribus uſurpatur; ſicui cupido ſit huic vocabulo, ceteroqui minus probo* (non ipſum vocabulum minus probum intelligit, ſed vocabuli notionem pro *tunica*) *opitulari; ex Sophoclis Lotricibus exemplum arceſſi jubeo:*

Depectere peplos & lineos ependytas:
Itemque e Theſpidis Penthei (ubi aliquis furore percitus dicitur)

Reapſe ratus binnuleam habere pro ependyte.

Et his quidem exemplis ſic vocabulo ſuppetias fert grammaticus, ut quum vulgo ſuo tempore pro *tunica* uſurparetur, (id quod & Aelii Dionyſii verba ſuperius adſcripta oſtendunt) ex his locis colligat, veſtem ſuperariam eſſe, ſicuti & *peplus* & bacchantium *binnulea*, veſtes extimae ſunt. Tamen & *tunicae* notionem auctoritate non carere, mox idem Pollux oſtendit; haec enim ſtatim ſubjicit: Ἀντίκυρος δὲ δοκεῖ τὸ ἐν τῷ Νικοχάρους Ἡρακλεῖ χορηγῷ

- - - Φέρε νῦν ταχέως, χιτῶνα τ' ἐπενδύτην,
τῇ νῦν χρείᾳ βοηθῶν. i. e. *Contra vero hodierno uſui* (nempe ut pro *tunica* uſurpetur) *videtur ſuffragari illud quod in Nicocharis Hercule Choragio legitur:*

- - - *Fer agedum cito tunicamque ependytem:* ſive *tunicam ſuperiam*. Heic enim non poteſt non eſſe *tunica*, imo tunicae eſt epitheton. Haec genuina eſt Pollucis interpretatio, quam nemo adhuc eſt aſſecutus; ne Gatakerus quidem Adverſarior. poſtumor. cap. 9 (p. 80. edit. Lond.) ubi in hoc Pollucis loco emarrando multus eſt. Qui in his ultimis potiſſimum grammatici verbis nihil vidit, quando Ἀντίκυρος reddit *Aperte*, & τῇ νῦν χρείᾳ *negotio praeſenti*, nim. circa vocabulum Ἐπενδύτης, de quo in praeſentia agitur. Haec male: at illud deterius, quod verſui Nicocharis, uti conſtet, putavit ſe ſuppetias laturum, ſi reſcriberet Χιτῶνά τε κἀπενδύτην; non veritus in quarta ſede pyrrichium pro iambo intrudere, deinde tunicam ab ependyte diſtinguere, quum tamen alterum alterius epitheton Poeta fecerit, idque Pollux agnoverit. Atqui Nicocharis verſus pede uno ab initio mancus eſt, cujus etiam pes penultimus eſt anapaeſtus.

Digitized by Google

fuccinxit se. Istud quidem non sequitur. Siquidem Vulgatus interpres non quamlibet tunicam intellexit, sed *tunicam superariam*, quam Nicocharis apud Pollucem χιτῶνα ἐπενδύτην appellavit. Ex quibus intelligitur, tria tunicarum genera fuisse, unam ἐφαρμον (*carni contiguam*) quae est *interula* sive *indusium*; alteram illam, quae ἁπλῶς *tunica* dicebatur; tertiam vero, quae nonnullis in usu erat, *tunicam superariam*. Haec tunicarum tria genera tribus χιτῶσι epithetis distinguebantur, prima ὑπενδύτη (supple χιτὼν) altera (χιτὼν) ὑποδύτης, tertia χιτὼν ἐπενδύσης: quod integre in Nicochari legitur.

Ex hisce tunicis *Ependytem* i. e. *superariam* haud raro lineam fuisse ostendit illud Sophocleum apud Pollucem, λινοπλινεῖς τ' (sive λινοπτινεῖς τ') ἐπενδύτας, *lineosque ependytas*, quod adnot. superiore adscripsimus. Et hunc Petri *ependytem* fuisse lineum agnoscit Nonnus versibus, qui infra producentur. Adhaec ex Aelio Dionysio (cujus verba sup. adnot. attulimus) videtur brevior fuisse quam ceterae tunicae, nec fuisse ζωστὸς (*praecincta*) sed tunicae *rectae* genus.

Ex quibus omnibus, sic videtur Ἐπενδύτης definiri posse, ut sit Tunica superaria, plerumque linea, brevior quam tunica ὑποδύτης, quae non praecingebatur, quippe ὑπόζωμα non habens, ut infra dicetur.

Postremo a vero non aberraturus mihi videor, si prope certa conjectura statuam ependyten, aut non aliud quam exomiden fuisse, aut exomidi simillimam. Hujus conjecturae auctor & fundus est nobilis aevi Hadrianei Atticista Aelius Dionysius, cujus haec verba affert Eustathius in fine Il. Σ. p. 1166. 55. Ἐξωμὶς γάρ φησι (Αἴλιος Διονύσιος) χιτὼν ἅμα καὶ ἱμάτιον τὸ αὐτό. *Exomis enim, ait* (Aelius Dionys.) *simul tunica, simul eadem & extima vestis est*. Atqui Ependytes etiam ita tunica erat, ut simul vestis esset superaria, quare aut erant synonyma aut rerum duarum affinium ac simillimarum vocabula. De exomide dixi quaedam in Diss. *de tunica Pbassim* ad Gen. XXXVII. 3. Vestis erat non manuleata, ex duplici panno constans, quorum alter retrorsum, antrorsum alter *ex humeris* (a quibus nomen invenit) dependebat, ac talis ferme, quale colobium inferioris aevi. Id ut facillime corpori inducebatur, & exuebatur, sic facile quoque ope lumbaris cinguli poterat circa renes in orbem subligari: quod Petrum fecisse, Joannes hoc eleganter significat; de quo vide quae sequuntur. Venio enim ad alteram voculam διεζώσατο, quam quum scitissime transtulisset interpres, *se fuccinxit*; tamen viri doctissimi nec Graeci verbi vim, neque Latinae interpretationis tenuerunt. Porro quid sit διαζώσασθαι, quid ei respondens *se succingere*, copiose in Diss. *de semicinctio* ad Act. XIX. 12. disputabitur. Interim scire sufficiat *Alticinctos* & *succinctos* (sicut & Gr. ἀνεζωσμένους sive ἀνεσταλμένους & διεζωσμένους) hoc differre, quod illorum cinctus a collo & summo pectore procederet, ut hodie fit in nosocomiis ab iis qui *alte cincti* (i. e. mantele habentes a collo descendens ad crus medium) ministrant; horum autem cinctus a renibus, & duodecima vertebra (quae idcirco διαζώστηρ Polluci nuncupatur) incipiens, ad genua aut porro protenderetur: quod cincturae genus sic ab illo altero integro distinguebatur, ut *semicinctium* diceretur aut *succinctorium* Gr. διάζωμα, & ὑπόζωμα, quin etiam & περίζωμα, i. e. *subligaculum*. Ergo διαζώσασθαι τὸν ἐπενδύτην i. e. *veste superaria se succingere* idem est, quod ex *ependyte*, quem diximus, sibi subitarium semicinctium, aut vero subligaculum parasse. Id & pudoris causa a Petro fiebat, quo honestior coram Magistro se sisteret; & ut interim nihil in natando impeditus facile posset brachia jactare. Nec aliorsum videtur accepisse hunc locum Syrus, sic locum hunc interpretatus: *Accepta tunica sua praecinxit lumbos suos*: ubi pro *cinxit* Syriace est מחם *mechab*; quod verbum pro *Cingo* sic usurpatur, ut tamen metaphoricum videatur, ac sumptum ab ejusdem verbi significatione Caldaica, qua notat *Impedire, prohibere, avertere*, rei scil. alicujus aspectum. Ea si recta est Syriaci verbi interpretatio, erit sane hoc verbum non simpliciter *cingentium*, sed *se succingentium* ac subligantium peculiare.

Verum his missis, non est ovum ovo similius, quam huic Johannis loco illud διαζωσάμενος τὸ τριβώνιον, quod duobus non amplius verbis affert ex Luciano H. Stephanus. Quem locum, quum huc maxime facere augurarer; commodum mihi reperit Vir Nob. Franc. Galluppus, Graecanicae cum primis eruditionis promus condus. Est autem ἐν τῷ *quomodo conscribenda sit historia* (p. 602. Amstel.) in hunc modum: ὁ δὲ Διογένης ὁρῶν ταῦτα, ἐπεὶ μηδὲν εἶχεν ὅτι καὶ πράττοι, ἐπεὶ γὰρ αὐτῷ εἰς ὕδωρ ἐχρῆτο, διαζωσάμενος τὸ τριβώνιον, σπουδῇ μάλα καὶ αὐτὸς ἐκύλιε τὸν πίθον, ἐν ᾧ ἐτύγχανεν οἰκῶν, ἄνω καὶ κάτω τῷ κρανίῳ. Quae scite admodum sic reddidit Jo. Benedictus: *Quae quum videret Diogenes* (de Corinthi obsidione loquitur) *& nihil haberet quod ageret, nulla enim in re quispiam ejus ministerio utebatur, pallio succinctus, ipse etiam dolium, in quo habitabat, magna per Cranium sedulitate sursum & deorsum volvebat*. Quid sit in Diogene διαζώσασθαι τὸ τριβώνιον, *pallio se succingere*, facile

facile assequeris, si memineris, nobilem hunc Cynicum sine tunica (cum solo opinor intusio) pallio duplicato frigore se defendisse: de quo vide quae dixi in de *Diploide Cynica* ad Pl. CVIII. 29. At dolium tanta sedulitate versare pallio obvolutus qui potuisset? Itaque pallio lumbos & inferiora succinxit atque impedivit, ut expeditius brachia jactaret. Nec aliter Petrus in ependyte (quae & exterior vestis erat) fecit, uti jam diximus. Eodem credo spectat & illud, quod ex eodem Luciano affert idem H. St. διεζωσμένος τὴν ἐσθῆτα. Sed sine συνεχείᾳ loci nolo quidquam pronuntiare.

Dicat heic aliquis, posse tum Luciani tum & Johannis locum sic facilius reddi, ut διαζώσασθαι sit activae significationis, ac referatur ad pallium, & ependyten, quae prius corpori inducta, mox lumbari cingulo adstricta fuerint. Atqui ex dictis tum heic tum & in diss. *de semicinctio* haec interpretatio refellitur. Διεζώσατο, & Διαζωσάμενος; sunt in his locis mediae vocis at passivae significationis: deinde τὸν ἐπενδύτην & τὸ τριβώνιον non a verbo reguntur, sed Graeco more accusandi casu eam vim habent, quam apud Latinos casus sextus. Tale etiam est illud in Luciani *Somnio* διεζωσμένη τὴν ἐσθῆτα, ubi participium & voce & significatu passivum est. His accedit quod nec pallium nec ependytes erat ex genere τῶν ζωστῶν, h. e. quae membris injecta prius, mox cingulo lumbari adstringerentur: id quod harum rerum cupidi ex subsstrata (8) adnotatione poterunt cognoscere.

(8) De ζωστοῖς, ὀρθοσαδίοις, & συρτοῖς.

Tunicarum tria genera fuisse reperio: alii erant χιτῶνες ζωστοὶ, h. e. qui cinctura in renibus adstringerentur; alii ὀρθοσάδιοι aut σατοὶ, quasi dicas *consistentes*, nec enim cinctum admittebant, sed recta descendebant. Hi ferme breviores erant (nihil enim de longitudine cinctus decerpebat) at si longiores, συρτοὶ dicebantur. De ζωστοῖς testis prodeat Aelius Dionysius apud Eustathium verbis sup. adnotat. 3. adscriptis; ubi χιτὼν (*tunica*) proprie est ὁ ζωστὸς καὶ γυναικεῖος i. e. *quae cingitur aut muliebris*. De ὀρθοσαδίῳ Pollux VII. 4. ubi inter vestes utrique sexui communes refertur χιτὼν ὀρθοσάδιος, ὃ ἂν ζωννύμενος i. e. *tunica recta consistens, quae cingulo non adstringitur*: quas mox, quippe breviores, χιτωνίσκους vocat. At Hesychius sic definit: Ὀρθοσάδιοι χιτῶνες οἱ σατοὶ, ὑπόκομμα ἔχοντες. ἢ δὲ συρόμενοι συρτοί. i. e. Ορθοσάδιοι *tunicae sunt quae* σατοὶ *appellantur, habentes* ὑπόκομμα (quid sit ὑπόκομμα etsi difficile dictu est, tamen dicam infra quae potero) *at quae reptantur* (& quasi humum verrunt) συρτοὶ appellantur. Eadem & Suidas habet: Ὀρθοσάδιοι· οἱ σατοὶ χιτῶνες. οἱ δὲ συρόμενοι, συρτοί. De σατοῖς scripsit Phrynichus: Σατὸς ὁ τῶν αὐλητῶν χιτὼν ὃν λέγεται, ὡς Φαβωρῖνος, ἀλλ' ὀρθοσάδιος χιτών. Negat σατὸν esse tibicinum tunicam (quod Phavorinus ajebat) sed esse eamdem ac ὀρθοσάδιον. Ex his grammaticorum dictis (quae aliorsum plures virorum doctissimorum acceperunt, quibus nihil necesse est ea de re dicam scribere) vides jam fuisse tunicas ζωστὰς easque eo ipso longiusculas, quod adstringerentur: fuisse & breviores χιτωνίσκους ὀρθοσαδίους, ὃ ζωννυμένους. At qui non cingebantur, si longiores fuissent, συρτοὶ vocabantur. Ependytes erat ex secundo genere, uti Aelius Dionysius apud Eustathium annotavit, qui ependytas eosdem ac χιτωνίσκους (utique breviores) fuisse ait, & a ζωστοῖς distinxit. Erat ergo Ependytes ὀρθοσάδιος non ζωστός.

Quamquam Festo placuit aliud *tunicae rectae* (ὀρθοσαδίου) etymon tradere. *Rectae*, inquit, *appellantur vestimenta virilia . . . ita usurpata, quod a stantibus & in altitudinem texuntur*. Verum utrumque verum est, nam *rectae* tunicae & a stantibus texebantur, eaedem vero ὀρθοσάδιοι erant, quia nullo cingulo adstringebantur, sed rectae fluebant.

Restat id unum, quid sit ὑπόκομμα apud Hesychium, aut cur eidem tunicae Ὀρθοσάδιοι dicantur ὑπόκομμα ἔχοντες. Viri docti ad Phrynicum & Pollucem putarunt ὑπόκομμα esse *incisuram*, quando tunica non uno tenore pertexta est, sed circa lumbos *incisuram* habeat, acu conjunctam. Itaque in Hesychio legi jubent ὑπόκομμα ἂν ἔχοντες *incisuram non habentes*, sed uno tenore continuatae. Eam incisuram circa renes ob eamdem rationem ὑποῤῥαφὴν appellatam volunt, quia futurâ panni intercisi committebantur. Eam Latine dictam reperio *subsutionem* & *subsumen*. In Glossis Philoxeni sic deprehendi: *subsutio*: ὑποκόλαιμωμα (an etiam Hesychius ὑποκόλωμμα scripsit?) ὑποραφή· Ibid. *subsumen*: ἀναπλαφὴ, ὑποκόλαμμα. Rursus ibid. *Subsutio*: ὑποκόλαιμμα. In Glos. Cyrilli. Υποραφὴ: *Plicatura*, *resarcinacio*. Ex quibus Glossarum monumentis conjici potest Hesychii sive ὑπόκομμα (sive ὑποκόλαμμα, quod ter in Glossis legitur) esse subsutionem, qua panni utriusque intercisura conjungitur. Quid si aliud magis reconditum lateat? Eidem Hesychio Υποκομψίας est τὸ κομψὸν ὑποφαῖνον. i. e. qui ornatum qui in loco cinguli est (id valet ὑπὸ, ut dixi in diss. *de semicinctio*) ostentat. Vt autem id quodcunque ornamenti fuit (credo acu aut pectine pictum, unde & ὑποραφὴ, & *subsutio* &c.) ostentui esset, cingulum erat removendum, ut tunica recta flueret. Hinc Hesychio *tunica recta* definitur, quae ὑπόκομμα ἴσχει, quae habet in loco cinguli ornamenta, quae ne deperi-

Digitized by Google

ſcere. Ex quo ſequitur, priorem interpretationem veram eſſe, ac Petrum non aliter tunica ſe ſuccinxiſſe, quam tunica circa lumbos ac femora in orbem convoluta in ſemicinctii morem.

Poſtremo ita hunc locum in ſua paraphraſi Nonnus Panopolita pluribus complexus eſt, quaſi ſibi propoſuiſſet, quid ſit διαζώσασθαι quidve *ſemicinctium*, id ſcil. ignorantibus, enarrare. Nam vide quot repetitis locutionibus idem inculcet.

Εἵματι δαιδαλέῳ λαγόνας μιτρώσατο Σίμων.
Καὶ λινέῳ πεπύκαστο πολυτρήτῳ χρόα πέπλῳ,
Πόντιον ἀμφίβλημα περὶ γλουτοῖσιν ἑλίξας,
Δίρμα, τόπερ διδύμων κιχαλασμένον ἰς πτύχα μηρῶν
Ἰχθυβόλοι φορέουσιν, ἀθηήτῳ σκέπας αἰδοῦς.
Tunc vario Simon ſua faſciat ilia amictu,
Multiforoque cutem lineo velamine denſat,
Involvens natibus non impedientia nantem
Tegmina, quae geminum demiſſa per undique femen
Piſcatrix fert turba, ſuo haud incauta pudori.

Poſt tam uberem Panopolitae commentarium fruſtra ſim, ſi vel verbum addam. Imo hac tota diſſertatione facile ſuperſediſſem, ſi in hunc poetae locum initio incidiſſem; quo uno loco, quae apud me ipſe ſtatueram, omnia planiſſime confirmantur. Sed venio ad tertiam dubitationem.

Sequitur: *Erat enim nudus*. Grotius, quem non pauci ſequuntur, nudum veſte dumtaxat exteriore interpretatur; quod tamen non (9) probat. Deinde ſi Petrus tunica indutus erat, ac tantum extima veſte carebat, cur ut pudori conſuleret, veſte illa extima ſe ſuccinxit? Ac ne multa, omnino αἰτιολογικὸν iſtud *Erat enim nudus*, junctum cum ſubitario ſuccinctorio, quod ſibi paravit, oſtendit Petrum, aut omnino nudum, aut quod magis credo, levi tantum circa pudenda ſubligaculo obtectum fuiſſe. At adventanti Praeceptori ut honeſtior occurreret, quia tunicam ſi induxiſſet, ea natatui impedimento fuiſſet, ependyte lumbos ac femora obvinxit, in ſemicinctii modum.

Ac Nonnus quidem in iis verſibus, quos modo recitavi, omnino nudum fuiſſe Simonem, etiam circa pubem, antequam ependyte ſe ſuccingeret, haud obſcure ſignificat. Ego & nudum fuiſſe cum Evangeliſta ajo; & tamen pudenda habuiſſe velata etiam ante Domini adventum contendo. Nam qui *nudi* olim dicebantur, iidem in verendis *cinctuti* erant; idque proprie, niſi vehementer fallor *cinctuti* (10) vocabulum ſignificat. At *cinctutis*, opinor, venter & pubes, non etiam femora tota contegebantur. Hinc Simon ut hone-

---

perirent, cingulum amovebatur, ac recta deſcendebat. Sane Κομψὸς (unde eſt ὑποκομψίας) ab eadem radice eſt unde & Κόμμος *ornatus* & Κομμόω *orno*; unde ὑπόκομμα non eſt (ut ita loquar) *ſucciſura*, ſed ſignificat *ornatum qui ſubtus eſt*: uti jam ſupra demonſtravi.

(9) Loca quibus id probare vult ὁ πάνυ, id non probant. Locum 2. Sam VI. 20. ſi conferas cum V. 14. intelliges Davidem, quum ludium ageret, lineo tantum circa pudenda campeſtri ſuccinctum fuiſſe, cetera nudum; vide quae ad ejus cap. V. 14. dixi. In ceteris Scripturae locis quae affert, aut eodem modo nudi erant, ſubligaculo tantum ſuccincti, aut ſolo induſio obtecti. Melae locum cum Tacito conferre non vacat. Poſtremo Xiphilini locus in Pſeudoantonino Grotii cauſam adeo non juvat, ut maxime confodiat. Nam impuriſſimus hominum, nudus ſuam artem exercebat. Verba Xiphilini in Heliogabalo ſunt: γυμνός τε αὖ ἐπὶ τῆς θύρας αὐτῆ ἑστὼς.. καὶ τὸ σινδόνιον χρυσοῖς κρίκοις ἐξηρτημένον διασείων. At Grotius non tantum ceteris indumentis, ſed & findone indutum voluit. Σινδόνιον (ut oſtenſum eſt in *de findone & Sudario* p. 93.) *Sudarium* ſignificat, quo mulieres caput obnubunt. Ita ſpurciſſimus homo ſudario caput velaverat ritu mulierum. Aut ſi mavis, σινδόνιον illud prae foribus χρύσοις κρίκοις *circulis aureis* ſuſpenſum dependebat, idque a Pſeudoantonino jactabatur.

(10) *Quid ſint proprie* cinctuti.

Ad illud Horatii in Arte v. 5. *Fingere cinctutis non exaudita Cethegis*, Acron ſic notavit: *CINCTVTIS, antique dixit i. e. militaribus viris & ad militiam paratis. Vnde per contrarium dixit Poeta: Diſcinctos Mulciber Afros, i. e. imbelles ad militiam.* Hanc veteris interpretis expoſitionem omnes deinceps, quantum eſt philologorum ſecuti ſunt, quorum catalogum contexere nihil attinet. Atqui dormitavit heic bonus Acron, & cum eo ceteri viri ſummi. *Cinctutus* eſt a *cinctu*-Cinctus peculiaris virorum erat, ut *cingulum* feminarum. Varro de L. L. *Alterum* (i. e. cinctus) *viris*, *alterum* (cingulum) *mulieribus attributum* Atqui *cinctus* non eſt ſimplex lorum circa renes convolutum, ſed integrum erat pudendorum velamen. Plin. XXVII. 5. *Sed ad inguinum medicinam ſiniſtra manu decerpi jubent, & juxta cinctus alligari*; quia cinctu inguen contegebatur. Idem colligitur ex ejuſdem XXVIII. 4. Eadem eſt notio *cincticuli* apud Plaut. Bacchid. quo ſcil. pueri pudenda obtegebant. Hinc *cinctuti* ii ſunt, qui cetera nudi, tantum cinctu inguen velatum habent. Ovidius in V. Faſt. 101. Lupercos qui certe nudi incedebant, *Cinctutos* appellat. Se-

honeſtior Domino occurſaret, temporarium ſemicinctium admovit ſibi, qua potuit dum occurſationem maturaret. Nec alio modo CHRISTVM in cruce nudum fuiſſe dixerim, & alios plures, quos adnot. 10. nudos dici obſervavimus. Atque haec de Johannis loco nec facili, nec adhuc ſatis intellecto, etſi ab Vulgato interprete ſatis feliciter expoſito.

Semicaper coleris cinctutis, Faune, Lupercis,
Quum luſtrant celebres vellera ſecta (i. e. ſcuticae e pelle caprina) *vias.*

An ergo lupercos *militares* Acron appellaverit? Omnino *cinctuti* erant ob eam, quam modo dixi, cauſam. Jam ad Cethegos venio. Antiquiſſimi Romanorum toga tantum, non etiam tunica, induti procedebant. Id ex Gellio, & aliis jam notum, inutile eſt pluribus demonſtrare. Atqui nec induſium iidem gerebant,, quod recentius tunica fuit. Hinc domi Romani *cinctu* tantum & toga contenti erant. Ob eam cauſam Horatius ut antiquos Romanos deſignet, elegantiſſime *cinctutos* dixit, illud deſignans tempus, quo ſine tunica, *cinctus* dumtaxat uſurpabatur. Et haec quidem ſic mecum ipſe ſtatueram. Sed quia invidioſum erat veteris Scholiaſtae, qui fidem apud viros doctos invenerit, auctoritatem convellere; commodum mihi nec cogitanti contra veterem interpretem alter vetus Horatii interpres, etſi non intellectus, ſuppetias tulit. Porphyrion ad eum Hor. locum: *Omnes enim Cethegi morem ſervaverunt eundem Romae: inter cetera deſcriptam comam* (fort. *togam*) *retulerunt. NVMQVAM ENIM TVNICA VSI SVNT, IDEO EOS CINCTVTOS DIXIT, QVONIAM CINCTVM EST GENVS TVNICAE INFRA PECTVS* (i. e. circa lumbos) *APTATAE.* Vides quo ſenſu Petrus nudus erat, & quo tot alii (uti & in cruce *CHRISTVS*) in Scriptura nudi fuiſſe dicantur: ſic inquam nudi, ut tamen *cinctuti* fuerint. Sed qui a Porphyrione beneficium acceperim, non poſſum non eidem referre gratiam? Cur enim cinctum appellavit TVNICAM? Videtur ſe Porphyrion Chriſtianum prodere. In latino Johannis legerat Petrum *tunica ſe ſuccinxiſſe*. Hinc homo Latinitatis parum callidus, putavit *ſuccinctorium* (ut aevo ſequiore appellabant *ſubligacula* ſeu περιζώματα) olim *TVNICAM* fuiſſe appellatam. In quo ſplendide fallitur, quia Vulgati *tunica* ſive *Ependytes* diſtat a *ſuccinctorio*, quantum aera lupinis; etſi pro tempore Petrus ex ependyte ſibi fecerit *ſuccinctorium*.

SPICI-

Digitized by Google

SPICILEGIVM

OBSERVATIONVM LITTERALIVM

IN ACTVS APOSTOLORVM.

PROLEGOMENA.

INter cetera quae in hoc libro notanda ſunt, id maxime obſervatione dignum arbitror, conciones, quas Lucas ſuae hiſtoriae intexuit, non eſſe tales, quales ſunt Livii aliorumque hiſtoricorum, plurimum commentitiae & ejuſmodi ut iis inſit τὸ πρέπον, non item dictorum vēritas. Contra eſt in allocutionibus hujus libri; ſunt enim ipſiſſimae, quas Apoſtoli ceterique habuerunt. Idque non tantum ita eſſe praefidenter affirmamus ex eo, quod hic liber ex Θεοπνεύστοις eſt unus; verum & humano argumento ducti. Confer, ſi lubet, Petri apud Lucam conciones cum ejuſdem epiſtolis; eundem ſtilum, eaſdem verborum trajectiones atque hyperbata ſermonemque ſubduriorem, eadem omnia quae in epiſtolis invenies. At Pauli concionum ſtilus longe alius, & qui cum ejuſdem epiſtolis collatus, non diſſimilis videri poſſit.

Ad titulum Actorum.

Πράξεις τῶν Ἀποστόλων]. Crediderim fuiſſe hunc titulum Graecis valde uſitatum. Sic marmor Farneſianum (apud Sponium in Miſc. Er. Antiq. ſect. 2. art. X. pag. 47.) in quo labores & geſta Herculis recenſentur, inſcribitur ΗΡΑΚΛΕΩΣ ΠΡΑΞΕΙΣ, *Herculis acta.*

AD ACT. I. 4.

Et conveſcens] Gr. συναλιζόμενος. Apud priſcos quidem Scriptores, inprimis Herodotum συναλίζεσθαι idem erat, quod *congregari*: & Heſychius, qui Scripturae Sacrae voces ſtudioſe ſuo lexico intexuit, συναλιζόμενος interpretatur, συναχθεὶς, συναθροισθεὶς. Sed quin *conveſcens* recte Latinus verterit, praeter Chryſoſtomi auctoritatem Vulgatae Latinae interpretationi ſuffragantis, dubitare nos minime ſinunt veteres Gloſſae Latino-Graecae, quae vulgo Philoxeni appellantur. Ibi *conveſcitur* vertitur συναλίζεται. Mitto, quod ut jam viri docti obſervarunt, Syriaca & Aethiopica verſio cum Latina conſentiunt. Significatio inde orta, quod apud veteres quidvis aliud a menſa quam ſalinum aberat. Is mos ut videtur a ſacris originem traxit, a quibus tum apud Hebraeos tum apud profanos, ſal nunquam exſulabat, uti diximus ad Lev. II. 13. Nam quia veterum ſacrificia ſemper cum epulis conjuncta erant, eo factum, ut convivales mores & vocabula pleraque ex ſacris profecta reperiantur, veluti eſt ἱερεῖον, quod proprie *victimam*, ferme autem *animal* ad epulas *mactatum* notat, & alia ſexcenta. Ergo ex ſacrificiorum ritibus fluxit, ut ſalem a menſa abeſſe nefas putaretur. Hinc in veteribus Gloſſis σύναλος vertitur *conſalineus*, ſive *conſalaneus*, hoc vero tantundem quod *conviva*. Hinc & antiqui *ſalem* ac *menſam* junctim ac ferme συνωνύμως uſurpabant. Vetus adagium: ἅλα καὶ τράπεζαν μὴ παραβαίνειν: quod maxime in hoſpitalium jurium ſignificatione vim habet: unde Demoſthenes or. de falſa

falsa leg. in hospitii violatorem invehens, πῦ δ' ἅλες; inquit, πῦ τράπεζα; De Paride hospitii violatore sic Lycophron ℣. 134.

- - - - ὐδὲ τὸν ξενοις
Σύνδαρτον Αιγαίωνος ἀγνίτην πάγον.
Ε'τλης θεῶν αλοιτὸς ἐκβῆναι δίκην
Λάξας τράπεζαν, κἀναχυπωσας θέμιν.
. . . *Nec* (*veritus*) *hospitum*
Neptunium convivam intemeratum salem.
Ausus sceleste jura deorum transgredi,
Mensamque percellens, & evertens Themin.

Apud S. Asterium (vide Ruinartum in Actis martyrum pag. 561. n. 3.) S. Phocae hospites iidemque persecutores, *salem ac mensam reveriti* dicuntur. Plutarchus V. sympos. 9. in salis commendatione multus est, quem condimentum condimentorum appellat, eumque negat luci, terrae, aquae utilitate concedere. Quid quod tenuiores eo tantum opsonio utebantur, unde & ἅλα λείχειν *salem lingere* dicti, & festive apud Persium

- - - *digito terebrare salinum ?*

Sed & veteres philosophos vel tum, cum opipare opsonari vellent, salem tantum pro opsonio adhibuisse, fidem facit Thrasicles apud Lucianum ad calcem ejus dialogi, qui Timon inscribitur. Vbi philosophaster ille jactitat caepe aut nasturtium sibi esse opsonium suavissimum, aut ubi deliciari velit, pauxillum salis. Ὄ'ψον δὲ ἥδιστον θυμὸν ἢ καρδαμον, ἢ, εἴποτε τρυφῴην, ὀλίγον τῶν ἁλῶν.

Ex his omnibus plane intelligitur sic a sale συναλίζω & συναλίζομαι factum, ut a σῖτος συσσιτέω. Ceterum qui *congregandi* significationem heic verbo isti assignant; non animadverterunt συναλίζων fuisse dicendum; neque enim συναλίζομαι notione activa reperitur.

Postremo animadversione dignum est, Christum ex Augustini sententia meridie Caelum conscendisse. Ergo συναλισμὸς iste, de quo Lucas, in tertiam aut quartam horam incidit. Qua ora jentare solebant veteres, quoties ob negotiosam vitam prandium omittendum esset, & usque ad vesperam aut cenae horam cibus sumi nequiret, auctore Galeno lib. VI. ὑγιεινῶν. Jentabant autem vel solo pane utentes, vel ad panem adhibentes, palmulas, mel Atticum, aut, ut plurimum, modicum salis; quod fecit heic Christus & Apostoli, quibus impransis is dies erat transigendus.

AD ACT. I. 5.

Vos autem baptizabimini in Spiritu Sancto non post multos hos dies] Gr. ἐν Πνεύματι ἁγίῳ pro Πνεύματι. Helleniſtis enim familiare est usurpare ἐν, instar Hebraici ב. Sed Lucae, tamen, utpote Graece docto, etiam a probatissimis Scriptoribus exempla suppetebant, Strabo lib. IV. pag. 204. exeunte: πρὶν διαλυθῆναι τελέως ἐν ἠλίοις, glaciem scilicet. Idem lib. 1. eadem constructione ἐν ἀνεμῳ dixerat.

Non post multos hos dies] Illud ταύτας non abundat, sed positum est, ut de συνεχείᾳ designatorum dierum cum praesenti tempore admonerentur. Vsurpant hoc saepe Latini, ut *ante hos decem annos* &c.

AD ACT. I. 7.

Non est vestrum nosse tempora vel momenta, quae Pater posuit in sua potestate]

Similia

Similia apud profanos reperias, aemulante Diabolo praeclariſſima quaeque ſcripturarum effata. Apud Livium XXI. 22. Hannibal, viſo per quietem divina ſpecie juvene, *qui ſe ab Jove diceret ducem in Italiam Hannibali miſſum*, ſciſcitatus, quid ſerpens a tergo infeſtiſſimus ſignificationis haberet, audivit: *Vaſtitatem Italiae eſſe; pergeret porro ire, nec ultra inquireret, ſineretque fata in occulto eſſe.*

AD ACT. I. 11.

Viri Galilaei quid ſtatis aſpicientes in Caelum?] Hi Chriſtianorum primi ex vero heic & ſeq. cap. V. 7. *Galilaei* vocantur. Sed poſtea horum ſectatores, etiamſi Galilaei non eſſent, nihilo minus *Galilaei* vocabantur: quae appellatio tamdiu manſit, donec Antiochiae orta *Chriſtianorum* appellatio eſſet. Quod nomen poſtea praevaluit, ita ut non niſi a gentilibus tantum *Galilaei* vocarentur per contumeliam, certe quia Galilaei & ingenio & lingua & rebus ceteris deſpicatiſſimi erant. Haec fuſius expoſuimus ad Kalend. Neap. ad 29. Junii Parte 2. Adnot. 710.

AD ACT. I. 12.

Sabbati habens iter] Quo iſta ſubtilior intervalli notatio? Quid id attinebat? Aut ſi id maxime voluit ſcriptor Divinus, quid non (ut ipſe Lucas in Evangelio XXIV. 13. & Johannes alibi) σαδιασμῷ uti maluit? Mihi ſane videtur is locus, unde Jeſus in caelum ſe ſuſtulit, jam tum ab initio coli coepiſſe, ita ut quo tempore Lucas haec ſcripſit, proſeuchae loco haberetur, eoque Hieroſolymitae χριστιανισθέντες tum alias, tum vel maxime Sabbatis itarent, tum loci religione tacti, tum, quod is locus non ampliore ſpatio ab Jeruſalem, quam Sabbati itinere abeſſet. Ad eam conſuetudinem videtur mihi Lucas ſpectaſſe tum, cum iſta conſcripſit. Ceterum ubi olim Judaeorum χριστιανισθέντων proſeucha fuerat, poſtea celebris ibidem Eccleſia exſtructa eſt, & quod miraculo fuit, ſine tecto, quippe cum nulla arte ὀροφῶσθαι *concamerari* potuerit; ut omnino pateret is locus, qua Chriſtus aëra tranaverat.

AD ACT. I. 17.

Et ſortitus eſt ſortem miniſterii hujus] Τὸν κλῆρον τῆς διακονίας ταύτης. Hinc & infra ℣. 25. *Cleri* & *clericorum* vocabulum fluxiſſe non eſt dubium. Iſidorus, & quicunque etymon ejus vocis ediſſeruerunt, ad Matthiae electionem nos rejiciunt. Vide dicta ad I. Pet. V. 3. Quam pridem autem Clericorum vocabulum uſurpari coeperit, haud facile dixerim. Latinorum antiquiſſimus Tertullianus *de monog.* c. 12. ſic περιφράζει, *qui ſunt in clero*: at ibidem cleri nomen ſaepiuſcule uſurpat. Primus apud Latinos Cyprianus, quod ſciam, ex Clero adjectivum *Clericus* deflexit. Nam & *clericam ordinationem* ep. 33. & alibi uſurpavit, & miniſtros Eccleſiae *clericos* appellavit ep. 40. *Confeſſoribus*, inquit, *& clericis urbicis*. Ep. 55. *familiariſſimi hominis & clerici*. ep. 33. *ordinationibus clericorum*; quanquam MSti majorem partem habent *ordinationibus clericis*. Ex Latinis, ut opinor, ad Graecos vox κληρικὸς manavit; nec enim antiquius exemplum reperio epiſtola Conſtantini ad Anulinum apud Euſebium X. hiſt. 7. ex Latino utique ſermone in Graecum transfuſa. Ea epiſtola immunitate a publicis oneribus imperator donat, ὅσπερ κληρικὲς ἐπονομάζειν εἰώθασιν, *quos clericos appellare* (Chriſtiani) *conſueverunt*. Ubi ex monitione adhibita, inſolens id nomen Graecis auribus fuiſſe intelligitur. In Anulini quoque relatione (apud Auguſtinum epiſt. 68.) qua imperatoris epiſtolae reſpondet, legitur: *quique clerici appellantur.*

AD ACT. I. 18.

Et ſuſpenſus crepuit medius] Graece aliter: καὶ πρηνὴς γενόμενος &c. Idem exitus Arii fuit, narrante Athanaſio apud Sozomenum II. 30. iiſdem plane verbis: ἀλλ' αὐθὺς ἐξελθὼν, ὥσπερ δίκην δὺς κατέπεσε, καὶ πρηνὴς γενόμενος ἐλάκησε μέσος. *Verum* (ubi pejeraſſet) *illico egreſſus, tanquam poenas luens, corruit; & pronus jacens crepuit medius.*

AD ACT. I. 23.

Et ſtatuerunt duos] Gr. καὶ ἔστησαν. Hoc in vetere Eccleſia dicebatur προχειρίσασθαι, h. e. proferre in medium alicujus nomen, ut inquiratur, utrum dignus ſit eo munere: προχειρισμὸν ſequebatur examinatio, tum electio, poſtremo conſecratio. In epiſtola Nicænor. Patrum ad Epiſcopos Aegypti pluries προχειρισμὸς a χειροθεσία diſtinguitur. Vtitur eodem verbo προχειρίζομαι Conſtantinus imp. epiſt. ad Syn. Antioch. apud Euſebium III. de vita Conſt. 62.

AD ACT. I. 23.

Qui cognominatus eſt Juſtus] Gr. Ἰοῦστος cognomen non huic tantum, ſed & alteri infra XVIII. 7. & cuidam Jeſu ad Col. IV. 11. tribuitur. Olim Δικαίου cognomentum Ariſtides Lyſimachi filius Athenienſis (de quo Plato Theaet., Thucyd. Nepos, Plut. Suid. &c.) ſibi peculiare fecit, in tantum ut alii poſtea inſignes juſtitia Ariſtidis cognomentum aſſequerentur; quod de Mara quodam Suidas in μέτριοι ex Damaſcio in Iſidori vita prodidit.

AD ACT. I. 24.

Qui corda noſti omnium] Gr. Καρδιογνῶστα πάντων. Non ignoratum hoc ethnicis. Pittaci Mitylenaei apud Theonem in progymnaſmatis pag. 52. & 58. egregium dictum exſtat, *ne cogitantem quidem latere diis.*

Oſtende quem elegeris] Oſtendere apud Cyprianum veteresque Scriptores Deus dicitur, cum per quietem aut aliquo oſtento ſuam voluntatem compertam facit. Vide infra .... *Sicut & Dominus oſtendit mihi.* Hinc in Epiſcoporum electionibus olim permagni intererat, cuinam divinae oſtenſiones ſuffragarentur; idque *Domini judicium* appellabatur. Cyprianus epiſt. (52.) ad Antonianum, ubi de Cornelii electione: *De Domini Dei judicio, qui eum epiſcopum fecit, & coëpiſcoporum teſtimonio* &c. Poſt pauca: *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei & Chriſti ejus judicio, de clericorum paene omnium teſtimonio, de plebis, quae tunc affuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum & bonorum virorum collegio.* Hoc ultimum eo pertinet, ut ſicuti Matthias & Barſabas ex diſcipulorum collegio ſumti fuere, de quibus ſortitio fieret, ſic vix aliter quam e presbyterio ad Epiſcopatum patebat aditus. Epiſt. 55. *Nemo poſt divinum judicium, poſt populi ſuffragium, poſt coëpiſcoporum conſenſum, judicem ſe jam, non epiſcopi, ſed Dei, faceret.* Quaſi qui epiſcopum judicat, Deum ipſum judicare videatur. Poſt pauca: *Niſi ſi ita eſt aliquis ... perditae mentis, ut putet, ſine Dei judicio fieri Sacerdotem.* Hieronymus in cap. 1. epiſt. ad Gal. *Nunc videmus plurimos non Dei judicio, ſed redempto favore vulgi in Sacerdotium ſubrogari.*

AD ACT. I. 26.

Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Matthiam] Gr. Κλῆροι num. multitudinis diſtinguuntur a κλήρῳ illo, qui ſortitione prodiit, ut heic, ſic & apud Hom. Il. Ψ.

Digitized by Google

- - - ἐν δὲ κλῆρος ἐβάλοντο·
Πάλλ' Ἀχιλεὺς· ἐκ δὲ κλῆρος θόρε Νεστορίδαο
Ἀντιλόχοιο.
Sortibus injectis galeam dum quaſſat Achilles,
Neſtoridae Antilochi ſors exiit.

At Virgilius *fortem* pro *ſortes* dixit.

- - *Dejectamque aerea ſortem*
Accepit galea. - - -

Quomodo & heic κλῆρον loco vulgaris lectionis κλῆρος in Stephani codice legebatur. Non peſſime. Heſychius κλῆρον eſſe dicit τὸ βαλλόμενον εἰς τὸ λαχεῖν.

Et cecidit ſors] *Cadendi* verbum proprium hujus rei eſt, eademque κυριολογία uſus Vir. IV. Geor. 164.

Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti.

AD ACT. II. 9.

Parthi, & Medi, & Elamitae, & habitantes Meſopotamiam, Judaeam, & Cappadociam, Pontum & Aſiam &c.] Ex his oſtenditur, non tantum ſuperiores illos, verum etiam Cappadoces & Ponticos ſuas habuiſſe linguas diſcretas ab Aſianis; ſicuti ſequentibus etiam Phryges, Pamphylios &c. Itaque illo tempore etſi in omnibus provinciis viri docti Graece ſcribebant; at lingua vernacula ſua ſingulis erat, Aſianis tantum ſtricte acceptis Graeca; at aliis diverſa prorſus.

Cappadociam, Pontum, & Aſiam] Olim antiquiſſimo tempore Cappadocia etiam Ponticam regionem complectebatur: at poſtea in duo diſtincta regna (quorum unum *Cappadocia Magna* aut *Propria* dicebatur, alterum *Pontus*) ſciſſa fuit. Idque S. Luca, & Strabone ſcribentibus obtinebat. At poſtea ſub imperatoribus iterum totus is tractus *Cappadocia* audiit, trifariam diviſus, in Pontum Galaticum, Polemoniacum, & Cappadocium, eaque eſt Ptolemaei deſcriptio Caeſareis temporibus congruens. De quo vide plura ad Kalendar. Neap. ad 22. Maii, cap. 2.

AD ACT. II. 11.

Magnalia Dei] Μεγαλεῖα. Quoties fere in Graecis interpretibus aut deuterocanonicis τὰ μεγαλεῖα occurrunt, Noſter *magnalia* tranſtulit. Cyprianus epiſt. 7. *ad cler. de prec. Deo. Divinae majeſtatis ſolita magnalia.* Tertullianus II. ad uxor. 7. *Senſit magnalia.* Cum autem *magnalia* & μεγαλεῖα ſint *magnifica* ſive *magna*; quonam ſpectaſſe putabimus Gloſſas antiquas MSS. (quas citat Cangius in *Magnalis*) quae ſic habent: *Magnalia, ſalubriora, proſperiora, magnifica, pretioſiora?* Papias etiam inter ſignificata *magnalium* affert *ſalubria*. Fuit apud veteres magni pretii unguentum, quod μεγαλεῖον vocabant, quod a magnitudine virium, quas ei unguento aſſignabant, dictum putant: etſi Plinius propter gloriam ſic dictum tradit, & Etym. ac Suidas a Megalo Siculo deducit. Ejus confectionem Plinius tradidit. An inde eſt quod τῷ μεγαλείῳ unguenti ſignificationem gloſſographi *magnalibus* aſſignarunt?

AD ACT. II. 13.

Muſto pleni ſunt] *Muſtum* pro γλεῦκος reddi non placet heic criticis. At non aliter in optimis Gloſſis γλεῦκος, quam *muſtum*, redditur. Nec ſuppetit aliud latinum vocabulum. *Defrutum* & *ſapa* ſunt longe aliud. Gallienus, auctore Trebellio

bellio cap. 16. *muſtum quemadmodum toto anno haberetur, docuit*. Coctione ſcil. ſed non ut ad tertias, ſicuti *defrutum*, evaderet. Videntur Latini ante Gallienum γλεῦκος non paraſſe, eoque noſtris vocabulum defuit, quo γλεῦκος redderent. Nam ſi proprie loqui volumus, *muſtum* aliud quam γλεῦκος, iſtud enim ut conderetur, coqui neceſſe fuit, quod hodieque in quibuſdam Italiae regionibus uſurpatur.

Quia muſto pleni ſunt iſti] Nec cogitantes, vera dixerunt; ut & olim Caiphas in Paſſionis hiſtoria. Cujuſmodi muſtum hoc fuerit (quo ſic turgebant Apoſtoli, ut diſruptis utribus, iſta eructaverint) expoſuit tanto antea Eliu Job. XXXII. 19. *Plenus ſum enim ſermonibus, & coarctat me ſpiritus uteri mei. En venter meus, quaſi muſtum abſque ſpiraculo* (eleganter Symmachus ὡς οἶνος νέος ἀδιάπνευστος) *quod lagunculas novas diſrumpit. Loquar & reſpirabo paululum &c.* Porro cur muſto major inebriandi poteſtas tribueretur, notavi ad Iſ. XLIX. 26.

AD ACT. II. 14.

Auribus percipite verba mea] Ἐνωτίσασθε. Verbum ἐνωτίζομαι (cujus Heſychius & Suidas ſic meminerunt, ut ex ſacris paginis illud haüſiſſe videantur) Helleniſticae dialecti merito peculiare eſſe crediderim, ad vim hebraici האזין *heezin* exprimendam excogitatum. Sed quid ſibi vult illa Suidae circumſcribentis περιέργεια? Qui ἐνωτίσαι reddit ἄκουσον· εἴσω τῶν ὤτων γενέσθαι ποίησον. An non Heſychius multo brevius & felicius? cui ἐνωτίζω eſt ἐν τοῖς ὠτίοις δέχω. Verum hoc inter utrunque lexicographum intereſt, quod hic Grecam vocabuli etymologiam pandere ſtuduit, ille Hebraicam. Qui tandem? quia ἐνωτίζομαι in Graecis interpp. reſpondet ferme τῷ האזין *heezin*: quod quia eſt conjugationis Hiphil; ideo quivis is ſcripturae Scholiaſtes fuit, ex quo iſta mutuatus eſt Suidas, putavit ſic eſſe reddendum εἴσω τῶν ὤτων γενέσθαι ποίησον, quae grammatica vis eſt τῷ האזין *heezin*.

AD ACT. II. 15.

Non enim, ſicut vos aeſtimatis, hi ebrii ſunt, cum ſit hora diei tertia] Quae ferme hora jentandi erat, teſte Galeno, qui ſe tamen quarta jentaſſe affirmat lib. VI. ὑγιεινῶν; tardius enim jentabant, qui propter vitae occupationes prandio non utebantur. Jentantium autem temperatiores vinum non guſtabant; quod de ſe teſtatur ibidem Galenus, ſe pane ſolo contentum ſine opſonio, nihil bibere conſueviſſe. Sed & ſicui bibendi libido fuiſſet, modico vino contentos fuiſſe oportet, praeut & jentatio modica erat. Et is quidem gentilium mos: at Hebraeos multo abſtinentiores fuiſſe neceſſe eſt, quibus hora tertia orationi deſtinabatur.

AD ACT. II. 17.

Et erit in noviſſimis diebus &c.] Vide dicta ad Joelis II. 28.

AD ACT. II. 24.

Solutis doloribus inferni] Jam alii perviderunt *doloribus* heic poni pro *funibus*; nam חבל utrumque ſignificat. Sumptum volunt ex Pſ. XVII. 4. ubi חבלי מות *hablei maveth* vincula mortis, Graeci interpp. verterunt ὠδῖνας θανάτου. Itaque *dolores* Helleniſtis tam late patent, quam Heb. חבלים: heic autem ponuntur pro funibus. At contra Pindarus, quaſi ſi Hebraïco more locutus, σχοινία i. e. *funes* pro doloribus poſuit. Locus exſtat apud Plut. lib. *de diſcernendo adulatore & amico* (p. 118. edit. H. St.) ὥσπερ ἀντιταττόμενον τῷ Λυδίῳ θεῷ, καὶ

Digitized by Google

καὶ λύοντι τὸ τῶν δυσφόρων σχοινίων καὶ μεριμνῶν, κατὰ Πίνδαρον.

AD ACT. II. 33.

Effudit hunc, quem vos videtis & auditis] Hinc patet, Spiritu Sancto usque adeo plenos fuisse, ut & in vultibus & in sermonibus insolitus ardor se proderet (sicut & infra B. Stephani, quippe Spiritu Sancto pleni, *videbant faciem .. tanquam faciem Angeli* resplendentem Act. VI. 15. *Et non poterant resistere . . . Spiritui qui loquebatur* in ore Stephani) ut non immerito ad videndi audiendique sensum provocet heic Apostolorum Princeps. At ex hoc ipso obloquendi ansam arripuerant Judaei, ut eos musto plenos traducerent.

AD ACT. II. 38.

Baptizetur unusquisque vestrum in nomine Jesu Christi] Reperitur eadem locutio saepe hoc libro. Nec dubium est, quin qui baptizari dicuntur in nomine Christi, in eorum administrando baptismo expressa trium Personarum Divinarum nominatio usurparetur. Vt paucis rem complectar, locutio haec baptizari in nomine Christi mere Hebraica erat, qua significabatur *baptizari ut Christianus*, ut Christianus inquam, non ut Judaeorum proselytus, in quo admittendo etiam baptismus usurpabatur, verum non in nomine Christi, sed in nomine proselyti. Patet hoc ex Maimonide libro de servis ubi ait, siquis Israelita infantem ethnicum nactus, eum בשם גר *beschem gher* i. e. *in nomine proselyti* baptizaverit, eum infantem ex eo temporis momento, vere esse proselytum. Vides igitur Hebraice τὸ *in nomine* notare religionis professionem.

Et accipietis donum Spiritus Sancti] Gr. δωρεὰ heic & infra VIII. 20. X. 45. tum internam gratiam tum externa χαρίσματα (veluti dona linguar. curationum &c.) notat. Posteriore notione δῶρον Strabo appellavit, ubi de Judaeis lib. XVI. pag. 761. scribens, non aliis quam pie justeque viventibus expectandum esse παρὰ τῦ Θεῦ καὶ ΔΩΡΟΝ ἀεί τι καὶ σημεῖον. ubi accurate discrimen inter δῶρον & σημεῖον traditum ex Hellenistarum est placitis; qui σημεῖα quidem proprie de caelo fieri tradebant (vide ad Matt. XII. 38. & confer Matt. XVI. 1.) cetera vero quasi terrestria prodigia (talia sunt somnia prophetica, de quibus ibi Geographus) δωρεὰς appellabant, interdum etiam δυνάμεις, uti sunt curationes.

AD ACT. III. 7.

Et apprehensa manu ejus dextera] Gr. καὶ πιάσας. Apud exteros πιέζω usitatius, sed his libris ferme πιάζω. Ceterum Πιέζω sive πιάζω pro *stringo* (quod Johanni est familiare) profani etiam usurparunt. Plut. in Alcibiade de luctatore, ἀναγαγὼν πρὸς τὸ στόμα τὰ ἄμματα τῦ πιεζῆντος. Glossae veteres: Πιέζω, *prendo, presso, premo, stringo.*

Consolidatae sunt bases] Gr. αἱ βάσεις: quod vocabulum non tantum ingrediendi actum significat, verum id etiam, quo ingredimur, h. e. pedes, praesertim numero multitudinis. Tale est illud Antiphili Anthol. I. cap. 4. n. 4. εἰς ἀναπήρυς

Ἄμφω μὲν πηροὶ καὶ ἀλήμονες, ἀλλ' ὁ μὲν ὄψεις,
Ὁς δὲ βάσεις. . . . .

Mancus uterque planusque: oculis hic, gressibus alter.

Item Pollux βάσεις apud Platonem *pedes* significare notat. Hinc in iis quae rhythmo constant, βάσεις dicebantur, quos Latini *pedes*.

AD

AD ACT. III. 12.

Videns autem Petrus, respondit ad populum: Viri Israelitae &c.] Pro *respondit* verti potuisset *allocutus est*. Est enim hoc a viris doctis animadversum, ἀποκρίνεσθαι ex Judaeorum Helleniſtarum usu eâdem significatione donandum, quam habet ענה *anah*; quod quia saepissime est non tam *respondere*, quam *alloqui*, iccirco nil mirum, si hîc & alibi ea, quam dixi, notione usurpetur ἀποκρίνομαι. Quid quod ענה *anah* saepe exordiri sermonem significat? Sic enim animadverti saepe LXX. pro ענה (maxime cum de choris aut cantionibus agitur) ἐξάρχω reposuisse. Et hîc ergo ἀποκρίνομαι pro sermonem exordiri positum fuit.

AD ACT. IV. 6.

Et Annas princeps sacerdotum] Annas primus omnium nominatur, ut pote Synedrii Nasi, & ethnarcha. Idem cur ἀρχιερεὺς appellatur, vide omnino dicta ad Lucae III. 2. sed tamen laudato loco apud Lucam tam Annas quam Caiphas ex aequo ἀρχιερεῖς appellantur. Cur hic Annas ea appellatione donatur, non item Caiphas, quem vere tunc gessisse pontificatum constat? Dicam equidem quod sentio. Non enim hîc de Aharonico pontificatu agitur, quem unus tunc Caiphas gerebat, sed de Pontificatu, ut sic dicam, politico, seu de pontificatu, non comparate ad functiones Aharonicas, sed comparate ad dignitates synedrii, cujus synedrii Annas tunc princeps erat; eoque inter omnes senatores τὸν ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ is unus ὁ ἀρχιερεὺς appellatur. Dixi ad Luc. III. 2. Asiarchas, eosdem ἀρχιερεῖς passim appellatos. Jam plures simul Asiarchas fuisse ex Aristide & aliis, jam pridem viri docti notarunt. Sed ita tamen ut unus aliquis eorum πρῶτος dignatione & nomine esset. Itaque non dubito, quin si continua serie omnes nominandi fuissent, primus ille κατ' ἐξοχὴν dici ὁ ἀρχιερεὺς recte potuerit in hunc modum: ὁ δεῖνα ὁ ἀρχιερεὺς, tum ὁ δεῖνα, ὁ δεῖνα &c.

AD ACT. IV. 8.

Principes populi & seniores audite] Istud *audite*, quod hodie in Graeco deest, olim non defuisse, non tantum vulgata interpretatio fidem facit, & quod etiamnum in MSS. nonnullis ἀκούετε aut ἀκούσατε legitur; verum etiam quod verba facturi per se aut per praeconem ea formula attentionem sibi conciliarent, ac soliti dicere: ἀκούετε λεως. σιγὴ πᾶς ἔστω λεως. εὐφημεῖτε. & alia hujus generis.

AD ACT. IV. 12.

Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri] Saepe hoc libro & alibi in N. F. Possis hoc eo referre, quod saepe his libris nomen pro persona sumitur, ut Act. I. 15. ἦν δὲ ὄχλος ὀνομάτων h. e. ἀνθρώπων. & Apoc. III. 4. ἔχεις ὀλίγα ὀνόματα h. e. ἄνδρας. Fatendum tamen est, hoc eodem libro & alibi in N. F. haud raro *Nomen* pro Deo aut Jesu Christo usurpari. Fluxit, opinor, id ex religione Judaica erga nomen tetragrammaton, ex qua factum, ut pro יהוה usurparent שם i. e. *nomen*. De quo vide dicta ad Levit. XXIV. 11. Ibi etiam exempla veterum Christianorum produxi, qui *nomen* pro Jesu Christo usurparent.

AD ACT. IV. 24.

Qui cum audissent, unanimiter levaverunt vocem ad Deum, & dixerunt: Domine &c.] Vno concipiente verba ac praeeunte, reliquo coetu conceptis verbis apprecante.

AD

Digitized by Google

AD ACT. IV. 27. 28.

Convenerunt enim vere . . . Herodes, & Pontius Pilatus cum gentibus & populis Iſrael, facere quae manus tua & conſilium tuum decreverunt fieri] Confer cum Act. II. 23. ſupra. In Homero paria interdum leguntur, ut Il. XV. 592.

Τρῶες δὲ, λείουσιν ἐοικότες ὠμοφάγοισι
Νηυσὶν ἐπεσσεύοντο· Διὸς δ' ἐτέλειον ἐφετμὰς,
Ὅς σφισιν αἰὲν ἔγειρε μένος μέγα, θέλγε δὲ θυμὸν
Αργείων, καὶ κῦδος ἀπαίνυτο. &c.

At par crudivoris Trojana leonibus inſtat
Navibus uſq. phalanx; Jovis & juſſa aſpera regis
Exſequitur, Troas ſtimulantis ad inclita facta,
Mollia reddentis Danaum atque ingloria corda.

Eodemque libro v. 694.

Ὡς Ἕκτωρ ἴθυσε νεὸς κυανοπρῴροιο
Ἄντιος αἰξας· τὸν δὲ ζεὺς ὦσεν ὄπισθε
Χειρὶ μάλα μεγάλῃ, ὤτρυνε δὲ λαὸν ἅμ' αὐτῷ.

Haud ſecus in nigram adverſo ruit impete proram
Hector: eum a tergo impellebat Juppiter, acri
Connixus dextra, ſimul & Phrygia agmina poſt hunc.

AD ACT. IV. 30.

In eo quod manum tuam extendas] Gr. ἐν τῷ τὴν χεῖρά σου ἐκτείνειν σε. Conſtructio Hebraica. בטותך ידי *bittotecha jadecha. In extendendo te manum tuam.* Scatet Lucas hebraiſmis in concionibus Syriace, ut illis temporibus, loquentium. At cum ipſe hiſtoricus res geſtas exſequitur, minus ἑβραΐζει. Vide quae in Prolegomenis hujus libri.

AD ACT. IV. 36.

Joſeph] Alexander monachus Cyprius (qui exeunte VI. ſaeculo encomium Barnabae ſcripſit) haud dubie *Joſeph* in ſuo codice reperit, quia pluſculum in eo nomine ludit. Nondum enim in Graeca exemplaria illud Ἰωσῆς irrepſerat. Vide ad Kalendar. marmor. ad X. Junii cap. 3. §. 2.

Filius conſolationis] Ea vox habraice *filium prophetae* aut *prophetiae* notat: at Syriace (qui tunc ſermo in ore erat) *filium conſolationis*. Etenim Syris בא *Bi* eſt *conſolari*, unde praelato N verbalium nominum formativo, fiebat נבא *nabi* aut *nabia*, *conſolatio*. Quare *Barnabas* recte *filius conſolationis* redditur.

AD ACT. V. 2.

Et fraudavit de pretio agri... & afferens partem quandam, ad pedes Apoſtolorum poſuit.] In eo quod pecuniam ex agro redactam ad pedes Apoſtolorum poſuit, nihil eſt magnopere myſterii quaerendum. Videtur is fuiſſe mos deponentium apud aliquem pecuniam, eoque declarari voluiſſe, eum apud quem deponeretur, nihil ex ea pecunia in rem ſuam verti, quae ne tangatur quidem. Certe ſimilis eſt narratio in re diſſimili apud Livium XXVI. 50. ubi de Virgine captiva eximiae formae, quam ſuo ſponſo ac parentibus inviolatam reddidit Scipio. Cujus virginis parentes *quoniam gratis ſibi redderetur virgo, ad quam redimendam ſatis magnum attuliſſent auri pondus; orare Scipionem, ut id ab ſe donum acciperet, coepetunt . . . Scipio, quando tanto opere peterent, accepturum ſe pollicitus.* PONI ANTE

Digitized by Google

TE PEDES jussit: vocatoque ad se Allucio (id sponso nomen erat) *super dotem, inquit, quam accepturus a socero es, haec tibi a me dotalia dona accedent; aurumque tollere ac sibi habere jussit.*

AD ACT. V. 3.

Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui Sancto] At Graece est ἐπλήρωσεν. nec alio modo citant Graeci omnes: unde & Africana Ecclesia in professione fidei apud Victorem Vitensem III. 14. sic posuit: *Quare Satanas replevit cor tuum, ut mentireris Spiritui Sancto?* Syrus etiam implendi verbo heic utitur. Joh. XVI. 6. legitur: *Tristitia implevit* (πεπλήρωκεν) *cor vestrum*. Cum Satana aut Satanica affectione aliqua cor impleri dicitur, imperium diaboli aut pravorum affectuum ea ῥήσει designatur.

AD ACT. V. 6.

Surgentes autem juvenes amoverunt eum, & efferentes sepelierunt.] Qui heic νεώτεροι & infra, ℣. 10. νεανίσκοι appellantur, eandem appellationem & IV saeculo, & sequente tuebantur. Lex 10. Cod. Theod. *De episc. & Clericis* in hunc modum habet: *Ut Ecclesiarum coetus concursu populorum ingentium frequententur, Clericis ac juvenibus praebeatur immunitas*. Quinam essent hi juvenes, Cujacius nos ignorare non sinit; qui ad Nov. tertiam notat, *juvenes* esse Acolythos, Copiatas seu fossarios, & Parabolanos, seu Parabolarios, qui nec Clerici nec laici fuere, sed inter utrosque interjecti. Eosdem testamentum S. Remigii apud Flodoardum *juniores* nuncupat: *Subdiaconibus solidos duos, lectoribus solidos duos, Ostiariis & junioribus solidos duos dari jubeo*. Videantur & Capitula Caroli M. lib. V. cap. 21. Ex his, quos dixi, *juvenibus* infra Clericos, supra autem laicos existentibus, Acolythi (qui saltem apud Graecos inter Clericos non fuere) ii erant qui cereos & funalia deferebant, Parabolani curandis debilium corporibus deputabantur, Copiatae demum sive fossarii, qui & Decani, humandis fidelibus operam navabant. Haec *juvenum* ministeria & appellationem Ecclesia jam adulta a nascente Ecclesia (ut hinc constat) accepisse videtur.

AD ACT. V. 17.

Quae est haeresis Sadducaeorum] Haeresis in bonam ferme partem accipiebatur ante quam Christianismus coaluisset. Mitto Graecorum scriptorum & Ciceronis exempla afferre. Vitruvii minus obvium locum hic tantum afferam praef. lib. V. *Etiamque Pythagorae, hisque qui ejus HAERESIM fuerunt secuti, placuit &c.* Galeni autem cum primis locum non possum sine piaculo praetermittere ob eam caussam, quod sicuti a *secando secta* Latinis dicitur, sic ille eandem notionem αἱρέσει videtur tribuisse, cum in Isagoge de Empirica secta loquens ait: τῆς δὲ ἐμπειρικῆς προέστηκεν Φιλῖνος Κῶος, ὃς καὶ αἱρεσιάρχης ἐγένετο, ὁ πρῶτος αὐτὴν ΑΠΟΤΕΜΝΟΜΕΝΟΣ ἀπὸ τῆς λογικῆς αἱρέσεως. Etsi empiricos ipsos τῇ λογικῇ antiquiorem τὴν ἐμπειρικὴν, non autem a *rationali* avulsam contendere statim subjungit. Notabis in Galeni loco αἱρεσιάρχα vocabulum in hist. Ecclesiae tritissimum. Itaque sicuti Philosophorum sectae αἱρέσεις dicebantur, eodem modo Pharisaeorum & Sadducaeorum sectas αἱρέσεις Josephus appellat. Ac sicuti Sadducaeorum hîc, ita Act. XV. 5. Pharisaeorum αἵρεσις memoratur. Paulus, opinor, primus in malam partem accepit 1. Cor. XI. 19. *oportet*, inquit, *& haereses esse*, & ad Tit. III. 10. Quaeres quae caussa fuerit, ut S. Epiphanius inter Haereticos (quod certe nomen in malam partem usurpat) Pha-

Digitized by Google

Phariſaeos, Sadducaeos, ceteraſque Judaeorum ſectas adnumerarit. Non alia certe cauſſa, quam quod & Lucas hîc & Act. XV. 5. & paſſim Joſephus ſectas hujuſmodi αἱρέσεις nuncuparint: illi ex uſu temporum in bonam partem: hic, cum eodem tum Judaeorum ſectas tum Chriſtianorum, nomine complexus eſſet, errandi anſam indoctioribus praebuit. Non enim Phariſaei & Sadducaei ut nunc extra Eccleſiam haeretici, ſic illi ἀποσυνάγωγοι erant: imo omnes ſynagogae complexu continebantur.

Sane Conſtantinus ubi primum Chriſtianae fidei nomen dediſſet, quam primam legem pro Chriſtianis edidit, in ea liberum omnibus eſſe ſinebat, quamcunque vellent, αἵρεσιν ſuo arbitratu ſequi: id quod cum Chriſtianos offendiſſet, altera Conſtitutione publicata quam Euſebius X. hiſt. 5. producit, ex ea nomen αἱρέσεων omnino reſecuit. ἵν' ἀφαιρεθεισῶν πάντελῶς τῶν αἱρέσεων, αἵτινες τοῖς προτέροις ἡμῶν γράμμασι . . περὶ τῶν χριστιανῶν ἐνείχοντο, καὶ ἄτινα πάνυ σκαιὰ καὶ τῆς ἡμετέρας πραότητος ἀλλότρια εἶναι ἐδόκει, ταῦτα ὑφαιρεθῇ, καὶ &c. *Vt detractis* (ex Conſtitutione noſtra) *omnibus haereſibus* (h. e. αἱρέσεων vocabulo) *quarum in priore noſtra . . pro Chriſtianis epiſtola mentio fiebat, tum illa quae prorſus ſiniſtra & a noſtra manſuetudine aliena videbantur, removerentur, tum etiam &c.* Quam verſionem ita adornavi, ut facili negotio intelligas, quid ſibi velit hic locus, in cujus expoſitione Valeſius in notis aeſtuare videtur. Conſtantinum nihil ſiniſtri in αἱρέσεως vocabulo apud Chriſtianos haerere ſuſpicatum vel ex eo poteſt intelligi, quod epiſt. ad Chreſtum Syracuſanum (apud Euſebium eod. cap.) τῆς αἱρέσεως τῆς καθολικῆς mentionem faciat. Ergo cum varias Chriſtianorum ſectas ſive αἱρέσεις inaudiſſet, Marcionitarum, Montaniſtarum, Sabellianorum &c. putavit omnes ſalva Chriſtiana religione defendi poſſe, fere ut philoſophorum aut Judaeorum αἱρέσεις erant. Eoque factum, ut quam primam pro Chriſtianis legem tulit, (quae intercidit) in ea liberum relinqueret, quam quis αἵρεσιν tueri vellet, eam ut ſectaretur. Id nimirum ſibi volunt verba quae initio Conſtitutionis leguntur: ἀλλ' ἐπειδὴ πολλαὶ καὶ διάφοροι αἱρέσεις ἐν ἐκείνῃ τῇ ἀντιγραφῇ . . . ἐδόκουν προτεθεῖσθαι σαφῶς. *Sed quoniam in eo reſcripto . . . multae ac diverſae ſectae diſerte ac nominatim additae videbantur.* Mox tamen, uti par erat, a Catholicis de vi hujus vocabuli admonitus, ac certior factus, αἱρέσεις illas unius verae Eccleſiae extorres eſſe; altera Conſtitutione edita, αἱρέσεων vocem amputavit, edoctus σκαιὸν id eſſe apud Chriſtianos vocabulum.

Αἵρεσιν in bonam partem accepit Sozomenus IX. 10. *Vterque autem Chriſtianus fuit ſed non ejuſdem ſectae* (ἐκ ἀπὸ τῆς αὐτῆς αἱρέσεως) *nam barbarus quidem Arianus erat, mulier vero Nicaeni Concilii fidem ſequebatur.*

Re quidem vera Judaeorum αἱρέσεις ita a ſynagoga Judaica diffindebantur, uti rami eidem trunco adhaerentes. At vero longe alia fuit αἱρέσεων Chriſtianarum ratio; quae ſimul atque ab uno Eccleſiae ſinu prodiere, protinus ab eadem diſceſſionem fecerunt.

Eſt & Porphyrii locus in vita Plotini cap. 16. quo αἱρετικῶν fit mentio, & quidem ex Chriſtianorum notione, ſi quid video. *Erant quidem*, inquit, *Chriſtiani eo tempore multi tum alii tum ex antiqua philoſophia egreſſi haeretici*: αἱρετικοὶ δὲ ἐκ τῆς παλαιᾶς φιλοσοφίας ἀπηγμένοι. Nec novum eſt, religionem noſtram φιλοσοφίαν a Patribus appellari. Gnoſticos autem ibi deſignari ex ſequentibus colligi poteſt.

Digitized by Google

AD ACT. V. 21.

Convocaverunt concilium, & omnes seniores filiorum Israel.] Gr. τὸ συνέδριον καὶ πᾶσαν τὴν γερουσίαν τῶν υἱῶν Ισραὴλ. Si γερουσίαν sine addito dixisset, poterat ἐπεξηγητικῶς accipi, tanquam non diversa a concilio (nam Graecis γερουσία sive συνέδριον idem quod Latinis senatus, curia &c.) nunc addidit *filiorum Israel*, ut hanc γερουσίαν diversam a synedrio, esse intelligeretur. Quoties ergo in Evangelio πρεσβυτέρους sive *seniores* audis, illi ad hanc γερουσίαν pertinent. Nec minus haec, quam synedrium, σύστημα sive *corpus* erat πολιτικόν. Nec aliud habeo verisimilius de utroque collegio dicere, quam si tantundem ferme fuisse fingamus, quod in Anglorum politia *Camera Alta*, & *Camera bassa*. Erat autem cum seorsum haec collegia coibant: erat cum conjunctim sua consilia communicabant, ut heic & alibi non semel.

AD ACT. V. 29.

Obedire oportet Deo magis quam hominibus] Haec responsio crebro a Sanctis Martyribus usurpata fuit, quoties imperium judicum detrectarent, quantum in Martyrum sinceris actis legisse meminerim. Atque eo respicit Dionysius Alex. lib. adversus Germanum apud Eusebium VII. hist. 11. Α'πεκρινάμην ὐκ ἀπειικότως (fort. ἀπεικότως) ὐδὲ μαχραὶν· πειθαρχεῖν δεῖ Θεῷ μᾶλλον, ἢ ἀνθρώποις· ἀλλ' ἄντικρυς διεμαρτυράμην, ὅτι τὸν Θεὸν τὸν ὄντα μόνον, καὶ ὐδένα ἕτερον σέβων, ὐδ' ἂν μετατεθείμην, ὐδὲ παυσαίμην ποτὲ χριστιανὸς ὤν. Valesius in notis delendum putat Actorum locum, nihil huc facientem; nisi forte inquit, locum habere possit lectio codicis Regii ὐδὲ μαχραὶν τῷ πειθαρχεῖν &c. quasi sit sensus: *Responsum dedi non longe abhorrens ab illo Apostolico &c.* Amplector hanc Valesii scripturam. Verte igitur: *Non attuli absimilem aut longe diversam responsionem ab illa celebri: Obedire oportet Deo magis quam hominibus: imo palam & aperte sum contestatus me eum, qui solus est Deus, adorare, praeterea neminem: nec unquam a proposito discessurum, nec porro commissurum, ut Christianus esse desinerem.*

AD ACT. V. 30. 31.

Quem vos interemistis, suspendentes in ligno, Hunc principem & salvatorem Deus exaltavit dextera sua] Videtur in Petri verbis, quemadmodum ea Syriace dixerat, fuisse ἀντίθετον inter ὕψωσιν in crucem (nam quod nos *in crucem agere* dicimus, hoc Syri ܙܩܦ *zechaph* h. e. *exaltare*: vel vide quae viri eruditi ad Joh. XII. 32.) & alteram ὕψωσιν, qua dextera Dei Christum exaltavit. Postquam Petri concionem Lucas graece reddidit, ἀντίθετον quidem illud in verbis deperiit (quia κρεμάσαντες pro ὑψώσαντες posuit, de perspicuitate Graecaque proprietate sollicitus) in sententia mansit.

AD ACT. V. 34.

Surgens autem quidam in Concilio] In Romano Senatu sententiae a stantibus dicebantur. Cicero ad Act. I. 14. Pompejum post dictam sententiam sedisse ait, ac deinceps surrexisse Crassum &c. *Locutus ita est in senatu* (Pompejus) *ut &c. mihique, ut ASSEDIT, dixit &c. Crassus postea . . . SVRREXIT, ornatissimeque de meo consulatu locutus est.* Is mos antiquissimus etiam temporibus heroicis usurpatus; nam in Homericis concionibus semper is, qui verba 'factumus, assurgit, ceteris considentibus: de quo vide Feithium II. Antiq. Homer. 6.

AD ACT. V. 35.

Attendite vobis super hominibus illis, quid acturi sitis.] Graece προσέχετε ἑαυτοῖς

ἑαυτοῖς ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις τί μέλλετε πράσσειν. In aliquo MS. legitur ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τούτων: absurda lectio; ex eo tamen manasse videtur, quod insolens locutio videbatur προσέχετε ἑαυτοῖς ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις, & non ex mente scriptoris. At sola distinctione laborat hic locus, quae post ἑαυτοῖς, non post τούτοις, adhibenda erat in hunc modum: προσέχετε ἑαυτοῖς, ἐπὶ τοῖς ἀνθρώποις τούτοις τί μέλλετε πράσσειν: *Attendite vobis, quid hominibus istis facturi sitis.* Vocum trajectio, quae his libris est passim usitata, interpungentibus imposuit.

AD ACT. V. 36.

Exstitit Theodas &c.] At Graece Θευδᾶς per Υ, quomodo etiam Josephus XX. 5. habet. Eadem variatio scripturae occurrit in Theudae Laodiceni nomine, quem secta Scepticum, circa Trajani tempora & paullo ante vixisse, viri docti ex Laertii IX. 119. colligunt: in cujus capitula Theodosius Tripolites, sphaericorum ille auctor, commentarium scripserat, ὑπόμνημα (inquit Suidas in Θεοδοσ.) εἰς τὰ Θευδᾶ κεφάλαια. At Galenus in opusculo de libris suis, se ait in ejusdem sane Θεοδᾶ Laodicensis Empirici κεφάλαια scripsisse commentarios: & saepe alibi Theodam per quartam vocalem idem auctor scripsit. Omnino autem sicut quae Λαοδίκη Graecis, *Laudica* latine dicitur, & quae urbs ab ea nomen accepit, tum Laodicea tum Laudicea appellatur: idem sane in Theuda sive Theoda usuvenit. Sed in eleganti inscriptione (quam a Smitho in Asia exscriptam, refert Humfridus Prideaux in appendice ad marmora Oxonienſia pag. 300. num. XXIII. de duobus Flavii Zeuxidis filiis mentio exstitit, ΦΛΑΟΥΙΩ ΘΕΟΔΩΡΩ ΚΑΙ ΦΛΑΟΥΙΩ ΘΕΥΔΑ, Flavio Theodoro, & Flavio Theuda, plane per litteram Pythagoricam. Sic apud Grut. 894. est Q. VEIONIVS · TEVDA · Quodque magis ad rem attinet, non videtur *Theudas* a *Theodorus* contractum (quod Drusius heic putavit) alioqui duorum fratrum in hac inscriptione unum idemque nomen fuisset. Porro Theudas aut est Syriacum pro Hebraico תודה (ut Grotius heic) aut, opinor, magis est ut a *Theodosius* sit decurtatum. Nam Theodosius (maxime in inscriptionibus, & apud poetas) etiam Θευδόσιος scribebatur, ut in epigrammate Graeco & Latino Constantinopoli posito apud Grut. 185. 6. 7. ΘΕΥΔΟΣΙΟΣ & Latine THEVDOSIVS legitur. Sic ex Λαοδίκη fit *Laudica*. Tum & altera forma Θεύδιος usurpata reperitur in Procli commentario ad Euclidem pag. 19. edit. Graecae Basil. ibi enim Theudius Magnes elementorum geometriae scriptor, Euclide antiquior, memoratur. Θεύδιος δὲ, inquit, ὁ Μάγνης ἔν τε τοῖς μαθήμασιν ἔδοξεν εἶναι διαφέρων. καὶ κατὰ τὴν ἄλλην φιλοσοφίαν, καὶ γὰρ τὰ στοιχεῖα καλῶς συνέταξε &c. qui, quantum ex sequentibus colligitur, Platonicus fuisse videtur. A Theudius est TEVDI patrius casus in vetere epigrammate apud Fabrettum pag. 754. n. 606., quod sic habet: NIGER · SALVI · F · SIBI · ET · ESDRONI · TEVDI · F. VXORI · T. F. I. Ex Esdronis autem Hebraico aut Syro nomine de Teudi parentis genere conjicias licet: ex quo intelligis, opinor, Theudae nomen Syris familiare fuisse.

AD ACT. V. 37.

Post hunc exstitit Judas Gal.] Gr. μετὰ τοῦτον τὸ *post* in anteriora fertur. Sic apud Suidam in νομοθέται legitur, Thaletem (Cretensem intellige) Athenienſibus legem tulisse μετὰ Σόλωνα. At Solonem Thalete illo posteriorem scimus.

Μετὰ enim est de genere τῶν πρός τι. Sic & ΠΡΟ apud Strabonem lib.

Digitized by Google

VI. p. 275. ubi Nilum absorberi ait μικρὸν πρὸ τῶν πηγῶν. Vbi Palmerius emendat ἀπὸ. Inepte, nam si adverso amne veharis, prius Nili χάσμα, tum πηγὰς invenies.

Post hunc exstitit Judas &c.] Vide ingeniosissimam interpretationem Valesii ad Eusebii hist. lib. II. cap. XI. pag. 31. Ac de praepositione μετὰ tum heic tum alibi confer, quae curate notavit Fabric. lib. 1. bibl. Graecae cap. 34. n. 3.

AD ACT. V. 39.

Si vero ex Deo est, non poteritis dissolvere illud, ne forte & Deo repugnare inveniamini.] Non vident interpretes, quo pacto posterius membrum cum priore cohaereat. Itaque Hammondus istud μήποτε cum ἐάσατε *finite illos* versus superioris nectebat, ut intermedia παρενθετικῶς dicta sint. Verum facilis est συνέχεια, si prius membrum de morali, non physica potentia intelligatur. *Non poteſtis* h. e. illicitum est vobis *dissolvere illud, ne forte &c.*

AD ACT. V. 41.

Quoniam digni habiti sunt pro nomine Jesu contumeliam pati] Vulgati habent ὑπὲρ τῦ ὀνόματος αὐτῦ *pro nomine ejus*. In MS. τῦ Ιησῦ, quod Vulgatus interpres est secutus. At in celebri MS. (de quo Grotius) abest tum Ιησῦ tum αὐτῦ idque sequitur Syrus & Arabs. Bene: nam sic τὸ ὄνομα apud Ignatium, Eusebium &c. & *Nomen* apud Tertullianum, Cyprianum & alios, nomen Jesu significat: Qui eam locutionem hinc hausisse videntur. Veterum, qui sic locuti fuere, loca produximus ad Lev. XXIV. 11. ubi etiam *Nomen* pro Dei nomine usurpatur.

AD ACT. VI. 1.

Factum est murmur Graecorum adversus Hebraeos] Graece Ἑλληνιστῶν *Hellenistarum*. Ἑλληνίζειν est imitari τὰ Ἑλληνικὰ, ut cetera verba in ίζω desinentia. Hinc Helleniſtae dicti, qui non Graeci ἀνέκαθεν, inter Graecos versabantur, eorumque linguam ac mores, quatenus patriis institutis non adversarentur, aemulabantur. Ac valde notandum est, istos Helleniſtas dictos, non tantum quandiu inter Graecos versabantur, sed etiam postquam Hierosolymis substitissent, ut heic vides. Neque enim assentior viris doctis, qui proselytos heic intelligi volunt, quos ἐπήλυδας, aut προσηλύθους aut ἑβραϊστὰς vocari opus fuerat, si quidem de iis sermo esset. Sane & in Pythagorica schola, cui non pauca cum Hebraeorum disciplina conveniebant, fuit illa distinctio, quam Anonymus vitae Pythagorae scriptor apud Photium cod. 259. Suidas in Pythagora, & Theocriti Scholiastes ad Idyll. XIV. tradiderunt, ut alii essent Πυθαγορικοὶ proprie dicti, qui Pythagoram ipsum auscultassent, alii Πυθαγόρειοι horum discipuli, alii postremo Πυθαγορισταὶ οἱ ἄλλως ἔξωθεν ζηλωταί (*). Eadem prope distinctio apud Latinos inter *Hispanos* e. g. & *Hispanienses*: illi sunt ἀνέκαθεν Hispani, hi vero qui aliunde illuc aliquando immigraverant: de quo discrimine vide Casaubonum ad Spartiani Hadrianum. Judaei verbi caussa, qui in Hispania confederant, *Hispanienses* dici poterant.

AD

(*) Recentius commentum discrimen istud Dodwello visum fuit, veteribus ignotum: at memoratur tamen Athenaeo lib. VI. pag. 238. Aristophontis Comici drama inscriptum Πυθαγορισταὶ, alibi vero Alexidis Πυθαγορίζουσα, tum eidem in Ξειροφάνει & Laertio VIII. 37. Cratini Πυθαγορίζουσα sive Πυθαγορίζοντες.

Digitized by Google

AD ACT. VI. 3.

Viros ex vobis boni teſtimonii] Μαρτυρουμένους. Sic & infra XXII. 12. & alibi in epiſtolis Pauli eadem notione hoc verbum uſurpatur. Phalaris Ariphradi apud Budaeum: μαρτυρῇ γὰρ ὑπὸ πολλῶν ἀρίστην ἐπιείκειαν ἔχων.

AD ACT. VI. 5.

Stephanum] Jampridem Hebraei Graecis nominibus inſueverant. Inter Sophoclis nobilis tragoedi filios unus praeter ceteros nomine *Stephanus* memoratur. Fuere & Comici duo ejuſdem nominis, unus Alexidis Comici filius mediae comoediae poëta, alter Antiphanis filius: uterque Suidae memoratus. Inter Demoſthenis orationes duae ſunt κατὰ Στεφάνου. Sed & Dinarchi oratio κατὰ Στεφάνου ab antiquis allegatur.

Parmenam & Nic.] Parmenae nomen ex Parmenone (uti fuit Parmeno Byzantius jambographus apud Stephanum, & ille apud Terentium Parmeno, & alii plures) decurtatum fuit more Syriaco; ut ex Artemone Artemus, de quo vide dicta ad Tit. III. 12.

AD ACT. VI. 9.

De Synagoga quae appellatur Libertinorum] Confer huc quae de his *libertinis* habet Reineſius ad inſcript. Cl. III. n. 70.

Diſputantes cum Stephano] Συζητοῦντες τῷ Στεφάνῳ. Etiam apud Platonem & alios profanos tertio caſui jungitur, ut & Marci VIII. 11. IX. 14. At alibi apud Marcum & Lucam nectitur praepoſitioni πρὸς; ut & infra IX. 29. quod videtur Helleniſtarum peculiare; apud quos frequens hoc verbum, & inde derivata συζήτησις, & συζητητής, ob eam cauſſam, quod celebris apud Judaeos fuerit Schola Syzetetica, de qua vide Auliſium noſtrum.

AD ACT. VII. 2.

Deus gloriae apparuit patri noſtro Abrahae, dum eſſet in Meſopotamia, priuſquam moraretur in Charan] Hinc probe viri docti colligunt, Ur Chaldaeorum non in Chaldaea ſed in Meſopotamia fuiſſe; & quidem medio intervallo inter Tigrim & Niſibim, ubi *Ur* quoddam Ammianus lib. XXV. recenſuit. Sed de his vide Bochartum. Nunc illud admoneo, Protomartyri noſtro Joſephum in I. antiq. 7. §. 1. concinere, aperte Chaldaeos illos patriae Abrahami incolas inter Meſopotamitas recenſentem; ſic enim habet: Δι' ἅπερ Χαλδαίων τε καὶ τῶν ἄλλων Μεσοποταμιτῶν ϛασιασάντων πρὸς αὐτὸν, μετοικεῖν δοκιμάσας &c. *Quapropter quum Chaldaei & alii Meſopotamiae incolae contra ipſum* (Abramum) *ſeditionem agitarent, optimum factu ratus, ſi inde migraret, Deo volente & adjuvante, terram Chananaeam poſſedit.* Itaque utrunque ex S. Stephano & Joſepho verum eſt, Abrami, patriam & terram Chaldaeorum fuiſſe (vide infra verſu 4. *Tunc exiit de terra Chaldaeorum*) & nihilominus in Meſopotamia fuiſſe: credo quod Chaldaeorum primi illi a Chaſed filio Nachoris propagati Ure conſediſſent, unde poſtmodum colonias in Babyloniam deduxerint, niſi vero volumus Ur *Chaldaeorum* quaſi *Genethliacorum* dictum; certe enim Eupolemus apud Euſeb. in IX. Praep. 17. Abrami patriam alio nomine *Camarinum* appellatam teſtatur, εἶναι δὲ μεθερμηνευόμενον Χαλδαίων πόλιν: *quod liceat interpretari Chaldaeorum urbem.* Quo iſtud modo? A כמרים ſive terminatione Chaldaica כמרין *harioli*, *Camarina* deducitur, ut viri docti obſervarunt, ut *Chaldaeorum* nomen ſit artis, non populi vocabulum. Accedit hoc

hoc etiam ad juvandam eam ſententiam, quae Abrahamicum Ur in Meſopotamia ponit, quod Nicolaus Damaſcenus apud Joſephum fine ejuſdem capitis, Abrami patriam *ſupra Babylonem* ponit, h. e. magis ad boream, quam Babylon eſt, illam removet. Ferme enim apud geographos ὑπὲρ & *ſupra* de βορειοτέροις tractibus dicitur. Verba Damaſceni ſic habent: *In Damaſco regnavit Abramus, qui advena cum exercitu illuc venerat* ἐκ τῆς γῆς τῆς ὑπὲρ Βαβυλῶνος, Χαλδαίων λεγομένης i. e. *ex terra, quae* (licet ſit) *ſupra Babylonem poſita* (tamen) *Chaldaeorum dicitur.*

Et inde . . . tranſtulit illum in terram iſtam] Graece in editionibus, quae nunc paſſim circumferuntur eſt μετῴκισεν i. e. *migrare fecit*, ſive tranſtulit. At in antiquis editis & manu exaratis longe plurimis & optimae notae (de quibus vide Millium heic) legebatur maximo conſenſu μετῴκησεν i. e. *migravit*. Quod prave meo judicio, quaſi ſi eſſet σολοικὸν, in alterum μετῴκισεν commutarunt. Nam Helleniſtae (ex ingenio ſcil. Hebraicae linguae, qua verba intranſitiva in conjug. Hiphil activa fiunt) verbum μετοικέω pro μετοικίζω uſurpabant. Sic 1. Paral. V. 26. καὶ μετῴκησαν τὸν Ρυβήν pro μετῴκισαν. Sic quoque Jer. XX. 4. καὶ μετοικιῶ αὐτούς: utrumque activa ſignificatione. Sic etiam verbum μεταναστεύω, quod apud profanos eſt παθητικὸν, in Graecis interpp. eſt activum, ut Pſ. LI. 5. μεταναστεῦσαί σε. Quod imitatus vetus interpres, ſcripſit, *Emigrabit te*. Hinc ab eo fecerunt paſſivum μεταναστεύομαι; Pſ. X. 1. μεταναστεύω . . . ὡς στρουθίον quaſi ſi dicas *fac tranſmigreris . . . ut paſſer* ſeu *avicula*. Ergo eodem modo heic μετῴκησεν i. e. *migravit* pro *migrare fecit*. Dixerint fort. Lucam Graece doctiorem fuiſſe, & Graecae proprietatis obſervantiorem. His reſpondere poſſim, ſcriptores optimos paſſim μετοικέω (1) pro μετοικίζω uſurpaſſe tum in editis, tum in ſcriptis codicibus: etſi ſcioli paſſim eos locos in ſuis animadverſionibus mendi arguunt; in quibus ubi Ariſtarchi iſti μετοικίζω pro μετοικέω ſubſtituerint, tum & ἐπινίκιον canunt. Atqui id meo judicio non eſt σολοικὸν, ſed σολοικοφανὲς· quod quia magni ſcriptores neglexerunt; non erat, quin Lucas, rerum magis quam ſermonum rigidus exactor, in ſua ſcripta admitteret. Verum age, non ſit ea locutio bene Graeca. At immerito tamen Helleniſticam dialectum ab Luca ablegant. Atqui alibi oſtendi pluribus, hunc ſcriptorem, quando ex ſua perſona loquitur, eſſe caſtigatiorem quam ceteros, & ubi Hebraeos homines loquentes facit (nim. quia propria illorum verba uſurpat) Helleniſticae dialecto mire laxat habenas; prout ii, quos inducit, plus minuſve Hebraicis aut Syriacis locutionibus uſi fuerunt. Veluti in hac ipſa vocula S. Protomartyr Syriace ſermonem habens, pro *tranſtulit*, dixerit facile שנית *shanneih*. At Syris verbum שני *shanni*, etſi ſit *Pael*, tamen intranſitivam notionem *tranſeundi* (2) & *migrandi* plerumque habet, at nonnumquam etiam activam *transferendi*. Hinc

(1) Afferantur huc exempla, quae ob eam cauſam mendi manifeſta ſunt Scherpezeelio ad Strab. X. pag. (mihi) 687. not. 2.

Strabo lib. VII. pag. 303. (ſeu in Amſtel. pag. 465.) *Enim vero patrum noſtrorum memoria Aelius Catus ex trans Iſtrum partibus . . . in Thraciam* ככנ *hominum traduxit*: Graece erat μετῴκισεν, at Caſaub. in margine repoſuit μετῴκισεν.

(2) Id ex eo venit, quia Syr. שני *shanni* eſt ex Heb. שנה *shanah* quod eſt *mutare*: unde Syris illud *shanni* eſt *mutare locum*; & quidem *mutare locum* ſive ſibi (quando eſt intranſitivum) ſive alteri, quoties ſit tranſitivum.

Digitized by Google

Hinc ei respondere fecerunt verbum μετοικέω i. e. *migro*. Itaque postquam μετοικέω in vim & proprietatem verbi Syriaci successit; factum est, ut apud Helleniſtas istud μετοικέω non tantum sit *migro*, sed etiam *migrare facio*: quod posterius quoties Graeca vox designat, id Syriace designat. Itaque reducatur censeo in hunc locum pristina lectio μετώκησεν.

Ceterum vis verbi Graeci mira est in veteribus historiis, quoties sermo est de magnis ducibus, qui pro sua maxima voluntate populos ex una regione abstractos alio demigrare faciebant; concessis ad habitandum terris, quas prioribus incolis adimebant. Eodem heic jure Deus utens inducitur tunc, quum populi regimen penes Deum summum imperatorem esset. Nam formam Hebraicae reipubl. fuisse ab aliis diversissimam, ac θεοκρατικὴν *Theocraticam* jure appellandam, jam alii dicere occuparunt.

AD ACT. VII. 19.

Hic circumveniens genus nostrum] Οὗτος κατασοφισάμενος. De κατασοφίζομαι vide dicta ad Ex. I. 10.

AD ACT. VII. 22.

Et eruditus est Moyses omni sapientia Aegyptiorum] Ex traditione Judaeorum notat id Stephanus. Cujus traditionis testem profero veterem in primis Judaeorum poëtam Ezechielem in ἐξαγωγῇ. Ibi Moses de filia Pharaonis ait:

Ἑως μὲν ἦν τὸν παιδὸς εἶχομεν χρόνον,
Τροφαῖσι βασιλικαῖσι καὶ παιδεύμασιν
Ἅπανθ' ὑπισχνεῖθ', ὡς ἀπὸ σπλάγχνων ἐών.
Quandiu igitur puerile nos aevum egimus,
Cibis & institutione regia
Dignata me ceu filium, implebat spei.

Occupatum a Grotio.

AD ACT. VII. 22.

Et erat potens in verbis &c.] Δυνατὸς ἐν λόγοις est idem quod δεινὸς λέγειν. At Moses id de se negat Ex. IV. 10. Facilis est responsio, Mosem ibi demisse de se sentire, vires suas, humanamque facultatem metientem, non dona reputantem, quae illi Deus esset inditurus.

AD ACT. VII. 25.

Existimabat autem intelligere fratres, quoniam Deus per manum ipsius daret salutem illis: at illi non intellexerunt.] Hinc patet, nihil opus esse ad jus gentium confugere, quod facit Grotius, ut Moses ab homicidii peccato immunis ostendatur; quando ex hoc Stephani testimonio constat, Mosem instinctu Divino ad Aegyptium confodiendum prosiluisse, ut esset id symbolum futurae liberationis Israëlitarum ab Aegyptiaca servitute per Mosis ministerium. *At illi non intellexerunt*, uti conqueritur Stephanus.

AD ACT. VII. 38.

Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris.] Locus minime perspicuus Graece sit habet: οὗτός ἐστιν ὁ γενόμενος ἐν ἐκκλησίᾳ ἐν τῇ ἐρήμῳ, μετὰ τοῦ ἀγγέλου τοῦ λαλοῦντος αὐτῷ ἐν τῷ ὄρει Σινᾶ, καὶ τῶν πατέρων ἡμῶν. Primum omnium post ἐκκλησίᾳ supplenda est ellipsis articuli διακριτικοῦ: ἐν ἐκκλησίᾳ (τῇ) ἐν τῇ ἐρήμῳ. Confer infra versum 45. haud obscure animadvertes, heic distingui Ecclesiam solitudinis

ab

Digitized by Google

ab Ecclesia inducta in terram Chanaan, de qua ℣. 45. Illi praefuit Moses, huic Josua; in illa Ecclesia illi ipsi patres fuerunt, qui ex Aegypto exiverant, in hac eorum successores, διαδεξάμενοι; nisi διαδεξάμενοι ad σκηνὴν referatur. His intellectis τὸ γενόμενος potest primum ad ἐκκλησία primario referri, & ita ut praeesse significat. *Hic est qui praefuit Ecclesiae solitudinis* (nam Chanaanitidem ingressae non hic, sed Josua dux fuit) *non sine Angeli eum suo alloquio dirigentis praesentia, & patrum nostrorum* (fort. LXX. seniores intelligit) *consessu*. Potest etiam illud γενόμενος ad μετὰ τοῦ ἀγγέλου primario pertinere, ut sit sensus: *Hic est, qui tempore Ecclesiae solitudinis versatus est cum Angelo, quo in Sina arcanos congressus habuit, & cum patribus nostris*: quippe qui inter hos & illum internuntius & sequester fuit. Mihi quidem posterior sententia se magis commendat: credo & aliis. Ἐν ἐκκλησίᾳ verti *tempore Ecclesiae* &c. nam & infra ℣. 44. ἐν τοῖς πατράσιν significat *tempore patrum* &c.

AD ACT. VII. 48.

Sed non Excelsus in manufactis habitat, sicut Propheta dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum aedificabitis mihi &c.] Haec omnia eo pertinent, ut intelligatur, immensitatem Dei quantalibet aede contineri non posse; eoque appositе ex omnibus Divinis illud potissimum elegit Stephanus, quo ejus excelsitas notatur, Heb. עליון *Elion*, quod Graeci Ὑψιστος verterunt. Ζεὺς cognomento ὕψιστος, de quo alibi diximus, notus est ex Pausania, ex Hebraeorum *Elion* deformatus; ut & hoc, quod deorum simulacra vix aliter quam colossea fiebant. Notabis etiam Hebraicam σύνταξιν, *Non excelsus* &c. οὐχ ὁ Ὑψιστος ἐν χειροποιήτοις ναοῖς κατοικεῖ. Sic enim ab Hebraeis negans particula usurpari assolet, ut nomini praeponatur, cum tamen non nomen sed verbum, a quo longius abest, afficiat. Sive potius apud Hebraeos adverbia negandi initio periodi ponuntur, ut totam sententiam evertant. *Non Excelsus . . . habitat*, tantundem est, quod *Non verum est*, aut *Nego* hoc quod sequitur, nempe *Excelsum in manufactis habitare*.

AD ACT. VII. 51.

Dura cervice & incircumcisis cordibus & auribus] Phraseologia ex pluribus scripturae locis in unum coacta. Nam & σκληροτράχηλοι, & σκληρῦναι τὸν τράχηλον saepissime apud LXX. Adhaec Lev. XXVI. 41. καρδία ἀπερίτμητος. Et ἀπερίτμητος καρδία legitur Ezech. XLIV. 7. 9. Et Jer. IX. 25. Postremo ἀπερίτμητα τὰ ὦτα Jer. VI. 10. occurrunt. Haec quidem obvia. Omnia vero haec in unum collata, & posita legi possunt in Barnabae epistola cap. VII. Λέγει γὰρ περὶ τῶν ὠτίων, πῶς περιέτεμεν ἡμῶν καὶ τὴν καρδίαν &c. Mox pluribus subjunctis scripturae locis, quibus ad audiendum hortatur, addit: ἐχὲν περιέτεμεν ἡμῶν τὰς ἀκοὰς, ἵνα ἀκούσαντες λόγου πιστεύσωμεν· ἡ γὰρ περιτομὴ, ἐφ' ᾗ πεποίθασι, κατήργηται. Mox etiam ex scriptura ad circumcidendum τὸ σκληρὸν τῆς καρδίας hortatur. Ergo, Barnaba interprete, cordis circuncisio in exscindenda ejus duritie est posita, aurium autem in audiendo. Hi, quia tanquam aspides συνέσχοντα ὦτα αὐτῶν, ut infra dicitur, merito ἀπερίτμητοι τοῖς ὠσὶν a B. Protomartyre appellantur.

AD ACT. VII. 55.

Intendens in caelum vidit gloriam Dei, & Jesum stantem a dextris Dei, & ait: Ecce video caelos apertos & Filium hominis stantem a dextris Dei] Apud Spar-

Digitized by Google

Spartiatas ſub oculis regis pugnare maximae dignationis erat, idque majus dabatur, quam praemia quaevis alia, quae victoribus in aliis civitatibus dari ſolebant, teſte Plut. in Lycurgo. Ea ſtatio iis, qui in ſacris ludis praemia retulerunt, aſſignari conſueverat.

AD ACT. VII. 56.

Exclamantes autem] Supple: *audiſtis blaſphemiam* aut tale aliquid. Blaſphemum enim videbatur Filium hominis, ac ſi Filius Dei eſſet, Dei dexteram occupare.

Continuerunt aures ſuas] Audita blaſphemia non tantum veſtes ſcindere, ſed & obſtruere aures conſueverant. Ignatius epiſt. ad Epheſios: ἔχοντας κακὴν διδαχὴν, ἣν οὐκ εἰάσατε σπεῖραι εἰς ἡμᾶς, βύσαντες τὰ ὦτα, εἰς τὸ μὴ παραδέξασθαι τὰ σπειρόμενα ὑπ' αὐτῶν. Nota eſt de Nicaenis Patribus Hiſtoria ad Arii blasphemias aures obturantibus. Euſ. V. 20. cum Florino concertans, ait ſi hujus dogmata unquam Polycarpus, cui uterque eorum operam dederant, audiſſet, ἀναχράζας ἂν καὶ ἐμφράξας τὰ ὦτα αὐτοῦ . . . πεφεύγει ἂν &c. *exclamaturum continuo & obturatis auribus . . . fuga ſe ſubducturum fuiſſe.* Ac vide omnino alia hujus moris exempla, quae in hujus loci notationibus Valeſius, ex lib. 2. Recognitionum, Irenaei III. contr. haer. 4. Athanaſio epiſt. ad ſolit. Hieronymo 1. adv. Rufin. curate collegit.

AD ACT. VII. 57.

Et ejicientes eum extra civitatem] Strabo lib. III. p. 155. de Luſitanis: τοὺς δὲ πατραλοίας ἔξω τῶν ὁρῶν ἢ τῶν ποταμῶν (legendum ex Caſauboni emendatione ὅρων ἢ τῶν πόλεων) καταλεύουσι. *Patricidas eductos extra fines aut civitates lapidibus obruunt.*

Lapidatio etiam ex uſu Romano, extra civitatem fiebat. In actis SS. Petri, Andreae, Pauli, apud Ruinart. pag. 160. n. IV. Proconſul Andream & Paulum *flagellis caeſos populo tradidit lapidandos. Illi ergo eos acceptos trahebant extra civitatem, ligatis pedibus, ut lapidarentur.*

Dionyſius Alex. ep. ad Fabium Antioch. de martyribus Alexandr. apud Euſ. VI. hiſt. 41. de Metram. καὶ καλάμοις ὀξέσι τὸ πρόσωπον καὶ τὰς ὀφθαλμὰς κεντοῦντες, ἀγαγόντες εἰς τὸ προαστεῖον, κατελιθοβόλησαν. *Et acutis arundinibus vultum ejus oculoſque pungentes, deductum in ſuburbium lapidibus obruerunt.* Mox de Quinta M. ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἀγαγόντες κατέλευσαν τόπον. *Item in ſuburbium abductam, lapidaverunt.*

AD ACT. VII. 59.

Obdormivit in Domino]. Τέλειος vox athletica Martyri Stephano tribuitur a Lugdunenſibus epiſt. de Martyribus Lugd. ap. Euſ. V. hiſt. 2. Καθάπερ Στέφανος ὁ τέλειος μάρτυρ. Eadem viciſſim epiſt. ap. Euſ. V. 1. pag. 156. Martyres Lugdunenſes appellantur πρωτομάρτυρες. Καὶ φανεροὶ καὶ ἕτοιμοι ἐγίνοντο πρωτομάρτυρες.

AD ACT. VIII. 2.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati & fecerunt planctum magnum ſuper eum.] Non obſtante perſecutione ſcilicet, de qua modo dixerat: Tanti apud eos erat, honorem debitum militis egregii reliquiis impendere. Id quod poſtea imitati ſunt Chriſtiani, qui ut martyres honorifice conderent, non dubitabant ſalutem iſtam

Digitized by Google

corporis in apertum discrimen adducere. Sed nescio quomodo ut multa sunt martyrum honoribus cum militaribus decoribus communia (coronas, palmas & hujusmodi sexcenta, quis dubitabit a militia in honorem martyrum derivata?) sic hoc de ultimo sepulturae officio eorum, qui in praelio occubuerant; quod negligere nefas habebatur, in primis apud Graecos: Vel vide quae apud Homerum certamina super Patrocli corpore decertata fuerint. Decem illi classis praefecti, qui ad Arginusas Lacedaemonios profligarunt, non alia de causa capite plexi sunt, quam quia commilitonum cadavera undis supernatantia adipisci supersederunt, etsi procellam praetexuissent, quae, nisi fuga sibi consuluissent, classem perdidisset; uti narrat Xenophon Graec. hist. lib. 1. Post pugnam in agro Corinthiaco decertatam, Nicias, animadverso duo ex militum cadaveribus inter legendum praetermissa, substitit, & illa efferendi veniam ab hoste rogavit, trophaeum erigendi scilicet honore contempto: nam qui confossos exportandi copiam ab hoste petebat, praelio potitus non habebatur; auctore Plutarcho in Nicia. Postremo Chabrias, Lacedaemoniis ad Naxum in fugam actis, uti victoria, atque hostes persequi noluit, nequod suorum cadaver fluctibus permitteret, teste Diodoro Sic. lib. XV.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati] Graece est συνεκόμισαν. sepulcrale verbum, quasi dicas *comportaverunt*, ex eo nimirum loco, ubi lapidibus obrutus, noctu diuque jacuerat, ab avibus ferisque discerpendus, nisi hae sancto corpori pepercissent.

Curaverunt autem Stephanum viri timorati] Apud Muratorium to. 4. Inscriptionum p. 1942. legitur MEMORIA · TIMORATI · CRESSIANI · FIDELIS.

Et fecerunt planctum magnum super eum] In loco, ubi acervus lapidum adhuc V. ineunte saeculo visebatur, unde postea in sepulcrum Gamalielis est asportatus.

AD ACT. VIII. 9. 10.

Dicens se esse Aliquem Magnum: cui auscultabant . . dicentes: Hic est Virtus Dei, quae vocatur Magna.] Non quamlibet se *Virtutem Dei* dicebat, sed ἐνυπόστατον, *subsistentem*. Hinc ille non se *Aliquid magnum* sed *aliquem magnum*, τινὰ μέγαν nuncupabat. Hoc ipsum intelligitur ex Ambrosii Exjosippo lib. 3. cap. 2. ubi acclamasse populus dicitur, *Dei esse potentiam* (Simonem qui volaret) *non Hominem*: pro quo male antea lectum *Non hominis*: male, quia ibi *Potentia Dei* tamquam persona opponitur *Homini*: prius illud de Simone affirmabant, posterius abnuebant. De quo vide plura ad illam Exjosippi narrationem (ad Kalend. marm. Neap. 29. Jun. Adnot. 701. & 715.)

AD ACT. VIII. 13.

Tunc Simon . . . cum baptizatus esset, adhaerebat Philippo] Ἦν προσκαρτερῶν τῷ Φιλίππῳ. *Philippi latere non discedebat*. Cum dativo personae eam significationem habet apud Demosthenem in Neaer. θεραπαίνας τὰς Νεαίρᾳ προσκαρτερούσας. & hoc libro infra X. 7. στρατιώτην εὐσεβῆ τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ. Hujus verbi vim magis etiam intendit illa circuitio ἦν προσκαρτερῶν, quod majus τὸ ἐμμενὲς habet, quam si dixisset προσκαρτέρει. Sic & supra II. 42. ἦσαν προσκαρτεροῦντες.

AD

AD ACT. VIII. 22.

Poenitentiam itaque age ab hac nequitia tua] Μετανόησον οὖν ἀπὸ τῆς κακίας σου ταύτης. Vſus verbi μετανοῶ cum praep. ἀπὸ eſt ex lingua Helleniſtica, ut in Graec. Jerem. VIII. 6. μετανοῶν ἀπὸ τῆς κακίας. Sic cum praep. ἐκ reperitur Apoc. II. 21. IX. 21. XVI. 11. Alias in Graeca V. T. translatione cum praep. ἐπὶ & περί. Vt & apud Paulum ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ, 2. Cor. XII. 21. Vide quae ibi notavimus, ut appareat, in hujuſmodi locutionibus ἀπὸ & ἐκ idem valere, quod ἐπί.

AD ACT. VIII. 26.

Angelus autem Domini locutus eſt ad Philippum, dicens: ſurge, & vade &c.] Euſebius in II. hiſt. Eccl. primo extremo capite narrat, Eunuchum reginae Candacis πρὸς τοῦ Φιλίππου δι' ἐπιφανείας τὰ τοῦ θείου λόγου ὄργια μετασχόντα h. e. a Philippo caeleſti viſione (ut Valeſius interpretatur) admonitum, divini verbi myſteria percepiſſe. Id quod adverſatur apertae Lucae narrationi: neque vero Philippus Eunuchum baptizaſſet, niſi corpore praeſens adſtitiſſet. Nihil ergo aliud reſtat, niſi ut illud δι' ἐπιφανείας, *Ex Philippi praeſentia* interpretemur.

AD ACT. VIII. 27.

Eunuchus, potens Candaces Reginae Aethiopum] Pontius in vita Cypr. cap. 3. *Ille enim* (eunuchus Reginae Candacis) *& Judaeus erat, & de templo Domini veniens, prophetam legebat Iſaiam.*

AD ACT. VIII. 30.

Audivit eum legentem Iſaiam Proph.] Veteribus, cum curru aut lectica vehe-rentur, legere aut ſcribere in more fuit. De Plinio ſecundo avunculo ſuo narrat hoc alter junior Plinius. Martyrologium Graecum de S. Eugenia: ἦν ἀναγινώσκου-σα ἔνδον τοῦ βασιλέως.

AD ACT. VIII. 36.

Venerunt ad quandam aquam] Pro *ad quandam ſcaturiginem fluviumve*. Hebraei *aquam* pro quavis aquarum συναγωγῇ uſurpare ſolent.

AD ACT. IX. 1.

Saulus autem adhuc ſpirans minarum & caedis in diſc. Domini] Graece ἐμπνέων ἀπειλῆς καὶ φόνου. Hebraica conſtructio, qua participia in forma regiminis uſurpantur; cujuſmodi eſt illud Pſ. XXVI. (Heb. 27.) 12. יפח חמס *vipheah chamus*, *ſpirans violentiae*. Ceterum πνέειν φόβον dixit Marcellus Sidetes (in fragmento quod Fabricius to. 1. biblioth. Graecae inſeruit pag. 15.) verſu 46.

. . οἱ πνείουσι φόβον κρυερῆ θανάτοιο
. . *Metum gelidae qui mortis anhelant.*

Alia plura exempla habes in theſ. H. St. ut μένεα πνείοντες Ἀχαιοί apud Hom. & Ariſtophanes Ranis: πνέοντας δόρυ καὶ λόγχας, καὶ λευκολόφους τρυφαλείας, καὶ πήλεκας καὶ θυμοὺς ἐπταφοβείους. Seneca *ſpirat ſanguinem*. *Scelus anhelantem* dixit Catilinam Cicero. Ammianus XV. 5. *Anhelantem celſius purpuratum* (Silvanum tyrannum). Et lib. XXVI. de Procopio: *Velut imperatoris cognatus altius anhelabat.*

AD ACT. IX. 2.

Et petiit ab eo epiſtolas in Damaſcum &c.] Non quas ipſe perferret, ſed quas acceptas per alios praemitteret. Vide infra ad ℣. 14.

Digitized by Google

AD ACT. IX. 5.

Durum eſt tibi contra ſtimulum calcitrare] Σκληρόν σοι πρὸς &c. h. e. *Male cedit tibi contra ſtimulum calcitrare*. Reſpondet Hebraico יַרְע *jarabh*, *malum eſt*, pro quo LXX. σκληρὸν εἶναι aut φαίνεσθαι repoſuerunt Gen. XXI. 12. & XLV. 5. Niſi vero σκληρόν pro σκληρότης hoc ſenſu: *durities tibi magna ineſt contra ſtimulum calcitranti*; ut Haebraice fuerit: קשה לך לבעט, *Durum* ſive *durities tibi in eo quod recalcitres*. Aut vero -- *Vide ne recalcitrando animi duritiem induas*; cujus ſimilis eſt ſententia Sirachidae XXX. 8. Γ'πος ἀδάμαστος ἀποβαίνει σκληρός. *Equus indomitus evadit durus*.

AD ACT. IX. 14.

Et hic habet poteſtatem a principibus ſacerdotum alligandi omnes, qui invocant nomen tuum. Quî id ſciebat Ananias? nam epiſtolas (quas non aliis perferendas datas conſtat, cum Paulus ipſe Act. XXII. 5. ſeſe accepiſſe fateatur) non eſt veriſimile, Saulum poſt converſionem reddidiſſe. Omnino crediderim, Saulum acceptas epiſtolas per alios praemiſiſſe; ex quibus jam ante ejuſdem adventum mandata illi data ſermonibus differebantur.

AD ACT. IX. 15.

Vas electionis eſt mihi iſte, ut portet nomen meum . . .] De *Vaſis* notione Hebraica Graecaque dictum fuit ad Gen. XXVII. 3. Duplex hîc Hebraiſmus eſt, unus quo *Vas* pro eo ponitur quod eſt *Inſtrumentum*, alter quo abſtractum pro concreto uſurpatur. Paulus igitur a Chriſto dicitur *Inſtrumentum electum* ad Chriſti nomen gentibus propagandum. Confer Suicerum in fine τῦ Σκεῦος.

AD ACT. IX. 16.

Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati] Υποδείκνυμι & ſimplex δείκνυμι non raro his libris ſignificat viſionem offerre. Vide infra X. 28. & alibi. Eodem ſignificatu *oſtendo* veteribus Eccleſiae ſcriptoribus uſurpabatur: Tertullianus V. adv. Marcion. 4. *Haec ſunt enim duo teſtamenta, ſive duae oſtenſiones*. h. e. revelationes. Cyprianus epiſt. 7. ad clerum de prec. Deo: *Sicut Dominus oſtendere & revelare dignatus eſt*. Et ſaepe eadem epiſtola, dum oblatam ſibi viſionem enarrat; ut illud: *Nam & illud oſtenſum eſt, quod ederet Paterfamilias &c.* Oſtenſionis autem, de qua heic ſermo, meminit Paulus Act. XX. 23. Vide etiam Act. XXI. 11.

AD ACT. IX. 18.

Et . . . ceciderunt ab oculis ejus tamquam ſquamae] Gr. λεπίδες, quod vocabulum apud Seniores reſpondet Lev. XI. 9. 10. & in loco parallelo Deuteronomii Heb. קשקשת *Kaskeſet* i. e. piſcium ſquamis. Verum quia Chaldaicum קשקש *Kaskes*, etiam *quiſquilias*, & omne genus purgamenta ſignificat (quae ſignificatio ineſt etiam cognatis Syriacae & Arabicae linguae vocabulis) idcirco non invitus crediderim, etiam Graecum λεπίδων vocabulum ex Chaldaici *Kaskes* ſignificatibus expoſitum, heic quaelibet purgamenta notare. Nec obeſt illud ὡσεὶ *tamquam*: nam ſi γενικῶς *purgamenta* heic intelligas, illud *tamquam* vim habebit τῦ *Caph veritatis*, ut Judaei appellant: quale eſt illud *Gloriam quaſi unigeniti*, & alia plura.

AD ACT. IX. 19.

Et cum accepiſſet cibum: confortatus eſt] Ε'νίσχυσεν. Ισχύω & compoſita non tantum apud Graecos interpretes, & Helleniſtas, quorum loca indicat heic Gro-

Digitized by Google

Grotius, verum etiam apud profanos Scriptores reciprocam significationem habent. In Glossario Ισχύω exponitur *valeo, polleo*. In iisdem Κατισχύω *convalesco*.

AD ACT. IX. 22.

Saulus autem magis convalescebat] Ἐνεδυναμοῦτο. In glossario ἐνδυναμοῦμαι, *praevaleo*.

Affirmans] Gr. συμβιβάζων. Est autem συμβιβάζειν in disputandi arte idem, quod usitatius κατασκευάζειν Graeci dicunt; hoc autem Latino verbo *adstruo* examussim respondet. Ejusque contrarium est ἀνασκευάζειν, quod est dicendo convellere.

AD ACT. IX. 30.

Deduxerunt eum Caesaream] Κατήγαγον αὐτὸν εἰς Καισάρειαν. Est κυριολογία similis illi, qua hoc libro *descendere Caesaream* non semel quis dicitur: ab Jerusalem scilicet collibus imposita, ad maritima descenditur. Κατάγω autem est κάτω ἄγω. Nec minus *deduco*, quo utitur interpres, est *deorsum duco*. Caesar in tertio B. G. *Deducere de rostris conantem concionari* dixit. Ac sicuti Plut. Numa καταγαγεῖν τὸν Δία μαγεύσαντας dixit; idemque Fabio: καταγαγὼν ἀετὸν ὑπερπταμενον; sic Virg. *Carmina vel caelo possunt deducere lunam*. Sic & κατάγειν τὸ στέμμα apud Plut. *ab orgine gentis deducere* &c. Budaeus interpretatur. In glossario κατάγω, exponitur *deduco*. Eadem ἀκρίβεια in verbo κατάγω, & interpretis vertentis *deducco*, alibi hoc libro, & ad Rom. X. 6. & passim in Graecis interpretibus, apud quos κατάγω respondet Hebraeo יָרַד *borid* h. e. descendere facio; unde apud hos legitur καταγαγεῖν εἰς Αἴγυπτον & alia ejusmodi.

AD ACT. IX. 31.

Ecclesia quidem per totam Judaeam & Galilaeam, & Samariam habebat pacem] Gr. καθ' ὅλης τῆς Ιουδαίας &c. pro καθ' ὅλην &c. Sic etiam infra ℣. 42. Sic & Homerus Od. Z. Οἵη δ' Ἄρτεμις εἶσι κατ' οὔρεος ἰοχέαιρα. Ibi eam constructionem esse Atticam affirmat Eustathius. Utitur ὁ Ατττικώτατος Aristophanes, ex quo affertur κατὰ τῆς τραπέζης καταστάσας. Jungitur etiam patrio casu in juris jurandi formulis.

AD ACT. IX. 32.

Factum est autem, ut Petrus deveniret ad sanctos qui habitabant Lyddae] Graece est κατελθεῖν, *ut descenderet ad sanctos* &c. Verbum κατελθεῖν usurpatur, quoties ad maritima acceditur, ut κατελθεῖν εἰς Καισάρειαν &c. Vide dicta supra ad ℣. 30. Hac observatione adhibita, videtur Lydda in ora fuisse maritima. Cum autem Joppae vicina dicatur infra ℣. 38.; quaesitum fuit quorsum ab Joppe recederet in austrum, an in ortum, an postremo in septentrionem. Probare se putat Cellarius, non infra Joppen fuisse austrum versus. At neque ad ortivam plagam Joppes fuit, si modo verum est Lyddam fuisse maritimam aeque ac Joppen ipsam. Restat ergo ut ad septentrionem Joppes Lydda sit removenda.

AD ACT. IX. 34.

Surge & sterne tibi] H. e. surge e crabbato, & sterne tibi lectum, in quo deinceps cubes. Istud στρῶσον σεαυτῷ simile est βραχυλογία illi apud Athenaeum lib. XIII. καὶ στρῶσον ἡμῖν ἔνδον.

AD

Digitized by Google

AD ACT. IX. 36.

Quae interpretata dicitur Dorcas] Ἡ διερμηνευομένη λέγεται Δορκάς. Non dixit ἡ διερμηνεύεται, sed διερμηνευομένη λέγεται. h. e. quae vulgo ex Syriaci nominis interpretamento dicitur Dorcas. Poſtquam Graecus ſermo in Palaeſtina, ferme peraeque ac Syriacus, vernaculus eſſe coepit; multi binomines erant, ut Thomas qui & Didymus, &c. Ceterum *Dorcadis* nomen frequens in ſervilibus libertiniſve capitibus, quorum in inſcriptionibus mentio, deprehenditur. Vel conſule indicem nominum Gruterianum.

AD ACT. IX. 40.

Reſedit] Ανεκάθισε. Vide ad Luc. VII. 15. ubi idem verbum in eadem re uſurpatur.

AD ACT. X. 2.

Religioſus ac timens Deum cum omni domo ſua] Εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν. Eſt periphraſis proſelyti portae, qui φοβούμενοι τὸν Θεὸν aut σεβόμενοι ab Helleniſtis dicebantur. Hinc poteſt intelligi, quid ſit illud quod Polae in Iſtria legitur in inſcriptione apud Grut. 721. 11. AVR · SOTERIAE · MATRI · PIENTISS · RELIGIONI · IVDAICAE · METVENTI · Credo ſcalptum fuiſſe, aut ſcalpi debuiſſe RELIGIONIS. Niſi vero quadratarius τὸ METVENS, quod non intelligebat, ad religionem, cui illa metueret, retulit.

AD ACT. X. 3.

Quaſi hora diei nona] Ὡσεὶ ὥραν ἐνάτην τῆς ἡμέρας. Inſolens locutio pro περὶ ὥραν &c. (quod & heic in aliquibus optimae notae MSS. & infra ℣. 9. legitur) aut κατὰ aut pro ὡσεὶ ὥρᾳ ἐνάτῃ. Sic etiam infra ℣. 30. καὶ τὴν ἐνάτην ὥραν. Simile eſt illud in Capitolini Pertinace cap. 6. *Denique tertium Nonarum diem* (pro *tertio*) *milites Triarium Maternum ... ducere in caſtra voluerunt.*

AD ACT. X. 4.

Orationes tuae & eleemoſynae tuae aſcenderunt in memoriam in conſpectu Dei] De μνημόσυνον dixi, ni fallor, ad Matthaeum. Heic autem ἀνέβησαν εἰς μνημόσυνον idem eſt, quod ἀνέβησαν γενησόμεναι μνημόσυνον, ut exponit in theſ. H. Stephanus. Eſt ergo hebraiſmus ſimilis illi *Factus eſt in caput anguli.*

AD ACT. X. 6.

Hic hoſpitatur apud Simonem quendam coriarium, cujus eſt domus juxta mare.] Opportune βυρσοδέψου domus ad mare poſita fuit, cujus aqua, quippe abſtergendi vi praedita, huic opificio perutilis. Nec alio, quam in mare, opportunius ſordes egeri poterant.

AD ACT. X. 7.

Vocavit duos domeſticos ſuos, & militem metuentem Dominum ex his, qui illi parebant: Et ... miſit illos &c.] Ευσεβῆ Interpres reddidit *metuentem Dominum*, ut proſelytum portae ſignificaret. Vide ſupra ad ℣. 2. *Ex his qui illi parebant.* Graece τῶν προσκαρτερούντων αὐτῷ. De προσκαρτερέω vide dicta ſupra VIII. 13. Vulgatum interpretem poſuiſſe *apparebant*, ex quo fluxerit hodierna lectio *parebant*, exiſtimat Grotius. Ego contra *parebant* tantundem eſſe quod *apparebant*, evincere poſſe videor Spartiani auctoritate, apud quem vita Peſcennii cap. 7. legitur: *Cum unus ad memoriam, alter ad libellos* (imperatori ſcilicet) *paruiſſet.*

Po-

Digitized by Google

Poſtremo obſervandum, duces Romanos praeter ſervos habuiſſe illo tempore etiam aliquot milites ſuis miniſteriis addictos, ac veluti apparitores; id quod etiam ex Luc. VII. 8. colligitur. Hoc quia Peſcennio vetuſtae diſciplinae reſtitutori turpe videbatur, milites hujuſmodi ab ſuo latere ſemovit, & in expeditione ſuas ſarcinas a militum illorum tergo ſublatas, ſervorum ſuorum humeris impoſuit. De quo vide eundem Spartianum ejuſdem vitae cap. XI. *Sibi milites non habuit* (ſic enim in noſtris ad eum auctorem notationibus emendavimus pro eo, quod ineptiſſime legebatur, *ſimiles non habuit*) & quae ſequuntur.

Ex his qui illi parebant] Cic. lib. 1. in Ver. cap. 31. *Niſi id ad nutum tuum praeſto fuerit, niſi libidini tuae cupiditatique paruerit* &c. Quo loco *parere* pro *apparere* poſitum Gruterus exiſtimat.

AD ACT. X. 9.

Aſcendit Petrus in ſuperiora ut oraret circa horam ſextam.] Gr. ἐπὶ τὸ δῶμα h. e. in ſolarium. Non una cauſſa fuit, cur in ſolariis precationi vacarent. Primum ad Act. XVI. 13. multis demonſtravimus, proſeuchas αἰθρίους fuiſſe: At δώματα non tantum ὕπαιθρα fuerunt, ſed & in Graeca Proverbiorum interpretatione XXI. 9. pro גג *gag*, *tecto*, ὕπαιθρος tanquam συνώνυμον ponitur. Et ad Luc. VI. 12. ad Act. I. 13. & alibi, eaſdem in ſublimi poſitas, ac ſaepe in montibus aut caenaculis. Itaque tum ob liberiorem caeli aſpectum, & plagae illius, ubi Templum erat, tum ut propius a Caelo abeſſent, atque a ſtrepitu alieniores, edita ferme loca, & ὕπαιθρα ſeligebant. Fuere autem ſolaria veluti familiares proſeuchae ac veluti lararia, ut profani vocabant, tum in vero Dei cultu, tum ſuperſtitioſo idolorum; de quo confer 4. Reg. 23. 12. Jer. XIX. 13. XLVIII. 38. Id etiam aliquandiu in primordiis Eccleſiae viguiſſe putandum; quippe cum in Smyrnaeorum epiſtola de Polycarpi paſſione conſcripta, legatur S. Polycarpus in ſolario quodam diu noctuque pro Eccleſiis preces ad Deum fudiſſe, ibique deprehenſus a diogmitis h. e. Irenarchi miniſtris. Ἐκεῖνον μὲν εὗρον ἔν τινι δωματίῳ καταχείμενον ὑπερῴῳ. *Ipſum quidem in quodam ſublimi ſolario jacentem repererunt.*

AD ACT. X. 10.

Cecidit ſuper eum mentis exceſſus] Graece ἔκστασις. Plena locutio exprimitur in veteribus Gloſſis: Ἔκστασις τῦ λογισμῦ, quod ibi exponitur *Pavor*, *Exceſſus*.

AD ACT. X. 13.

Occide & manduca] Gr. θῦσον καὶ φάγε. Ut ἱερεῖον proprie victimam ſignificat, ſed transfertur etiam paſſim ad quodvis animal, quod ad veſcendum mactatur; ſic & θύω graecis, *macto* latinis. Fluxit ex veterum more, apud quos ſacrificia conviviis ita conjungebantur, ut & de ſacrificiis convivarentur, & nihil ad epulas mactabatur, cujus non ſua diis portio cederet. Hinc pleraque utrique rei fuere communia vocabula. Cujuſmodi eſt & apud Virg. *epulor* pro ſacrifico: *Juppiter omnipotens . . . . . Mauruſia pictis,*
Gens epulata toris &c.

AD ACT. X. 16.

Hoc autem factum eſt per ter] Gr. ἐπὶ τρίς. Videtur hoc Helleniſticae dialecti peculiare. Certe in inſcriptione (quam ab Helleniſta Judaeo conſcriptam vel pueri judicaverint) apud Grut. LXXI. I. ✝. 13. & 17. ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας eſt *per tres dies*.

AD

AD ACT. X. 17.

Et dum &c. ecce viri &c.] Gr. καὶ ἰδού. Helleniſtarum eſt hoc πολυσύνδετον, vice Hebraicae conjunctionis, quae in his talibus locutionibus ſaepe abundat.

AD ACT. X. 24.

Cornelius vero expectabat illos] Gr. ἦν προσδοκῶν pro προσεδόκα, ut ſupra cap. 2. ἦσαν προσκαρτεροῦντες, & alibi ſaepiſſime his libris in verbis permanentiae, quod non caret elegantia.

AD ACT. X. 28.

Vos ſcitis quomodo abominatum ſit viro Judaeo conjungi aut accedere ad hominem alienigenam] Etiamne ad proſelytum portae, qualis non tantum erat, verum etiam habebatur (quippe μαρτυρέμενος ὑπὸ ὅλυ τοῦ ἔθνους τῶν Ιουδαίων ſupra ℣. 22.) Cornelius? Si de civili congreſſu agitur, non puto cum talibus illicitam fuiſſe conſuetudinem: excepta communi menſa, quae diſerte vetita dicitur infra XI. 3. Itaque quae heic ex decreto ſapientum afferunt interpretes, ea ad idololatras ſpectant, non ad τοὺς σεβομένους. Et jam ſupra ℣. 23. ſine haeſitatione Petrus ἐξένισε miſſos a Cornelio, eodem tecto, eademque utique menſa cum iis uſus, ob hanc cauſſam, quia & illi εὐσεβεῖς erant, ut habes ſupra ℣. 7. Quo ergo ſpectat Petri dictum: *Abominatum viro Judaeo conjungi &c.*? Puto eſſe intelligendum in ſubjecta materia h. e. de communione in ſacris. Cum proſelytis enim portae conſuetudo civilis licita erat, in ſacris non item. Petrus ergo, qui ex Divino oraculo noſſet, ſeſe ſacrorum cauſſa a Centurione arceſſendum, de his tantum intellexerit, quod ait non licere homini Judaeo verſari cum alienigena.

Sed mihi oſtendit Deus &c.] Gr. καὶ ἐμοὶ ὁ Θεὸς &c. Καὶ pro καίτοι, quod ſcite Interpres per adverſativam particulam reddidit.

Sed mihi oſtendit Deus, neminem communem aut immundum dicere hominem] Gr. καὶ ἐμοὶ Θεὸς ἔδειξε μηδένα κοινὸν ἢ ἀκάθαρτον λέγειν ἄνθρωπον. Quae apud Cypr. ep. 59. ſic leguntur: *Dominus mihi dixit, neminem hominem communem dicendum & immundum*. Bene ſe habet haec verſio. Primum quod ἔδειξε vertitur *dixit*, non inepte factum: veteribus certe ῥήτορσιν ἐπιδείξεις *orationes* dicebantur, & ἐπιδεῖξαι *orationem habere*. Sed hoc leviculum. Illud ſcitiſſime quod *dicendum* mox poſuit, quod intelligeret heic λέγειν idem valere quod λεκτέον, ut ſaepe alibi apud Graecos infinita verborum eodem ſignificatu.

AD ACT. X. 33.

Confeſtim ergo] Gr. ἐξαυτῆς ἔν, ſupple *hora*, ut Matt. XV. 28. ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης. Hinc in veteribus Gloſſis ſejunctim ἐξ αὐτῆς ſcribitur, ut intelligatur ὥρας, & exponitur *actutum, e veſtigio, illico*. Vtitur ἐξαυτῆς & Marcus cap. 6. & Paulus ad Philemonem, & Suidas duo praeterea exempla affert.

AD ACT. X. 34.

In veritate comperi, quia &c.] De hac veterum Chriſtianorum jurisjurandi formula, cum veritatem teſtem advocarent, videantur Athanaſii, & Sozomeni ſimiles loci a Valeſio notati ad Sozom. II. 30. Male ibi Valeſius locum Apoſtoli qui nuſquam eſt, ex memoria, opinor, citat. At iſtud ἐπ' ἀληθείας praeter hunc Actor. locum, Luc. IV. 25. & alibi ſaepe in N. F. legitur.

AD ACT. X. 36.

Verbum miſit Deus] Gr. τὸν λόγον. Saepe hoc libro λόγος abſolute pro λόγῳ εὐαγγελικῷ ponitur. Id imitati Scriptores Eccleſiaſtici τὸν λόγον ἔγγραφον,

Digitized by Google

φον, sive scripturas sacras, θείους λόγους plurativo numero efferunt, at Evangelicam doctrinam sive fidem orthodoxam, singulari numero τὸν θεῖον λόγον. Eusebius VI. hist. 1. de Origene, ὁποίας . . περὶ τὸν θεῖον λόγον προαιρέσεως ἦν. *Quanto animi ardore erga divinam fidem incitaretur.* Eod. lib. c. 3. τὴν εἰς τὸν θεῖον λόγον πίστιν. Et fine capitis 5. de S. Potamiaena: καὶ ἐπὶ τὸν θεῖον λόγον προσκεκλημένης αὐτούς. *Cum eos ad Divinam fidem in se admittendam provocasset.* Sed & λόγος sine adjuncto pro eadem re usurpatur Origeni apud Eusebium VI. hist. 19. ἐπεὶ δὲ ἀναχειμένῳ μοι τῷ λόγῳ. *Cum vero totum me ad verbum Dei* (sive *fidem divinam*) *convertissem.* Dionysius Alex. lib. adversus Germanum apud Euseb. VII. hist. 11. κἀκεῖ θύραν ἡμῖν ὁ Θεὸς ἀνέῳξε τῷ λόγῳ. *Ibi quoque nobis Deus verbi januam patefecit.* Et post pauca: αὐτῶς τότε πρῶτον δι' ἡμῶν ὁ λόγος ἐπεσπάρη. *Tunc primum apud illos verbi Divini per nos sparsa sunt semina.* Antiocheni Patres in epistola synodica: ἐλπίσας ἄνευ τινὸς περὶ τὸν λόγον λοιδορίας τὸ πράγμα εἰς δέον καταστήσεσθαι. *Sperans* (Firmilianus) *sine ulla religionis contumelia rem optime posse constitui.* Eusebius ipse VIII. hist. 13. Constantinum aemulatorem se praestitisse ait τῆς πατρικῆς περὶ τὸν ἡμέτερον λόγον εὐσεβείας, *paternae erga fidem nostram pietatis.* Et III. de vita Const. 58. ὅπως ἂν πλείους προσίοιεν τῷ λόγῳ. *Ut quam plurimi ad Christi fidem accederent.*

AD ACT. XI. 3.

Quare introisti ad viros praeputium habentes, & manducasti cum illis?] At nonne supra X. 23. Petrus *introducens eos* (missos scilicet a Cornelio, qui & incircuncili erant) *recepit hospitio*, eosque uti par est, mensae adhibuit? An Judaeo vetitum erat hospitio recipi ab hujusmodi, non item mensae adhiberi? Nam certe ei, qui hospitio & convivio excipiebatur, erat verendum ne cibos vetitos usurparet, aliaque contra legem patraret: id vero in eo qui excipiebat, non erat pertimescendum, quippe cum ejus nutu qui excipit, edulia ceteraque apparentur.

AD ACT. XI. 6.

In quod intuens considerabam; & vidi quadrupedia &c.] Εἰς ἣν ἀτενίσας κατεγόουν· καὶ εἶδον &c. Non assentior Grotio statuenti, καταγοεῖν hoc esse *conspicere*, ut supra VII. 31. ἰδεῖν *diligentius contemplari*. Nam qui ἀτενίζει, is totam contemplandi vim exserit, qua contemplatione quid agnoverit, id verbo ἰδεῖν Scriptor exsequitur. Similis conjunctio τῷ καταγοεῖν & τῷ ἐπιδεῖν aut βλέπειν Ps. XXI. 19. CXLI. 5. & hoc libro VII. 31. plus est certe κατανοῆσαι, quam ἰδεῖν. In Glossis κατανοῶ est *considero*, *animadverto*, *contemplor*. Aristoteli κατανοῆσαι esse *considerare*, docet Budaeus. Plurali *quadrupedia* utitur Columella XI. 2.

AD ACT. XI. 23.

Hortabatur omnes in proposito cordis permanere in Domino] Πρόθεσις saepe his libris βέλημα, γνώμην, προαίρεσιν (vulgo *intentionem* dicimus) significat; qua notione Polybius tum apud Suidam utitur, tum lib. 16. κατὰ τὴν ἐξ ἀρχῆς πρόθεσιν. Philo de vita M. lib. 3. ἀεὶ τῆς προθέσεως διαμαρτάνεις. Notat & simplicem προαίρεσιν, uti cum Justinus quaest. XIX. ad Orthod. palpitationes, sternutamenta, tinnitus aurium, παρὰ τὴν ἡμετέραν προαίρεσιν fieri dicit.

AD ACT. XI. 28.

Et surgens unus ex eis nomine Agabus, significabat per Spiritum famem &c.] Ἀναστὰς *surgens* saepe his libris παρέλκει, ut cum dicitur *surgens abiit* &c. & quo-

ties verba motus ſubnectuntur. Heic tamen & Matt. VIII. 26. Luc. VIII. 24. non motum aut ſitum corporis notat, ſed reſpondet activo *excito*; notatur heic enim excitatrix Spiritus S. ἐνέργεια, qua qui excitatur, dicitur *ſurgere*, h. e. excitari.

AD ACT. XII. 1.

Miſit Herodes rex manus &c.] Julius Agrippa dicitur in inſcriptione, quam ad Act. XXV. 23. recitavi. Pater Agrippae junioris & Berenices fuit.

Miſit Herodes Rex manus ut affligeret quoſdam de Eccleſia] Hebraiſmum hîc latentem nemo hactenus expoſuit. *Mittere manum* hebraice eſt *malum inferre*; ut Exodi XXIV. 11. *Nec ſuper eos . . . miſit manum ſuam* (heb. לֹא שָׁלַח יָדוֹ *lo ſchialah jado*) *videruntque Deum & comederunt & biberunt*. Nam ſenſus eſt, impune fuiſſe iis, qui Deum viderunt; quibus tamen moriendum fuerat, *Non enim videbit me homo & vivet*. LXX. eum locum ſic reddiderunt: καὶ τῶν ἐπιλέκτων ϗ διεφώνησιν οὐδὲ εἷς. Διαφωνέω apud τὺς ὁ modo ſignificat *cadere* & reſpondet τῷ נָפַל *naphal* ut Joſ. XXIII. 14. & 3. Reg. VIII. 57. modo ſignificat *deeſſe* ut 1. Reg. XXX. 19. & Num. XXXI. 49. Quod ergo hebraice eo Exodi loco dicitur, Deum non miſiſſe manum in ἐπιλέκτυς, id LXX. verterunt, neminem ex iis *cecidiſſe* aut *deſideratum*. Intelligis jam quid ſit hoc Actorum loco *mittere manus* Helleniſtica dialecto. Imo hinc Exodi locus illuſtrior evadit, nam hic ſubjicitur *Vt affligeret* &c. quod inibi Exodo ſupplendum relinquitur.

AD ACT. XII. 6.

Vinctus catenis duabus.] Ignatius ad Rom. Ἀπὸ Συρίας μέχρι Ρώμης θηριομαχῶ διὰ γῆς καὶ θαλάττης, δεδεμένος δέκα λεοπάρδοις, ὅ ἐστιν στρατιωτῶν τάγμα. Hinc confirmatur mos a Lipſio in Tacitum notatus, quod eadem catena reus & miles vinciebatur &c.

AD ACT. XII. 7.

Et lumen refulſit in habitaculo] Gr. ἐν οἰκήματι. Jampridem viri docti admonuerunt, carcerem ab Athenienſibus οἴκημα fuiſſe appellatum ex inſtituto Solonis, ſcilicet duriſſima quaeque honeſtis vocabulis mollire ſatagentis, teſte Plutarcho. Ac memini ſane id vocabuli in legibus Atticis reperiſſe ſignificatu *carceris*. Fidem facit & Pollux VI. 180. VIII. 72. & IX. 45. Poſtremus hic Pollucis locus male ab H. St. in theſ. fuit expoſitus (*). Id vocabuli ſiquis heic Latino reddere ſtudeat *in domicilio*, per me licet, interpretetur. Sic enim invenio, quod Graeci οἴκημα, h. e. *carcerem*, id Romanos *domicilium* pari εὐφημισμῷ nuncupaſſe. Livius III. 57. in or. Virginii adverſus Ap. Claudium: *Et illi* (Appio) *carcerem aedificatum eſſe, quod domicilium plebis Romanae vocare ſit ſolitus*. In quo notandum eſt, nihil in eo ſuperbe feciſſe Claudium, quod *domicilii* appellatione, qua nihil erat honeſtius, uteretur, ſed ob additamentum *plebis Romanae*, ſi modo verum refert heic Livius, ac non potius ad aggerenda crimina antiquo *domicilii* vocabulo additamentum iſtud ad creandam invidiam aſſuerit, uſus exemplo plane germano Tullii Verr. V. 143. *Carcer ille, qui eſt a crudeliſſimo tyranno Dionyſio factus Syracuſis, quae Latumiae vocantur, in iſtius imperio domicilium civium Romanorum fuit.*

AD

(*) H. St. in voce οἴκημα ait Pollucem lib. 10. (imo lib. 9.) dixiſſe τὸ οἰκήσιμον quoque carcerem ſignificare. Male. Hoc ait Pollux, οἴκημα non tantum carcerem & Lupanar notare, ſed omnino habitabilem quemcunque locum, καὶ δὴ καὶ ἁπλῶς τὸ οἰκήσιμον.

Digitized by Google

AD ACT. XII. 10.

Venerunt ad portam ferream . . . quae ultro aperta eſt eis] Similia prodigia jactat caeca gentilitas apud Hom. Il. Ω. 446. & ſeq. vide locum.

AD ACT. XII. 14.

Et ut cognovit vocem Petri, prae gaudio non aperuit januam, ſed intro currens nuntiavit ſtare Petrum ante januam] Non poteſt hujus ancillae factum magis appoſite illuſtrari, quam verbis Marci Diaconi in vita S. Porphyrii Gazae Epiſc. (apud Henſchenium ad 26. Febr. p. 649. num. 24. Narrans enim, quemadmodum pius Barochas precibus S. Pontificis ſanatus fuerit, ait: *Et illa nocte aperit oculos ejus, & incipit loqui & petere dari ſibi potum. Ego autem* (Marcus) *qui ei aſſidebam, ſtatim cucurri, ut renunciarem B. Epiſcopo: prae magno enim gaudio oblitus ſum dare ei potum, & mihi id accidit, quod ancillae tempore B. Petri, quando audita ejus voce, prae gaudio non aperuit oſtium: ſed eum dimittens, primum annuntiavit iis, qui erant domi: tale quid ego quoque ſum paſſus. Quum id autem beatus audiviſſet epiſcopus, non fuit victus ab animi affectione, ſed perſeverabat in precibus.*

AD ACT. XII. 15.

At illi dixerunt ad eam: inſanis] Gr. μαίνῃ. Vt heic uno diſyllabo tota conſtat ſententia, ſic Herodis Attici illa apud Philoſtratum pag. 563. ad Caſſium res novas molientem epiſtola triſyllabo concludebatur in hunc modum: Ἡρώδης Κασσίῳ. Ἐμάνης. *Herodes Caſſio. Inſanis.*

AD ACT. XII. 17.

Annuens eis manu ut tacerent] Sic eodem hoc libro cap. XIII. 16. XIX. 33. XXI. 40. De quo more tum apud Ethnicos, tum Chriſtianos videſis Bernardinum Ferrarium de ſacris concionibus lib. I. cap. 13. 14.

AD ACT. XII. 22.

Dei voces & non hominis.] Θεῦ ἐπωνυμία (de qua videndus Ezechiel Spanhemius de uſ. & praeſt. num.) non tantum Syriae aliiſque finitimis regibus in uſu fuit, ſed etiam Romanis quibuſdam principibus adhuc vivis. Lampridius Commodo, *cum illi ſaepe pugnanti ut Deo populus faviſſet*, h. e. deum acclamaſſet, nam *favere* eſt acclamantium peculiare verbum, notante Lipſio II. Elect. 10. Haud alio ſenſu CAELESTIS vox Neronis accipienda. Suetonius Ner. cap. 21. *Flagitantibuſque cunctis CAELESTEM VOCEM* (nam ita vulgo appellabant) *reſpondit quidem in hortis ſe copiam volentibus facturum.* Haud, inquam, alio ſenſu, quippe, quam θείαν Φωνὴν Philoſtratus lib. IV. appellarit. Ἀγρότερον, inquit, ἀκροωμένων, ὁ μὲν ἀσεβεῖσθαι Νέρωνα ὑπ' αὐτῶν ἔφασκε, καὶ πολεμίως τῆς θείας φωνῆς. Dio tamen ἱερὰν φωνὴν tantum dixit, non ſatis expreſſa vi vocabuli *caeleſtis*; nam ceteroqui quis negat omnia, quae imperatorem ſpectarent, ἱερὰ dicta fuiſſe? *Caeleſtis* vocis meminit & Tacitus XVI. Ann. 22. ubi inter accuſationes Thraſeae Poeti refertur & haec, *Nunquam pro ſalute Principis, aut caeleſti voce immolaviſſe*. Philoſtratus lib. V. inter conſuetas Neronianis temporibus criminationes affert & hanc: *Nec pro ipſius voce ſacrificaſti, ut clarior liquidiorque eſſet.*

AD ACT. XII. 23.

Confeſtim autem percuſſit eum angelus Domini, eo quod non dediſſet honorem Deo.] H. e. eo quod voces adulatorum, divinitatem ſibi tribuentium, non repreſſiſſet. Confer Joſephi narrationem apud Euſebium II. hiſt. 10. Nam quod Lucas ait Agrippam non dediſſe honorem ſive gloriam Deo, id Joſephus, quaſi Lucae

Digitized by Google

Scholiastes, sic effert: Οὐκ ἐπέπληξε τούτοις ὁ βασιλεὺς, οὐδὲ τὴν κολακείαν ἀσεβῆσαν ἀπετρίψατο. *Neque illos rex objurgavit, neque impiam porro adulationem repudiavit.* Graeca Lucae sic habent: ἀνθ' ὧν οὐκ ἔδωκε τὴν δόξαν τῷ Θεῷ, *eo quod non dedisset gloriam Deo.* Cujus vim φράσεως nemo, quod sciam, heic animadvertit. Δοῦναι δόξαν τῷ Θεῷ hebraica est locutio, qua significatur, veritatem testari iis temporis articulis, quibus illam testatam oportet. Veluti quia juramento adacti veritatem aperire cogimur, iccirco adjurandi illa erat sollemnis formula δὸς δόξαν τῷ Θεῷ, quae apud LXX. Jos. VII. 19. & apud Johannem IX. 24. legitur. Heic quoque eo temporis articulo, quo ab insana multitudine Agrippae divinitas tribuebatur, debebat ille reluctari, contraque testari, se Deum non esse. Nam *corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem.* Quod si feciſſet, nae ille dediſſet δόξαν τῷ Θεῷ, nec periisset. Egregie Baptista simili multitudinis persuasione animadversa, dedit gloriam Deo, nam *Confessus est, & non negavit, & confessus est, quia non sum ego Christus.*

AD ACT. XIII. 2.

Dixit illis Spiritus Sanctus: Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos] At professio fidei Africanorum Patrum apud Victorem Vitensem III. 19. affert sic: *Haec dicit Spiritus Sanctus: Segregate mihi Barnabam & Saulum in opus, quo vocavi eos.*

AD ACT. XIII. 4.

Et ipsi quidem missi a Spiritu Sancto abierunt Seleuciam] Noster legit ἀπῆλθον, ut in Cod. Alexandrino regis Angliae reperitur: at κατῆλθον (ut est in editis & MSS.) legebant Afri, quippe qui in professione fidei apud Victorem Vitensem III. 19. sic posuerunt: *Ipsi missi ab Spiritu Sancto descenderunt Seleuciam.* Τὸ κατῆλθον placet magis; quia Seleucia maritima erat; soletque Lucas descendendi verbum usurpare, quoties ad maritima pergitur, ut *descenderunt Caesaream.*

AD ACT. XIII. 6.

Invenerunt quendam virum magnum . . cui nomen erat Barjesu] In versione Syriaca magus iste *Bar-Schuma* h. e. *filius nominis* nempe illius sacrosancti, quod in mago ac pseudopropheta usurpare Syri Christiani nefas existimarunt. De quo vide omnino dicta in calce longiusculae notationis, quam ad Levit. XXIV. 11. contexuimus: par enim heic ἀποσιώπησις, atque ibi occurrit in nomine τετραγραμμάτῳ, ut proinde dictum fuerit *cumque blasphemassent nomen*, nempe illud σεβάσμιον.

AD ACT. XIII. 9.

Saulus . . . qui & Paulus] Hebraeos a vetustissimis usque temporibus quandoque fuisse binomines, ex multis veteris instrumenti locis constat. Sic etiam apud Graecos heroicis ipsis temporibus, ut apud Homerum. Secutis vero temporibus duo illa nomina, non ut tria apud Romanos nomina, uno spiritu efferebantur, sed interjecto ὁ καὶ. Exempla in inscriptionibus passim obvia. Objiciat mihi forsan aliquis Ignatium epist. ad Philadelphenses, ubi ait: ὑπηρετεῖ μοι ἅμα ΡΕ'Ω ΑΓΑΘΟΠΟΔΙ ἀνδρὶ ἐκλεκτῷ. Atqui equidem confidenter aio, hîc illud τῷ καὶ insertum fuisse ab Ignatio, verum librariorum culpa, qui quid sibi hoc vellet, non intelligerent, neglectum excidisse. Eoque id confidentius dico, quod epistola

Digitized by Google

ſtola ad Smyrnenſes, rejecto articulo ſola conjunctio remanſit: φίλωνα, καὶ ῥέον, ΚΑΙ Α'γαθόπων (legendum τὸν καὶ Αγαθόπων) οἱ ἐπηκολούθησάν μοι. Hic enim cum ex ἐπηκολούθησαν intelligerent, fieri poſſe, ut de tribus diverſis hominibus ſermo eſſet, conjunctione ſervata articulum ejecerunt (quanquam debuiſſent etiam prius καὶ, quod ante φίλωνα ponitur, expungitur; ſi de tribus ſermo erit) ad Philadelphenſes vero, cum ex ἀνδρὶ colligerent, de uno eodemque eſſe ſermonem, utrunque monoſyllabum expunxerunt.

AD ACT. XIII. 15.

Principes Synagogae] Plures fuiſſe in una Synagoga ἀρχισυναγώγους, tum ad Matt. tum alibi notavimus. Quorum princeps non κατ' ἐξοχὴν ὁ ἀρχισυνάγωγος, uti cenſet heic Grotius, ſed ἄρχων ἀρχισυνάγωγος dicebatur, ut ad Matt. ex eodem Evangeliſta, & ex inſcriptione vetere docuimus.

AD ACT. XIII. 43.

Secuti ſunt multi Judaeorum & colentium advenarum, Paulum & Barnabam] Gr. καὶ τῶν σεβομένων προσηλύτων. Σέβομαι apud Graecos interpretes haud aliter uſurpatum fuit, quam pro Hebraeo יָרֵא *jare*, *timuit*; uti conſtat ex Joſ. IV. 24. & XXII. 25. ex Job I. 9. ex Jon. I. 9. & alibi. Itaque ſicuti apud Hebraeos *timere Deum*, idem quod colere, ſic apud Helleniſtas tantundem eſt σέβεσθαι. Exempla paſſim occurrunt in N. T. ſed praecipue Actorum libro: quo libro id verbum proſelytorum, uti vocant, juſtitiae peculiare evaſit; ut heic & infra ℣. 50. item XVII. 17. & alibi. Eadem mihi videtur ſignificatio verbi *metuo* in latina inſcriptione apud Fleetwood pag. 267. num. 4. quae talis eſt. AVR · SOTER · ET · AVR · STEPHANVS · AVR · SOTERIAE · MATRI · PIENTISS · RELIGIONI · IVDAICAE · METVENTI · F· Mira ſunt, quae ibi nugatur Anglus. Sed tamen METVENTI poſitum pro σεβομένῃ, utrunque vero τῷ יָרֵא *jare*, ut diximus, reſpondet; nec dubitandum videtur, quin iſta *Soteria* proſelyta fuerit.

AD ACT. XIII. 50.

Judaei . . concitaverunt mulieres relig. & honeſtas, & primos civitatis . . in Paulum] Accurate hunc locum expoſuimus ad Marcum in diſſ. de Joſ. ab Arimath. pag. 104. adn. 17. vide locum.

AD ACT. XIV. 7.

Et quidam vir Lyſtris infirmus pedibus ſedebat, claudus, ex utero matris ſuae] Gr. Α'δύνατος τοῖς ποσίν. Vt heic, ſic & ad Rom. XV. 1. ἀδύνατος *infirmus* vertitur; optime id quidem. Sed latinum voci Graecae reſpondens eſſet *captus pedibus*. Α'δύνατοι in Athenienſi rep. quinam eſſent, docebunt Scriptores Attici, in primis Lyſias περὶ ἀδυνάτου, Harpocration, Heſychius, Suidas. Vltimus ſic ait: Α'δύνατοι οἱ πεπηρωμένοι τὸ σῶμα: id vertunt: Α'δύνατοι *ſunt corpore mutili*: male: nam πηρὸς eſt ὁ κατά τι μέρος τοῦ σώματος βεβλαμμένος, ut Homeri Scholiaſtes annotat h. e. *oblaeſus parte aliqua corporis*, ſive debilitatione ſive mutilatione id accidat. Itaque πεπηρωμένος ejuſque Atticum ſynonymon ἀδύνατος, *captum membro aliquo* ſignificat, ſive truncus eo membro ſit, ſive utcunque debilis. Eundem errorem deprehendere licet in ceterorum Atticorum interpretationibus, quoties id vocabulum occurrit. Ergo ἀδύνατοι ii demum erant, qui militantes membro aliquo ἐπηρώθησαν h. e. ſive mutilati, ſive oblaeſi fuerunt. Si poſt

poſt trimeſtrem probationem (quae ſi de mutilis tantum agebatur, ſupervacanea fuiſſet; idque etiam oſtendit ἀδυνάτους *debiles* quoque notare) publice alebantur. Idque inſtitutum Piſiſtratum Solonis exemplo induxiſſe, Plutarchus Solone teſtatur. Ex Attica hujus vocabuli ſignificatione quam tradidi, & hic locus Actorum illuſtratur, ubi de *debili*, non mutilo, agitur ; & Plutarchi locus, quem H. Steph. de mutilo intelligit: ἀλλ' ὁ διὰ τοῦτο τυφλὸς, οὐδὲ ἀδύνατος (neque membro aliquo oblaeſus) οὐδὲ ἄπειρος ὁ ἄνθρωπός ἐστιν .

AD ACT. XIV. 11.

Et vocabant Barnabam Jovem, Paulum vero Mercurium: quoniam ipſe erat Dux verbi] Gr. ἐπειδὴ αὐτὸς ἦν ὁ ἡγούμενος τοῦ λόγου. Videtur in hac hiſtoria enarranda Lucas ſpectaſſe ad Ex. VII. 1. *Dixitque Dominus ad Moyſen: ecce conſtitui te Deum Pharaonis: & Aaron frater tuus erit propheta tuus*. Certe Mercurius tum ex eo Exodi loco, tum aliis, videri poſſit Haaron perſonatus.

AD ACT. XV. 1.

Niſi circumcidamini &c.] Controverſiae, de qua hoc cap. agitur, cardo in hoc vertitur. Judaei contendebant, neminem eſſe poſſe Chriſtianum, niſi fieret ante Judaeus per circumciſionem ceteraque legalia, Apoſtoli contra docuerunt tanto onere eſſe ſuperſedendum, cum aeque gentiles ac Judaei ipſi a Deo ſint coacti in Eccleſiam. Hoc ipſum aliter & eleganter expreſſit Ignatius epiſt. ad Magneſios: Ἄτοπόν ἐστι Χριστὸν Ἰησοῦν καλεῖν καὶ ἰουδαΐζειν (Abſurdum eſſe dixit Chriſtianos judaizare, id quod de Chriſtianis incircunciſis intelligit cogentibus Judaizare, de quibus ait epiſt. ad Philadelph. ſatius eſſe a circunciſo Chriſtianiſmum, quam ab incircunciſo Judaiſmum audire) ὁ γὰρ χριστιανισμὸς οὐκ εἰς ἰουδαϊσμὸν ἐπίστευσεν, ἀλλὰ ἰουδαϊσμὸς εἰς χριστιανισμὸν, ὡς πᾶσα γλῶσσα πιστεύσασα εἰς Θεὸν συνήχθη. Non enim Chriſtianiſmum in Judaiſmum, ſed contra Judaiſmum in Chriſtianiſmum credidiſſe ait, eoque nihil opus eſſe ut Chriſtiani Judaeorum inſtituta amplectantur. Vide dicta in fine Evangelii Matthaei.

AD ACT. XV. 20.

Vt abſtineant . . & ſuffocatis & ſanguine] Valuit iſtud de ſuffocato & ſanguine interdictum ad aliquod tempus, donec Synagoga honorifice ſepeliretur. Haec una eſt ex illis legibus, de quibus diſſerit apud Livium XXXIV. 6. L. Valerius oratione de lege Oppia abroganda. *Ego enim*, inquit, *quemadmodum ex his legibus, quae non in tempus aliquod, ſed perpetuae utilitatis cauſſa in aeternum latae ſunt, nullam abrogari debere fateor, niſi quam aut uſus coarguit, aut ſtatus aliquis reip. inutilem fecit; ſic quas tempora aliqua deſiderarunt leges, mortales, (ut ita dicam), & temporibus ipſis mutabiles eſſe video . Quae in pace latae ſunt, plerunque bellum abrogat: quae in bello, pax; Vt in navis adminiſtratione alia in ſecundam, alia in adverſam tempeſtatem uſui ſunt*. Vide dicta ad Gen. IX. 4.

AD ACT. XV. 29.

Vt abſtineatis ab (εἰδωλοθύτοις) *& ſanguine & ſuffocato & fornicatione*] Cur a ſanguine & ſuffocato abſtinendum tironibus Chriſtianiſmi eſſet, dixi ad Gen. IX. 4. in Adn. 3. nim. quia tirones illi tantum ad praecepta ibi Noachidis data adſtringebantur. Nec enim proſelyti portae h. e. pii gentiles ad aliud praeter quam ad praecepta Noachidis data obligabantur, ut hoſpitium inter Hebraeos contraherent. Et quidem quod ab Apoſtolis additur de εἰδωλοθύ-

τοις

Digitized by Google

τοις, cur non potius idololatria vetatur? quia cum consulebantur Apostoli, de eo nulla quaestio fuit. At utrum ab immolatitiis abstinendum esset, dubitatum aliquando fuit. Postremo cur non illiciti concubitus (uti moechia &c.) vetantur? Quia haec apud omnes gentes aequae vetita: at gentiles licitam simplicem fornicationem putabant. Ad summam hac in epistola ad dubia illa sola respondetur, de quibus patres concilii quaesiti fuerant: non vero propositum habuerunt summam Christianae disciplinae tradere, quam satis a sacris fidei praeconibus didicerant.

AD ACT. XVI. 12.

Et inde Philippos, quae est prima partis Macedoniae civitas] Philippi non ἁπλῶς Macedoniae, sed τῆς μερίδος Macedoniae metropolis fuit, nimirum ejus tractus, cui Macedoniae Adjectae nomen fuit. Scitum est Macedoniam olim Strymone fluvio a Thracia disterminatam; postea Philippum regem fines ad Nestum amnem protulisse: qua ratione Philippensis urbs non in vetere Macedonia, sed in Adjecta fuit, quae μερὶς scriptori nostro appellatur. De quo vide Cellarium in Macedonia Adjecta.

AD ACT. XVI. 14.

Et quaedam mulier nomine Lydia, purpuraria urbis Thyatir.] Purpurae Thyatirenae, ut multa sunt documenta; sic celebre apud Sponium pag. 112. marmor Thyatirenum, quod cuidam Alfeno Arignoto proc. Augusti ΒΑΦΕΙΣ i. e. confectores purpurae posuerunt. Puellae isti aliud prorsus, & peculiare fuisse nomen initio ~~suspicor~~. ~~Sed~~ postquam ad Christiana sacra transiit, *Lydia* a nationis nomine est appellata. Sic sunt illa servorum nomina in marmoribus SVRVS, SYRISCVS, & alia innumera.

AD ACT. XVI. 22. 23.

Jusserunt eos (duumviri Coloniae) *virgis caedi. Et cum multas plagas eis imposuissent, miserunt in carcerem &c.*] Legum periti quaerunt, utrum jure Romano coloniarum duumviris, sive magistratibus municipalibus, competat modica coërcitio. Ac solent multae dictionem & quidem ex mandatis principum, & pignoris capionem iis concedere; prehensionem autem & fustigationem denegant (& universim ex l. *ea quae*, ff. *ad munic.* omnia, quae magis imperii sunt, quam jurisdictionis.) Heic tamen utrunque Philippenses duumviri faciunt, qui Paulum verberatum, mox in custodiam dederunt. An licebat in peregrinos ea coërcitione uti, in civem Romanum non item? Vide infra ℣. 37. 38. Certe ex l. *Magistratus*, in fine, ff. *ad l. Aquiliam* licet municipali magistratui in resistentem servum quid violentius facere: fortasse etiam in peregrinum, qualem Paulum existimarunt. Nisi vero id malumus, in Graecis aliquibus coloniis Romanas leges fuisse cum nonnulla αὐτονομίᾳ temperatas. Certe cum videamus Philippensem magistratum στρατηγῶν appellatione donatum; suspicari licet eundem non tantum jurisdictionem, sed si minus merum, at mistum saltem imperium sibi arrogasse.

AD ACT. XVI. 37.

Paulus autem dixit eis: Caesos nos publice, indemnatos, homines Romanos miserunt in carcerem &c.] Nullam ὑποστίγμην ante & post ἀκατακρίτους, *indemnatos*, adhibuerim, sed conjunctim uno spiritu omnia legerim. Indignitatem judicii

Digitized by Google

cii in eo potiſſimum ponit Apoſtolus, non quod de quovis indemnato contra jus gentium ſupplicium ſumeretur, ſed quod civis Romanus indemnatus verberibus affectus eſſet. Civem Romanum verberare non licebat, niſi lata in eum capitali ſententia, ac prius perduellione eidem judicata; nam id ſermone priſco apud Liv. I. 26. *perduellionem alicui judicare* dicebatur. Cui enim perduellio judicata fuerat, is in peregrinitatem redactus, & verberari & capite plecti poterat. De quo vide Raevardum ad leges XII. Tab.

AD ACT. XVI. 40.

Et viſis fratribus] Gr. καὶ ἰδόντες τοὺς ἀδελφούς· quod etiam verti poteſt: *ſalutatis fratribus*, quam vim tum ἰδεῖν Graecis, tum *videre* Latinis habet. In Dionis fragmentis Valeſianis p. 722. de Marco: ἠσπάζετό τε τοὺς ἀξιωτάτους . . . πρὶν τὸν πατέρα ἰδεῖν. Ammianus XIV. 7. de Domitiano quodam ait: *Contempto Caeſare, quem videri decuerat, ad praetorium . . perrexit*. Eodem libro: *Nequis amicum perferentem ſimilia videat*. Spartianus Hadriano cap. X. *Aegros milites in hoſpitiis ſuis videret*. Sic *videre imperatorem* eſt eundem ſalutare. Spartianus Hadriano cap. 3. *Vnde hodieque imperatores ſine penulis a togatis videntur*; a ſalutatoribus nempe. Ex quo loco lux affunditur (Salmaſio auctore) Senecae VI. de benef. 16. *Itaque medico, qui nihil amplius quam manum tangit . . . ſine ullo affectu vitanda faciendave praecipiens nihil amplius debeo: quia me non tanquam amicum vidit, ſed tanquam imperatorem*. Nihil amplius, inquit Seneca, ei medico quam mercedem debeo, qui me viſo diſcedit; ſicuti ſalutatores unius ſportulae gratia ave imperatori dicto ſtatim abeunt.

AD ACT. XVII. 1.

Cum autem parambulaſſent Amphipolim & Apolloniam, venerunt Theſſalonicam] Antonini itinerarium itinere a Dyrrachio Byzantium, Apolloniam Mygdoniae medio ſpatio inter Amphipolim & Theſſalonicam ſtatuit, ab hac XXXVII. ab illa XXX. millibus Apolloniam removens.

AD ACT. XVII. 4.

Et mulieres nobiles non paucae] Graecum γυναικῶντε τῶν πρώτων ἐκ ὀλίγαι dupliciter verti poteſt, ſive *ex feminis primis non paucae*, ſive *ex uxoribus* (decem aut viginti) *primorum* (civitatis) *non paucae*; ſed ſenſus idem. Nam *primorum* conjuges, communicata (quod in dignitatis vocabulis fit) ἐπισημασία, *primae* & ipſae dicebantur. Vide ad Marcum Diſſ. de S. Joſ. ab Arimat. pag. 104.

AD ACT. XVII. 10.

Dimiſerunt Paulum & Silam in Beroeam] Quamquam in Thucydide lib. I. pag. 40. duplicatur canina littera, ſicuti & in Ptolomaeo, & Philoſtorgio IX. 8. tamen rectior eſt ſcriptura unico elemento R, quam & Polybius & Strabo & Stephanus, & Plinius, & Lucianus confirmant, & Phero conditor, a quo mutato P in B nomen accepit; atque in primis nummorum fides certiſſima, quippe cum Trajani & Ant. Pii numiſmata BEPOIAIΩN praeſeferant: quos nummos etiamſi ad illam alteram Syriacam urbem referre contenderis, tamen cognomines civitates eadem ſcriptione notandae fuerunt. Agnoſcit Stephanus a Beroea Macedoniae τὸ Βεροιαῖος, ſed Polybii leg. 69. Βεροιεὺς reperitur. Strabo in excerptis lib. VII. ἐν ταῖς ὑπωρείαις κεῖται τῷ Βερμίῳ ὄρει, *Bermii montis lateri*

Digitized by Google

lateri (non *ad radices*, uti prave interpretantur vocabulum) *impoſitam Beroeam* ſcribit. Non mirum fuiſſe ibidem ſynagogam, cum πόλιν Μακεδονίας Βεροίαν μεγάλην καὶ πολύανθρωπον Lucianus Aſino appellet.

AD ACT. XVII. 11.

Hi autem erant nobiliores eorum, qui ſunt Theſſalonicae] In Vulgatae verbis ne fraudi ſit Helleniſmus, ſic interpretare: *Hi autem* (Judaei Beroeenſes, de quibus modo dixerat) *erant nobiliores* (i. e. generoſiores: exempla hujus ſignificationis vide in Grotio heic; quibus adde H. St. in εὐγενὴς & Favorinum, & unde Favorinus ſua hauſit) *eorum* (pro *iis* Judaeis ſcil.) *qui ſunt Theſſalonicae.* Vult Judaeos Beroenſes fuiſſe dociliores Judaeis Theſſalonicenſibus.

AD ACT. XVII. 12.

Et mulierum gentilium honeſtarum] Gr. εὐσχημόνων i. e. quae *viris clariſſimis* nupſerant. Vide ad Marcum in Diſſ. de S. Joſ. ab Arimath. ubi hunc locum explicuimus.

AD ACT. XVII. 18.

Seminiverbius] Gr. σπερμολόγος. De hoc vocabulo eruditi viri heic alii alia notarunt, inter quos Grotius pluribus ex Euſtathio docuit, σπερμολόγον eſſe qui in mercatibus defluentia e ſaccis ſemina colligunt, atque inde vivunt. Hinc translatum ad eos, qui quae ex ore aliorum, velut e ſacco excidunt, captant, ut inde habeant quod garriant. Hinc eidem Euſtathio σπερμολογεῖν de iis dicitur, qui de ſuo nihil afferre valentes, centones e poëtis aut proſae ſcriptoribus conſuere ſatagunt, quoties ad ſcribendum animum appellunt. Proderit Euſtathii verba non animadverſa hactenus huc afferre ad Il. ϕ. p. 1425. ubi de Homerocentonibus loquutus, ſubdit, ὁποῖοι σκωφθήσονται εἶναι οἱ μὴ γενῶντες ῥητορείας οἰκείας, ἀλλ' ὡς εἰπεῖν λογοσυλλεκτάδαι ὄντες, καὶ δι' ὅλου σπερμολογοῦντες ἐν ἐγκωμίοις. Eo nomine heic Paulum irridebant Philoſophi, uti centonum confutorem, quippe ſolitum ex poëtis afferre locos, quoties cum Graecis illi res eſſet. Vide quoque quae de aretalogis in RELICTIS notavimus.

Σπερμολόγος in vet. Onomaſtico eſt *Loquax*. At ſequiore aevo *Seminiverbius* accipiebatur in meliorem partem. Vide exempla in Cangio. Sic etiam Leo M. dictus *Sermologus*, ſive potius *Spermologus*, idque ei laudi tribuebant: de quo dixi ad 28. Junii Kalend. Neap. Adnotat. 596. Confer ibi dicta.

Novorum daemoniorum] ξένων δαιμονίων. Hac ipſa voce δαιμονίων aut δαιμόνων utebantur Athenienſes Philoſophi, ut (praeter Laërtii locum de Socrate accuſato, quod eſſet καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος, jam a Grotio occupatum) patet ex Libanio diu Athenis verſato, qui deos vix aliter quam δαίμονας appellat, & oratione parentali in Julianum cap. XIV. ἔβλεπον δὲ ἄρ' εἰς αὐτὸν καὶ οἱ δαίμονες, εὖ εἰδότες ὡς ὗτος αὐτοῖς ἐπανάξει τὰ πάτρια. Julianum Athenis verſantem, ait, deorum Athenienſium oculos in ſe convertiſſe, a quo antiquos ſibi honores reſtitutum iri augurarentur.

Novorum daemoniorum videtur annuntiator eſſe] Gr. ξένων δαιμονίων. Erat Athenis ingens iſtorum turba, quos νέους καὶ ξενικοὺς θεοὺς vocabant. Eorum ſeriem contexuerat Apollophanes poëta in Cretenſibus, uti prodit Heſychius in θεοὶ ξενικοὶ, de quibus ait: παρὰ Ἀθηναίοις τιμῶνται, ὡς καταλέγει Ἀπολλοφάνης ἐν Κρησί. Cum tantus peregrinorum Deorum grex Athenis coleretur, qui novos inducere conaretur, continuo cavillatoribus os ad male audiendum praebebat.

Digitized by Google

Cicero in 2. de legibus: *Novos vero deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes sic Ariſtophanes facetiſſimus poëta veteris comoediae vexat, ut apud eum Sabazius, & alii quidam dii peregrini judicati e civitate ejiciantur.* Quem Ariſtophanis locum Cicero in mente habuit, is locus fortaſſis erat in comoedia Lemniis, uti eſt apud Suidam in ὦ νῦν θερμοὶ βωμοὶ, ubi haec leguntur: Ἀριστοφάνης δὲ ἐν Λημνίαις· τὴν κρατίστην δαίμονα, ἧς νῦν θερμὸς ἐσθ' ὁ βωμός· δηλοῖ δὲ ὅτι ἀεί τινες παρὰ τοῖς Αθηναίοις ξένοι θεοὶ ἐτιμῶντο.

Quia Jeſum & reſurrectionem annuntiabat eis] Gr. τὸν Ιησοῦν καὶ τὴν ἀνάστασιν αὐτοῖς εὐηγγελίζετο. Jam pridem poſt Chryſoſtomum ad hunc locum obſervatum viris eruditis fuit, exiſtimaſſe philoſophos Athenienſes, Paulum non tantum Jeſum, ſed & ἀνάστασιν, tanquam deam aliquam, obtrudere voluiſſe. Neque id porro mirum; conſueverant quippe Athenis philoſophi ſuum quiſque τέλος tantis efferre laudibus, ut veluti numen inde procudere viderentur. Huc pertinet, quod Socrates accuſatus eo nomine fuit, tanquam ἕτερα καὶ καινὰ δαιμόνια εἰσηγούμενος Laërtio teſte. Apud eundem Democritus τέλος ſtatuit τὴν εὐθυμίαν h. e. ſecuritatem tranquillitatemque. Quemadmodum vero poëtae deos in ſuis hymnis πολυωνύμους appellabant, ſic iſte variis nominibus ſuam illam deam εὐθυμίαν exornabat. Καλεῖ δ' αὐτὴν (Laërtius ait) καὶ εὐεστὼ καὶ πολλοῖς ἄλλοις ὀνόμασι. *Eandem vero & εὐεστὼ h.e. rectum ſtatum appellat, multiſque nominibus aliis.* Quae ſunt alia nomina? Ἀταραξίαν apud Cic. ad Fam. XV. 19. h.e. Tullio interprete *animum terrore liberum.* Apud Clementem Strom. II. ἀθαμβίην reperias. Et ἀθαυμαστίαν apud Strabonem lib. I. pag. 61. Τὴν ἀθαυμαστίαν, ait, ἣν ὑμνεῖ Δημόκριτος.

AD ACT. XVII. 22.

Per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video] Δεισιδαιμονίαν mediae eſſe ſignificationis, & heic in bonam partem eſſe accipiendam, exemplorum nube producta viri docti tradiderunt. Vellem hoc ipſum in Latino *ſuperſtitioſus* factum, ne interpretem accuſare cogamur. Verum interpretis cauſſam ſatis idoneus, opinor, patronus Cicero ſuſcipiet; qui or. pro domo cap. 40. pontifices alloquens, Clodium ſic irridet: *Monete eum, modum quendam eſſe religionis, nimium eſſe ſuperſtitioſum non oportere.* Torquent ſe ibi interpretes, Lambino eam lectionem libris omnibus ſuffultam, ſuſpectam habente, ac putante *nimium ſuperſtitioſum* non magis dici quam *nimium avarum*; Graevio vero Ciceronem non exacte ad trutinam philoſophicam ſed oratorie ſic locutum docente. Atqui Juſtinus etiam *ſuperſtitionem* pro religione bis uſurpavit, qui XXXIX. 3. *ſuperſtitionem templi* dixit, & XLI. 3. *in ſuperſtitionibus atque cura deorum praecipua amnibus veneratio eſt.* Virgilius lib. XII.

Adjuro ſtygii caput implacabile fontis,
Vna ſuperſtitio ſuperis quae reddita divis.

Vide infra Act. XXV. 19.

Per omnia quaſi ſuperſtitioſiores vos video] *Superſtitionis* etymon illud probo, quod ducitur a *Superſto*, quatenus idem eſt quod *Superſum* aut ſuperfluo. Eſt igitur ſuperſtitio cultus nimius. Eſtque medium verbum, ſicuti & Graecum δεισιδαιμονία. Vtrumque μέσον eſſe, & hinc conſtat (ubi gratiam aucupatur Paulus) & ex aliis antiquorum locis. Inter quae & illud referri poteſt, quod Ambros. in Luc. lib. 3. num. 26. Judaicos ritus *Superſtitionis* nomine donat.

Domi-

Digitized by Google

Dominus enim Sabbati, ſuperſtitionem tulit (h. e. abſtulit) *Sabbati*. Mox: *Quum inanis ſuperſtitio Judaeorum purum affectum gentium a ſubeunda obſervatione revocaret*. Non taxat Judaicam ſuperſtitionem quaſi malam (qui taxaret, quae Deum auctorem habuit?) ſed quia nimia & inanis poſt Chriſti adventum evaſit.

AD ACT. XVII. 23.

Ignoto Deo] Strabo lib. III. p. 164. Τοὺς δὲ Κελτίβηρας καὶ τοὺς προσβόρρους τῶν ὁμόρων αὐτοῖς ἀνωνύμῳ τινὶ Θεῷ ταῖς πανσελήνοις νύκτωρ πρὸ τῶν πυλῶν πανοικίτε χορεύειν καὶ παννυχίζειν. *Celtiberos autem, & qui ad ſeptentrionem his adhaerent, innominatum quendam Deum noctu in pleniluniis ante portas cum totis familiis choreas ducendo, totamque noctem feſtam agendo venerari*. Apud Grut. pag. I. n. 7. Romae Lapis: SIVE · DEO · SIVE · DEAE · C · TER · DEXTER · EX · VOTO · POSVIT.

Quod ergo ignorantes creditis, hoc ego annuntio vobis.] Apud Graecorum antiquiſſimos, qui ſupra vulgus ſapere aliquid videbantur, ii fabuloſas narrationes ad veriores ſenſus traducere, ſicque ἀπίστοις fidem conciliare conabantur. Veluti quod centauri viri fuiſſent equis inſidentes: quod Orpheus Euridicem prope deſperatam arte medicinae ſanaverit, ac ſic quaſi ab inferis revocaverit; & alia in eundem modum. Hujus generis illa fuerunt, quae in libros quinque περὶ ἀπίστων contulit Palaephatus ſcriptor vetuſtiſſimus, e quorum librorum primo qui aetatem tulit, licet judicium ferre de ceteris. Fuit & ὁ Ηεάκλειτος, (inquit Euſtathius ad Od. 4.) οὐχὶ ὁ σκοτεινὸς, ἀλλ' ἕτερός τις, ὁ τοῖς ἀπίστοις προθέμενος ἐμφῆναι πίστιν. Heraclito (cujus liber περὶ ἀπίστων exſtat) Euſtathius ad Od. T. Characem adjungit. Exſtat & alter de eodem argumento Anonymus ab Allatio editus. Fuere fortaſſe & alii plures; nam & quoſdam ante ſe alios laudat Palaephatus. Hic tamen palmam tulit, ac proverbio locum dedit, quo quiſquis rebus incredibilibus colorem addere niteretur, novus continuo Palaephatus diceretur, ut eſt apud Athenaeum extremo lib. XIV. ex Athenione comico:

Καινὸς γάρ ἐστιν οὑτοσὶ Παλαίφατος.
Profecto hic nobis alter eſt Palaephatus.

Haec eo pluribus dixi, quo appareat, idem prope conſilium ſecutum heic eſſe Paulum, ut quoniam de Jeſu & reſurrectione diſſerens, riſum de ſe cavillantibus philoſophis elicuerat, τὸν Θεὸν ἄγνωστον illum, quem ſuperſtitioſe colebant, verum eſſe Deum monſtraret, atque ex vana ſuperſtitione Athenienſes ad ſolidam religionem informaret. Idque conſilium proceſſit, itaut quidam Paulo ſe adjungerent.

AD ACT. XVII. 32.

Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, quidam quidem irridebant] Quippe rem hucuſque inauditam. At propagato Chriſtianiſmo, videntur aliqui gentiles reſurrectionis opinionem imbibiſſe, uti conſtat ex inſcriptione, quam refert Fleetwood in ſua ſylloge pag. 345. num. 3. in hunc modum: *D. M. Aurelio · Balbo · vita · integerrimo · moribuſque · ornato · qui · ſe · quietioris · perfectioriſque · vitae deſiderio · ex · negotiis . civilibus · in · quibus . fuerat · cum · laude · verſatus · Jovis · Op · Ma · beneficio · ducto · hic · IN · SPE · RESVRRECTIONIS · QVIESCENTI · locus · publice · datus · eſt* · Fleetwoodus quidem eam inter chriſtianicas retulit, (fortaſſe quod D. M. Deum Magnum interpretaretur, Jovem autem pro vero Deo acciperet, uti & Dantes: *o ſommo Gieve* &c.) de quo litem ei non intento.

Digitized by Google

AD ACT. XVII. 34.

Mulier nomine Damaris] Non neceſſe eſt Δάμαλις cum Grotio reſcribere. Nam ex *Damaris* eſt *Damario*, quod apud Grut. IX. 5. eſt non unius Terentii cognomen.

AD ACT. XVIII. 17.

Soſthenem principem Synagogae] Gr. τὸν ἀρχισυνάγωγον. Atqui ſupra v. 8. Κρίσπος ὁ ἀρχισυνάγωγος occurrit. Sunt qui duo haec unius hominis nomina fuiſſe comminiſcuntur; alii Soſthenem Criſpo, quem fort. Judaei loco moverint, ſucceſſiſſe putant; alii poſtremo plures in eadem urbe, quippe populoſa, fuiſſe ſynagogas. Nihil horum neceſſe eſt; nam in una eademque ſynagoga plures fuiſſe archiſynagogos, unum vero ἄρχοντα ἀρχισυνάγωγον, pluribus ad Matthaeum, ni fallor, demonſtravi.

AD ACT. XIX. 2.

Sed neque ſi Spiritus Sanctus eſt, audivimus] Gr. Ὁ θεῖος quidem Λόγος Judaeis non inauditus erat (etſi hunc ἐνυπόστατον eſſe ignorabant) at de Spiritu Sancto, ut hinc patet, ne fando quidem audierant. At infecutis temporibus longe compertior Sancti Spiritus, quam Verbi, notitia Judaeis fuit; quantum ex Hieronymi Graeci ſcriptoris, Damaſceno, ut videtur, antiquioris (*), Colloquio cum Judaeo conſtat. Eo in colloquio (quod inſeruit Fabricius volumini VIII. bibl. Gr.) pag. 389. ex confeſſa apud Judaeos Spiritus S. doctrina & Verbi ὁμουσίῳ dogma Chriſtianus interlocutor infert. Nam ubi Judaeus faſſus eſſet, Dei Spiritum non talem eſſe, qualis ex ore aut naribus nobis exſpiratur, ſed ἀόρατον, ἄκτιστον, ἄναρχον, ἀκατάληπτον: ſic excipit Chriſtianus: Ἰδοὺ καὶ σὺ σαφῶς ἐλέγχῃ ὅτι δυάδα προσκυνεῖς &c. *Ex tu quoque evidenter convinceris duitatem adorare, Deum nempe, Deique Spiritum. Itaque quemadmodum tu non potes edifſerere, unde, quando, aut quomodo Dei Spiritus cum Deo eſt, ſed tantum ex ſacris litteris edoctus, confiteris crediſque Deo eſſe Spiritum: ita & ego Chriſtianus ſine curioſa ſcrutatione profiteor Filium & Verbum Dei. Quod ſi dici a me vis, ecquando vel unde aut quo pacto Filium Deus habeat: prior edifſeras velim, quandonam, unde, aut quomodo Deus Spiritum habeat; tum enim demum tibi exponam, quomodo ante omne principium Deus genuerit filium. Ac ſicuti tu Deum Deique Spiritum non duos Deos eſſe contendis, ſic ne ego quidem Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum tres nuncupo Deos.*

AD ACT. XIX. 5.

Baptizati ſunt in nomine Domini Jeſu] Baptiſmus *in nomine Chriſti* dicitur πρὸς ἀντιδιαστολὴν Baptiſmatis Joannis; ut hinc patet, ſi verſum hunc quintum cum tertio conferas: qui duo verſus ſibi mutuo, quaſi e regione poſiti, reſpondent.

AD ACT. XIX. 9.

In Schola Tyranni cujuſdam] Scholae ferme ſunt aedificia, quo convenitur, aut praeſtolandi, aut differendi, aut litterarum cauſſa, aut omnino ad terendum tempus. Apud Vitruv. V. 10. *Scholae* in balneis erant, ubi poſteriores conſiſterent,

(*) Omnino Damaſceno antiquior iſte Hieronymus, ſi idem ſit atque ille Hieronymus πρεσβύτερος Ἱεροσολύμων, cujus fragmentum affert Damaſcenus in 3. de imag. to. 1. edit. Lequinianae pag. 385.

Digitized by Google

sterent, occupato a prioribus labro. Ac Scholis quidem solebant porticus adjungi, ut ex Plinio lib. 36. Festo, & Victore in descr. urb. itemque statuis & imaginibus ornari, ut in vetere inscriptione: SCHOLA · CVM · STATVIS · ET · IMAGINIBVS · ORNAMENTISQVE. Apud Rufum & Victorem in descr. urb. praeter *Scholam quaestorum* (nimirum quo scribae librarii quaestorii conveniebant), & *Scholam capulatorum*, occurrunt etiam *Schola Cassii*, *Schola Galli*, & *Schola Xantha*. Philander ad Vitr. ex vetere inscriptione docet, Scholam Xantam hinc dictam fuisse, quod eam A. Fabius Xanthus Curator Scribis, librariis, & praeconibus aedilium curulium refecerat, signisque & marmoribus ornaverat sua pecunia. Idem de Schola Galli & Schola Cassii esto judicium. Vide Philandrum ad Vitruv. & Valesium ad Ammiani XIV. 7. Tyrannum autem istum a quo haec schola nomen accepit, Sophistam quendam fuisse, cujus meminit Suidas, suspicantur. Haud valde abnuerim. Sed haec suspicio ex praeconcepta opinione, quod Scholam litterariam arbitrarentur, nata fuit: cum tamen Scholae nomen latissime pateat. Vide annon potius Tyrannus quidam illam extruxerit, refeceritve, ex quo *Schola Tyranni* sic dicta fuerit, quemadmodum Schola Xantha, Cassii, Galli. Accedit illud τινὸς, quod ignoto homini convenit, qui jamdiu vixerit (a quo olim Schola illa aedificata fuerit) Sophistae autem celebri vivo ac videnti istud τινὸς minus quadrare videtur. Verum docti viri considerent.

AD ACT. XIX. 12.

Sudaria & semicinctia] Gr. ἡμικίγκτια latina voce dixerunt, quae Graece sunt ἡμιζώνια, latine autem *semizonia*, unde sunt Plauto *semizonarii* Aul. III. 5. 42. *Strophiarii astant, astant semizonarii.*

AD ACT. XIX. 18.

Multique credentium veniebant, confitentes & annuntiantes actus suos] Haec non de confessione, quae alteri post baptismum tabulae praemitti debet, sed de confessione ante baptismum heic intelliguntur; nam hi certe crediderant, sed nondum loti erant. Et Joannis quidem baptismati confessionem praeivisse testatur Matthaeus III. 6. *Et baptizabantur ab eo in Jordane confitentes peccata sua*. Idem Marci I. 5. refertur. Hoc idem ergo Judaei Ephesini quum sponte fecerint, videntur in eo Joannis baptismum imitati. Sed ut ut est: etiam Ecclesia Christiana id aliquando usurpavit. Testis locupletissimus Tertullianus prodeat initio capitis ultimi de baptismo. *Ingressuros baptismum, orationibus crebris, jejuniis & geniculationibus & pervigiliis orare oportet, & cum CONFESSIONE OMNIVM RETRO DELICTORVM; ut exponant* (1) *etiam baptismum Joannis: Tinguebantur, inquit, confitentes delicta sua*. Et hanc quidem confessionem ab Joanne tinctorum publicam fuisse, ex eo probatur, quod ei confessionem catechumenorum privatam, quae aevo suo usurpabatur, Tertullianus opponit, statim addens. *Nobis gratulandum est, si non* (2) *publice confitemur iniquitates aut turpitudines nostras*. Adde his locum egregium ex actis SS. Marcellini & Petri (apud Bollandistas ad 2. Junii

(1) *Exponere* saepissime est *Deponere* apud Tertullianum & alios: at heic hoc videtur significare, ut facto, inquit, suo exponant, cur Joannis baptismati confessio praemitteretur; sive ut horum catechumenorum confessio commentarii vice serviat loco Matthaei, qui sequitur, *Tinguebantur* &c.

(2) Hinc patet, aevo Tertulliani confessionem privatam uni aut paucis factam in baptismi & poenitentiae sacramentis fuisse usitatam: de qua etiam lectu dignissimus est egregius Basilii locus, quem Benedictini editores in suis προλεγομένοις illustrarunt.

Digitized by Google

Junii) sect. 14. his verbis: *Ipse autem, qui eos decollavit, nomine Dorotheus, publicam poenitentiam gessit paganus . . . & baptizatus est in senectute sua, & per bonam confessionem* (baptismo praeviam) *pervenit ad misericordiam Salvatoris*. Hinc intelligis cur ad Heb. VI. 4. *baptismus* vocetur *poenitentia* (quam iterari negat) certe quia utrique Sacramento praemittebantur tum poenitentiae labores, tum etiam confessio. Vtrumque vero ad veteris Ecclesiae disciplinam, non item ad inevitabilem necessitatem pertinebat.

AD ACT. XIX. 19.

Qui fuerant curiosa sectati] Gr. Περίεργος, *curiosus*, esse magicae artis vocabulum pluribus confirmat Hammondus heic. Adde locum Philostrati lib. IV. vitae Apollonii cap. 35. ubi περίεργον χρῆμα (cujus se philosophi Neroni suspectos praebebant) non est aliud quam magica disciplina.

Qui fuerant curiosa sectati] Latinis *curiositas* est Magia, & *curiosi* magi. Hor. Ep. XVII. v. 76.

An quae movere cereas imagines,
Vt ipse nosti curiosus, & polo
Deripere Lunam vocibus possum meis.

Tertullianus de praescriptione haereticorum cap. 43. *Notata sunt etiam commercia haereticorum cum magis quampluribus, cum circulatoribus, cum astrologis, cum philosophis CVRIOSITATI scil. deditis*. Quibus verbis Gnosticos, Carpocratianos aliosque veteres haereticos magiae deditos, aut magorum commercia sectantes taxat. Irenaei interpres lib. 2. cap. 57. Christianorum miracula sine *prava curiositate* h. e. sine magia facta praedicat. Praeterea *curiosae visiones* h. e. magicae, exstant apud Augustinum in X. Confess.. Et *divinandi curiositatem* pro arte magica usurpat Constantius in l. 4. Cod. Th. *de malef. & mathem.* (lib. IX. tit. 16.) in quem locum videatur Gothofredus.

AD ACT. XIX. 29.

Et impetum fecerunt uno animo in theatrum] Apud Graecos, turbata civitate, in theatrum conveniebatur. Praeter loca a Grotio heic collecta, videatur Livius lib. XXIV. de Ennensibus in theatro, quo convenerant, trucidatis.

AD ACT. XIX. 31.

Quidem autem & de Asiae principibus] Recte ἀσιάρχας sic vertit interpres; nam uti ad Luc. III. 2. docuimus, ἀσιαρχία non sacerdotii, uti vulgo persuasum habent, sed magistratus vocabulum fuit, etsi semper ferme cum ἀρχιερεία conjuncta. Asiarchas autem numero multitudinis dixit, quia ex Aristide & aliis constat, plures numero fuisse: qua de re vide doctas Valesiii in Eusebium adnotationes.

AD ACT. XIX. 34.

Magna Diana Ephesiorum] Similis clamor in vicina & aemula urbe Pergamenorum apud Aristidem serm. sacr. 2. τὸ πολύμυθον δὴ τοῦτο βοώντων ΜΕΓΑΣ ὁ Ἀσκλήπιος. *Celeberrimum illud clamantium, MAGNVS Aesculapius*. Ezech. Spanhem. diss. V. de praest. & us. num. pag. 424. editionis secundae. In gemma quam refert Sponius pag. 87. scalptum erat ΜΕΓΑ ΤΟ ΟΝΟΜΑ ΤΟΥ ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ.

AD ACT. XX. 7.

Vna autem Sabbati cum convenissemus ad frangendum panem] Hoc est die Domi-

Digitized by Google

Dominica, quae & 1. ad Cor. XVI. 2. ſic etiam appellatur. Hinc profecto intelligitur, veteres Chriſtianos tum laterculum ſeptem dierum a Judaeis accepiſſe, tum etiam ſingulorum dierum appellationes, ut quemadmodum Judaei, ſic etiam Noſtri primam, ſecundam, tertiam Sabbati dicerent. Tertullianus lib. de jejuniis: *Cur ſtationibus quartam & ſextam ſabbati dicatis?* Euſebius lib. de martyrib. Paeleſt. c. 1. Procopii martyrium accidiſſe ait ἡμέρᾳ τετράδι σαββάτου *quarta ſabbati*. Ad quem locum vide Valeſium, qui & illud probe animadvertit, quod dudum conjeceram, ex eadem manaſſe origine, quod hebdomadis dies *feriae* ſint appellatae, quippe cum tantundem Hebraeis *ſabbatum*, quod Latinis *feria* ſignificet. Sed & Iſidorus hoc viderat lib. de natura rerum cap. 3. *Inde dies ſolis prima feria nuncupatur, quia primus eſt a feria* (h. e. ſabbato, quod *feriam* ſignificat) *item dies Lunae perinde ſecunda feria, quia ſecundus eſt a ſabbato &c.* Beda qui lib. de ratione temporum, feriarum appellationem ex decreto Silveſtri Papae, clericos quotidie feriatos eſſe oportere dicentis, arceſſit, non animadvertit, diu ante Silveſtrum meminiſſe Tertullianum lib. de jejuniis *quartae feriae & ſextae*.

Vna autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem] In proſeucham ſcilicet in τριστέγῳ coenaculo poſitam. Vide dicta ad Act. I. 13. Hinc poſtea Eccleſiae manarunt.

Vna autem Sabbati cum conveniſſemus ad frangendum panem, Paulus diſputabat cum eis . . . protraxitque ſermonem uſque ad mediam noctem] Menſa quae quidem nullo ſermone condiatur nihil magnopere a praeſepe diſtinguitur, ut habet vetus proverbium apud Simplicium comm. ad Epictetum pag. 267. edit. Graecol. Heinſianae: ἡ χωρὶς λόγων τράπεζα φάτνης οὐδὲν διαφέρει.

AD ACT. XX. 8.

Erant autem lampades copioſae in coenaculo, ubi eramus congregati] Perſius ſub ſatyrae V. finem:

At cum
Herodis venere dies, unctaque feneſtra
Diſpoſitae pinguem nebulam vomuere lucernae
Portantes violas . . . . . .
Labra moves tacitus, recutitaque ſabbata palles.

In quem locum vetus Scholiaſtes: *Herodiani obſervant ſabbata, quo die lucernas accenſas & violis coronatas in feneſtris ponunt.* Sed vereor ut in omnibus paſſim feneſtris id obſervatum fuerit, niſi tantum in caenaculorum feneſtris, quo ad precandum coibant. Confer & canonem Apoſtolicum LXX. inde intelliges ſabbato in proſeuchis innumeras lampadas exarſiſſe; qui mos ab Judaeis in Chriſtianorum Eccleſias invectus, ut ex hoc Actorum loco potes animadvertere. Meſſaliani quoque, teſte Epiphanio haer. 80. n. 2. in ſuas proſeuchas μετὰ πολλῆς λυχναψίας καὶ φώτων conveniebant.

AD ACT. XX. 11.

Satiſque allocutus uſque in lucem, ſic profectus eſt] Gr. ὕτως ἐξῆλθεν. *Ita demum* digreſſus eſt, vel *deinde*. ὕτως hac notione eſt bene Graecum; nec minus Latinum *Sic* & *Ita* eodem ſignificatu, maxime ſi cum *demum* jungatur. In Gloſſis *Ita demum* eſt τότε δή. Sed & ſine *demum*, in epiſtola Fauſtinae apud Vulcatium Gallicanum in Avidio: *Vt pietatem primum circa ſuos ſervaret, ſic*

circa

Digitized by Google

circa alienos. In Caracallo Spartiani cap. 2. *Hos in medio . . . collocavit, & sic verba fecit. Questus est &c.* Ibidem: *Conquestus est . . . atque ita . . fecit occidi.* In ejusdem Severo cap. 17. *Calumniatus est . . . atque ita interfecit.* In oratione Macrini apud Capit. in Macrino cap. 6. *Vt cohonestaretur prius nomine, sic etiam regni honore.*

AD ACT. XX. 16.

Festinabat enim, si possibile esset, ut diem Pentecostes faceret Jerosolymis] Graece sic: Ἔσπευδε γὰρ, εἰ δυνατὸν ἦν αὐτῷ, τὴν ἡμέραν τῆς Πεντηκοστῆς γενέσθαι εἰς Ἱεροσόλυμα. Vbi non dubito quin ellipsis sit alterius εἰς ante τὴν ἡμέραν. Est autem εἰς τὴν ἡμέραν Πεντ. *ad diem Pentec. sive circiter diem Pent.* Tum quod sequitur γενέσθαι εἰς Ἱεροσ. elegans Graecismus est, quo verba status cum praepositione motus construuntur, γίνομαι in primis. Id ubi fit, γίνομαι *venio* significat. Exempla sunt obvia. Id nonnunquam imitantur Latini. Cic. XV. ad Att. *In Tusculanum futurus.* Idem alibi: *Vt essem ad urbem.*

AD ACT. XX. 32.

Qui potens est aedificare & dare hereditatem in sanctificatis omnibus] Gr. Τὸ οἰκοδομεῖν Hellenistica dialecto tantundem, opinor, πνευματικῶς (*spirituali sensu*) significat, quod apud Hebraeos σαρκικῇ (*carnali*) notione *aedificare domos.* Hoc Hebraeis de filiorum carnali procreatione intelligitur: illud de Evangelii fideique propagatione, quod est filios secundum Spiritum procreare. Qui quovis modo ad spiritualem hunc Divinumque statum συνεργῶσι (cooperantur) ii οἰκοδομεῖν & *aedificare* dicuntur. Deo autem in primis heic τὸ οἰκοδομεῖν tribuitur, sine quo neque qui plantat, est aliquid, neque qui rigat; & scitum est illud: *Nisi Dominus aedificaverit domum &c.*

AD ACT. XX. 35.

Beatius est magis dare quam accipere] Graece μακάριον .. μᾶλλον, *magis beatum.* Verum *beatior magis* usurpabatur, quo tempore vetus est facta translatio. Cyprianus epist. 34. *Non invenio quem beatiorem magis dicam, utrumne illos de posteritate tam clara, an hunc* (Celerinum) *de origine glorioſa.*

AD ACT. XXI. 3.

Et venimus Tyrum] Gr. καὶ κατήχθημεν εἰς Τύρον. De propria τῦ κατάγω significatione, vide quae supra ad IX. 30. diximus. Nunc si κατάγω, ut ibi exposuimus, est *descendere facio*; cur κατάγομαι heic & alibi hoc libro, ut & apud profanos, tam hoc verbum quam καταπλέω, significat *appellere*, & contra ἀνάγομαι solvere e portu? Sciendum antiquos existimasse, mare procul a litoribus altius multo terris existere, ibique adeo multo sublimius esse, quam in litore, unde nata locutio *altum petere* & similes. Hinc facile intelligitur non καταχρηστικῶς sed κυριωτάτως, quod nos *appellere* sive *applicare* dicimus, id Graecis esse κατάγεσθαι. At cur & κατάγειν τὴν ναῦν dicebant pro eo quod est in terram trahere? certe enim in litore terra est altior ponto. An quod terra totius maris respectu humilior crederetur? Luc. V. 11. καταγαγόντες τὰ πλοῖα.

AD ACT. XXI. 35.

Contigit, ut portaretur a militibus propter vim populi] Gr. Βαστάζεσθαι αὐτὸν ὑπὸ τῶν στρατιωτῶν. quod non necessario significat, bajulatum fuisse Paulum a succollantibus militibus, sive, ut latini dicebant, inter manus sublimem elatum; sed

Digitized by Google

ſed ſatis eſt, ſi ſic interpreteris: *contigit eum a militibus* (ſtipantibus) *aſportari*. Ex iis enim quae ad Joh. XII. 6. copioſe ediſſeruimus, βαστάζω & *porto* & *aſporto* ſignificat. Quin & latinum *porto* eâdem notione, ut ibi diximus, reperitur: quo minus reprehendendus eſt Noſter, qui *portaretur* heic poſuit.

AD ACT. XXI. 37.

Graece noſti?] Gr. Ἑλληνιστὶ γινώσκεις; Non placet Zegeri aliorumque interpretatio, ut ſit interrogatio hujuſmodi: Graece noſti, cum ſis Hebraeus? Placet magis Sanctii ſententia, quam (in v. 38.) ſic proponit: *Cum autem jam illam opinionem imbibiſſet* (Paulum eſſe Aegyptium, quam calumniam ei Judaei impegiſſent) *audiſſetque ſecum loquentem Graece, admiratus quod Graece ſciret, quem Aegyptium putabat, atque adeo Graeci ſermonis imperitum, dixit: Graece noſti?* Quam ſententiam confirmo; 1. quia ſi illa tribuni vox interrogantis fuiſſet, praepoſuiſſet Lucas τὸ Εἰ, ut paulo ante eodem verſu. 2. Interrogatio, an graece ſciret, eo pertinuiſſet, ut Paulus de graece concionando admoneretur: atqui Paulus ἑβραΐδι διαλέκτῳ concionem habuit. 3. Patet id clariſſime ex ſequentibus v. 38. quaſi dicat, quomodo Graece ſcis, cum ſis Aegyptius? Quamvis enim Alexandrini graece ſcirent, vulgus tamen Aegyptiorum Aegyptiace non graece loquebantur, ut hinc liquet. Quare τὸ *Graece noſti* eſt admirantis Paulum Graece ſecum locutum cum dixit Εἰ ἔξεστι &c. non vero interrogantis, an graece ſciret.

AD ACT. XXII. 22.

Tolle de terra hujuſmodi, non enim fas eſt eum vivere] Gr. αἶρε ἀπὸ τῆς γῆς. Vide dicta ad Luc. XXIII. 18. Αἴρω & *erigo* & *aufero* ſignificat. Si priore ſignificatione heic donetur, erit idem quod in crucem agere, ut Joh. XII. 32. ἐὰν ὑψωθῶ ἐκ τῆς γῆς: quod ſi ad poſteriorem notionem referas, erit *e medio tollere*. Poſterius hoc verius; nam Iſ. LIII. 8. ſimilis eſt phraſeologia in Graecis interpretibus, cui reſpondet hebraice verbum גזר *gazar*, *abſcindo*.

AD ACT. XXII. 28.

Ego multa ſumma civilitatem hanc conſecutus ſum] Ex ea quippe non tantum commoda multa, ſed & lucra proveniebant; uti docet nos Scaevola l. Patronus 35. D. de leg. & fideicom. III.

AD ACT. XXIII. 4.

Summum Sacerdotem Dei maledicis?] Cypr. ep. 55. 65. & 69. citat: *Sic inſilis in ſacerdotem Dei maledicendo?* Sed ad ep. 55. notavit Baluzius, Nicolaum Fabrum reperiſſe in vetere codice, *ſic incilas*. Nonius Marcellus: *Incilare eſt increpare vel improbare.*

AD ACT. XXIII. 5.

Neſciebam fratres, quia princeps eſt Sacerdotum. Scriptum eſt enim (nempe Ex. XXII. 28.) *principem populi tui non maledices.*] Ananiam fuiſſe hoc tempore *Naſi* h. e. Synedrii principem, certiſſimum habeo; primum ex Exodi loco, quem Paulus allegat, ubi vox ἄρχοντα reſpondet Hebraeo נשׂיא *Naſi*; deinde quia ex ℣. 2. *Ananias praecepit aſtantibus ſibi percutere os ejus*: id quod nonniſi ſenatus principi licuiſſet. Cur vero *Naſi* etiam ἀρχιερεὺς idem nuncuparetur; ubertim expoſuimus ad Luc. III. 2. & ad Act. IV. 6. quo loco princeps ſenatus ad aliorum ἀρχιερέων diſcrimen κατ' ἐξοχὴν dicitur ὁ ἀρχιερεύς. Ni-

mirum enim vox ἀρχιερεύς multas habet significationes: quandoque notat τοὺς ἐκ γένους ἀρχιερατικοῦ (quae locutio Act. IV. 6. usurpatur) senatores, ut ad finem capitis praecedentis: interdum Summum Pontificem Aharonicum, ac fere tum dicitur ἀρχιερεὺς τῷ ἐνιαυτῷ ἐκείνῳ, ut Joh. XVIII. 13. nonnunquam pro *Nasi* ὁ ἀρχιερεὺς accipitur ἀντονομαστικῶς, ut Act. IV. 6. Luc. III. 2. & hic ℣. 2. & 5. Nam quod ℣. 4. dicitur: τὸν Ἀρχιερέα τοῦ Θεοῦ &c. *Dei* additum non necessario efficit, ut de pontificatu Aharonico sit capiendum. Omnino autem, uti diximus, Pauli responsio Exodi dictum usurpantis cogit, ut credamus agi hîc de senatus principe τῷ καλουμένῳ ἀρχιερεῖ: quemadmodum de Asiarchis ad Luc. III. 2. diximus. Ceterum Grotio non assentior, qui ad Matt. XXVI. 57. & hic, Pontificem Max. his temporibus non alium fuisse a Nasi ex hoc Actorum loco persuadere vult. Nam ex Luc. III. 2. & Act. IV. 6. diversos prorsus fuisse satis liquet.

AD ACT. XXIII. 6.

De spe & resurrectione mortuorum ego judicor] Qui resurrectionem negant, eos sic Paullus περιγράφει 1. Thes. IV. 13. *Qui spem non habent.*

AD ACT. XXIII. 14.

Devotione devovimus nos &c.] Gr. ἀναθέματι ἀνεθεματίσαμεν ἑαυτοὺς &c. De Devotionis variis acceptionibus egimus in Diatriba, quam dedimus ad Kal. marm. ad 29. Junii Adnot. 643.

AD ACT. XXIII. 24.

Ad Felicem Praesidem] Pallantis is frater fuit, Claudii opinor libertus, ut merito Claudius Felix dicendus fuisse videatur, quo nomine eum multi donant. At Tacitus in V. hist. *Antonius*, inquit, *Felix per omnem saevitiam ac libidinem jus regium servili ingenio exercuit*. Sed Lipsius ad Tacitum ostendit, libertos saepe fuisse binomines, quod & ex inscriptionibus monstrari posset.

AD ACT. XXIII. 33.

Qui cum venissent Caesaream, & tradidissent epistolam Praesidi] Tum maris, tum rerum aliarum opportunitas fecere, ut Caesareae potius quam Hierosolymis Praeses subsisteret. Ex eo deinde factum, ut Caesarea ecclesia metropolitana fieret, cui Hierosolymorum episcopus subjaceret.

AD ACT. XXIV. 10.

Ex multis annis te esse judicem (κριτὴν) *genti huic sciens*] Gr. Τὸν ἡγεμόνα Felicem appellat Κριτὴν ex Hebraeorum more, quibus שפט. est etiam *regere*, ut *Sophetim* &c.

AD ACT. XXIV. 14.

Secundum sectam, quam dicunt haeresim &c.] De αἱρέσεως voce vide notata ad Act. V. 17. Pro Graeco autem vocabulo ὁδὸν *sectam* heic Noster usurpavit, habita suorum temporum ratione, quibus Christiana religio apud ipsos etiam Christianos *secta* dicebatur.

Cyprianus epist. 22. *Celerinus confessor quam sit moderatus & cautus, & humilitate ac timore sectae nostrae* (dandi casu, ut opinor) *verecundus*. h. e. αἰδέσιμος *venerandus*. Sectae nomen eadem notione (nempe ad notandam religionem, quam quis profiteretur) usurpabant gentiles. In Marmore an. Christi 238. posito, quod exhibet Sc. Maffejus in Galliae antiquit. selectis pag. 77. & seq.

Digitized by Google

ſeq. in epiſtola Aedinii Juliani pag. 78. lin. 12. laudatur Sennius Sollemnis gentilium Sacerdos PROPTER SECTAM GRAVITATEM ET HONESTOS MORES.

AD ACT. XXV. 5.

Qui ergo in vobis (ait) potentes ſunt, deſcendentes . . . accuſent eum] Gr. οἱ οὖν δυνατοὶ ἐν ὑμῖν. Quod plerique interpretantur *δυνάμενοι, quibus venire commodum eſt*. Quod ſicut non improbo; ſic illud magis probo, hujus commatis *δυνατοὺς potentes* eoſdem eſſe, ac *primos* (h. e. primores) verſus ſecundi, qui cum principibus ſacerdotum ibi junguntur. Joſephus in utraque hiſtoria ſemper cum *ἀρχιερεῦσι principibus ſacerdotum δυνατοὺς* h. e. *optimates* jungit: utrique autem implebant ſynedrium. In II. *ἁλωσ.* cap. XIV. §. 8. profecti dicuntur ad Florum pro tribunali ſedentem *οἵτε ἀρχιερεῖς καὶ δυνατοὶ, ſummi ſacerdotes & primores*. Et ſic paſſim cap. ſeq. & cap. 17. & toto eo libro, & alibi ſaepiſſime. Nec enim alia eſt Joſepho locutio uſitatior, quoties membra ſynedrii *περιφράζει*. Fort. heic integrum erat *δυνατὸς ἐν λόγοις, potens ſermone* i. e. eruditus; quo utitur Lucas ſup. VII. 22. & in Evang. XXIV. 19. Eodem refer, quod dicitur ſupra XVIII. 24. *δυνατὸς ἐν ταῖς γραφαῖς potens in ſcripturis*.

AD ACT. XXV. 7.

Multas & graves cauſſas objicientes] Praeſertim *majeſtatis* crimen: unde ℣. ſeq. ſe nihil contra Caeſarem egiſſe Paulus excipit.

AD ACT. XXV. 11.

Caeſarem appello] Recentius ſaeculum uſurpavit APPELLO AD. Prudentius in paſſione Romani M. ℣. 818.

Appello ab iſta, perfide, ad Chriſtum meum
Crudelitate . . .

AD ACT. XXV. 12.

Tunc Feſtus cum concilio locutus &c.] In actis Martyrum ſinceris Proconſules non niſi adhibito conſilio ſententiam in SS. Martyres pronuntiabant. In actis S. Pionii apud Ruinartum n. XX. *Proconſul diu habitis cum conſiliatore ſermonibus . . . recitari juſſit ex tabula* (ſententiam quae ibi ſequitur). Et in actis SS. Tryphonis & Reſpicii apud eundem n. VI. *Tunc praefectus ira maxima commotus, juſſit gladium adduci, & concilio accepto; ſententiam protulit dicens.* In actis S. Cypriani n. IV. *Galerius Maximus collocutus cum concilio, ſententiam vix aegre dixit verbis hujuſmodi*. In actis S. Philippi M. Epiſcopi Heracleae ap. Ruinartum pag. 417. n. XI. *Tunc praeſes . . . communicato cum participibus & adſeſſore conſilio, talem edidit ſaevo ore ſententiam*.

AD ACT. XXV. 23.

Altera autem die, cum veniſſent Agrippa & Bernice] Graece etiam Βερνίκης. At in veteri inſcriptione Athenienſi apud Fleetwood pag. 148. num 2. legitur: Ἡ μεγάλη βουλὴ ἡ ἐξ Ἀρείου πάγου . . . Ἰουλίαν ΒΕΡΟΝΕΙΚΗΝ βασίλισσαν μεγάλην Ἰουλίου Ἀγρίππα βασιλέως θυγάτερα &c. Julii nomen tam Agrippae majori hujus Berenices patri, quam Berenicae filiae (&, ut puto, Agrippae huic fratri Berenices, cujus eſt heic mentio) inditum a Cajo (Julio) Caligula, qui illum Agrippam magnopere fovit; uti ex Joſepho conſtat.

Digitized by Google

AD ACT. XXVI. 1.

Tunc Paulus extenta manu coepit rationem reddere.] Gr. ἀπελογεῖτο ἐκτείνας τὴν χεῖρα. Eum fuisse antiquorum oratorum morem, ut extensa manu dextera dicere auspicarentur, jam alii docuerunt. Nos alia quaedam ejusdem consuetudinis documenta proferemus. Aeschines or. in Timocr. cum manus nimis argutas gestuosasque in oratoribus exagitaret, hoc etiam priscos Athenienses audaciae assignasse notat, siquis prolata manu diceret; narratque Salamine Solonis statuam ita conformatam, ut manus intra vestem conditas haberet, quasi non aliter Solon ad Athenienses orationem habere consueverit. In columnae Trajanae anaglyptis imperator alloquens nunquam aliter quam extensa dextera, minoribus digitis compressis exhibetur. In Ecclesiae Smyrnensis epistola cap. 9. ὁ δὲ Πολύκαρπος . . . ἐπισείσας (fort. ἐπιτείνας, quia sequitur χεῖρα non χειρί) αὐτοῖς τὴν χεῖρα . . . εἶπεν *Tunc Polycarpus . . . intentans in eos manum . . dixit.* In S. Pionii actis apud Ruinartum cap. IV. *Sed beatus martyr . . . extensa manu laeto & alacri vultu tali oratione respondit.*

Eo gestu in dicendi potissimum exordiis utebantur, ut silentium indicerent *majestate manus*, ut ait poëta. Notat hunc morem ex Dione Xiphilinus lib. 69. in Hadriani rebus: nam populo Romano nescio quid vehementius petenti in ὁπλομαχίας ludis, Hadrianus, qui se severum praestare vellet, non modo non concessit, verum etiam ἐκέλευσε τοῦτο δὴ τὸ Δομιτιανοῦ κηρυχθῆναι Σιωπήσατε· οὐκ ἐλέχθη μὲν γὰρ· ὁ γὰρ κῆρυξ ἀνατείνας τὴν χεῖρα καὶ ἐξ αὐτοῦ τοῦτο ἠσυχάσας (ὥσπερ εἰώθασι ποιεῖν· ὃ γάρ ἐστιν ὁπότε ὑπὸ κηρύγματος σιγάζονται) ἐπειδὴ ἐσιώπησαν, ἔφη, τοῦτο θέλει. *Jussit imperari illud Domitiani SILETE: quod verbum tamen non est a praecone pronuntiatum. Nam cum eo manum porrigente, silentium consecutum esset (nam ita fieri usuvenit, vix enim unquam est, ut praeter illum gestum vox etiam adhibenda sit ad sedandam perstrepentem multitudinem) HOC VERO IPSVM, inquit ille, PRINCEPS VVLT.* Nec tamen Hadrianum praeconi succensuisse, subdit historicus, qui jussus severe imperata pronunciare, non fecisset.

AD ACT. XXVI. 28.

In modico suades me Christianum fieri.] Gr. ἐν ὀλίγῳ, si idem est quod ὀλίγου δεῖ *parum abest quin*, respondet τῷ כמעט *chimat* Hebraico. Ceterum si proprietas graecae locutionis sequenda est, subaudire oportet διαστήματι. Ut apud Thuc. lib. 4. στενοχωρία τε ἐν ὀλίγῳ στρατοπεδευομένοις ἐγένετο. Vbi Scholiastes subaudit διαστήματι γῆς. & lib. 2. ἡ ἐν ὀλίγῳ ναυμαχία. quod vertunt *conflictus in angustiis*. Omnino in omnibus ejusmodi locutionibus δι' ὀλίγου, ἐξ ὀλίγου, παρ' ὀλίγον &c. διάστημα supplendum est, sive loci, scil. sive temporis. Nam & siquis hoc ἐν ὀλίγῳ *brevi tempore* verterit, non repugnabo. Sozomenus VI. 29. initio: ἐν ὀλίγῳ ἐπίσημος ἐγένετο. *brevi conspicuus evasit* (Apollo Monachus).

AD ACT. XXVII. 3.

Humane autem tractans Julius Paulum] Tam hîc, quam 2. Mach. IX. 27. pro φιλανθρώπως *humane* redditur. Non male. Etsi Grammatici veteres Charisius & Diomedes hoc *humane* volunt esse, quod ἀνθρωπίνως, at φιλανθρώπως esse quod latine *humaniter*, vel *humanitus*. Futilis distinctio. *Humanitus* plerunque est ἀνθρωπικῶς, ut *humanitus accidere &c.* Etsi apud Ter. Heaut. 1. 1. 47. legitur *humanitus tractare* (quod est φιλανθρώπως) pro quo tamen *humaniter* legebat Dio-

Digitized by Google

Diomedes. *Humaniter* autem potius ἀνθρωπίνως, quam φιλανθρώπως, ut 1. ad Att. 2. *humaniter feremus* h. e. aequo animo, ut hominem me esse reputem; & ad Fam. VII. ep. 1. *docebo profecto, quid sit humaniter vivere*: h. e. ut hominem elegantem decet ac litteris humanioribus deditum. Postremo *humane* utrunque significat & ἀνθρωπικῶς, & φιλανθρώπως. utriusque notionis indicio sit Cic. XII. ad Att. 44. *Et Hirtium aliquid ad te συμπαθῶς de me scripsisse, facile patior* (*fecit enim humane*) *& te ejus epistolam ad me non misisse, multo facilius. Tu enim etiam humanius*. Prius enim est ἀνθρωπικῶς, posterius autem Φιλανθρωπότερον. Petronius. *Ducem se itineris humanissime promisit*: h. e. φιλανθρωποτάτως. At in Ter. Adelph. 1. 2. 65. *Vix humane patitur*, est ἀνθρωπικῶς.

AD ACT. XXVII. 14.

Non post multum autem misit se contra ipsam ventus typhonicus, qui vocatur Euroaquilo] Hanc esse veram lectionem pro eo quod in Graecis vulgatis legitur εὐροκλύδων, ostendit praeter nostrum latinum interpretem etiam Aethiops, & cod. Alex. De quo vide in Exercitatione de *Typhone*, in qua de vento hoc accurate egimus. Eam exercitationem habes Spicil. Bibl. Tom. II. p. 261.

AD ACT. XXVII. 27.

Navigantibus nobis in Adria] *Jonium* dicere debuisset: sed Graeci nomina ista inter se permutant, alterum pro altero usurpantes. Itaque sicut hîc Adria dicitur, quod mare Jonium erat, sic vicissim Appianus in Hannibalicis pag. 320. Ἀννίβας δὲ . . . ἐπὶ τὸν Ἰόνιον αὖθις ἐτράπη &c. & in 1. Civilium pag. 419. Padum influere ait ἐπὶ τὸν Ἰόνιον. Sed & antiquissimus auctor Phoronides apud Dionysium Halic. lib. 1. c. 28. Jonium sinum vocat, qui hodie Venetus dicitur, haec enim de Pelasgis ait: καὶ ἐπὶ Σπινῆτι ποταμῷ ἐν τῷ Ἰωνίῳ κόλπῳ τὰς νῆας καταλιπόντες, Κρότωνα (melius Κόρτωνα) πόλιν ἐν μεσογείῳ εἶλον. Catullus mare Pamphylium *Jonios fluctus* appellavit, propagata eo usque Jonii maris appellatione.

Eustathius in Dionysii ν. 92. Ἰάονος υἱὸς Ἀδρίας ἱστόρηται, ἀφ' ἧ τὸ αὐτὸ πέλαγος καὶ Ἀδριατικὸν λέγεται. *Traditur Adrias Iaonis* (Ἰάονος, ἀνδρὸς Ἰταλοῦ, ut paulo ante vocaverat) *filius exstitisse, a quo & mare Adriaticum nomen invenerit*. Ἰάων Eustathii est (mutatis punctis vocalibus) *Javan* decimi cap. Geneseos, a quo Ἴωνες, qui & Ἰάονες. Hinc forte accidit, ut Jonii etiam Adriatici maris nomina promiscue usurparentur; nam revera utrumque mare & Jonium a patre Jone, & Hadriaticum ab ejusdem filio dicebatur.

AD ACT. XXVII. 29.

De puppi mittentes anchoras quatuor) Quot nempe ea navis instructa erat, inter quas quae ceteras mole & firmitate superabat, ea ἱερὰ ἀγκύρα appellabatur, quae non nisi summo in discrimine, quale hoc fuit, demittebatur: unde *confugere ad sacram anchoram* proverbio usurpatum fuit. Navis sic firmata, ἄγειν ἐπ' ἀγκυρῶν Thucydidi dicitur, Livio *in anchoris stare*.

AD ACT. XXVII. 33.

Quartadecima die hodie expectantes jejuni permanetis, nihil accipientes] Hyperbolen usitatissimam esse ajunt illam, qua per 14. dies nihil cibi fuisse sumptum narrat Lucas. Sed quaerenda erant in scripturis exempla. Ecce illud Christi de Johanne dictum Matth. XI. 18. *Neque manducans neque bibens &c.* quem tamen scimus melle silvestri & locustis pastum. Nimirum enim parum pro nihilo reputatur.

AD

Digitized by Google

AD ACT. XXVII. 40.

Et cum anchoras fuſtuliſſent, committebant ſe mari] Gr. Καὶ τὰς ἀγκύρας περιελόντες, εἴων εἰς τὴν θάλασσαν. Jam viri docti notarunt diverſe a Noſtro vertiſſe Syrum in hanc ſententiam: *Et amputarunt anchoras a navi, & reliquerunt eas*, in mari ſcilicet. Idque hîc unice convenit. Apud latinos *ſublatis anchoris*, & *praeciſis anchoris* ſunt contraria; quorum prius αἴρειν τὰς ἀγκύρας Graeci dicebant, alterum vero περιαιρεῖν τὰς ἀγκύρας, quod cum feſtinato opus erat, fiebat, ne attollendis in navem anchoris tempus tereretur, ut hîc. Hinc apud Liv. XXII. 19. legitur *Anchoralia incidunt*: at XXXVII. 30. *anchorale tractum*. Anchorale autem funis eſt, quo anchora ſuſpenditur.

Levato artemone] H. e. velo illo, quod ad antennam expanditur, ut ex Papia, & aliis, & Iſidoro ipſo conſtat. Quare quod in Iſidori gloſſario *artemo* exponitur *inſtrumentum arietis*, ſuſpicati ſunt viri docti reſcribendum *ratis*. Etſi ceteroqui arietem machinam poliorceticam ab Artemone Lacedaemonio excogitatam Servius ad IX. Aen. tradidit.

AD ACT. XXVII. 44.

Et ſic factum eſt, ut omnes animae evaderent ad terram] Gr. διασωθῆναι ἐπὶ τὴν γῆν. Peritiſſime interpres διασώζομαι cum caſu locali *evadere* eſt interpretatus. Similis eſt Strabonis locus lib. V. pag. 212. de Venetorum origine: οἱ δ' ἐκ τῦ τρωϊκῦ πολέμυ μετ' Ἀντήνορος σωθῆναι δεῦρο φασὶ τῶν ἐκ τῆς Παφλαγονίας Ενετῶν τινας. *Alii e bello Trojano cum Antenore eo locorum incolumes evaſiſſe tradunt quoſdam Venetorum Paphlagonum.* Τὸς δ' εἰς Λιπάραν μόλις σῶσαι. *Aegre in Liparam evaſiſſe* Strabo lib. VI. pag. 277. Plura exempla qui volet, adeat theſaurum H. Stephani in σώζομαι & διασωζομαι. Id & Itali uſurpamus, quibus *ſalvarſi in qualche luogo* tantundem eſt quod *evadere*.

AD ACT. XXVIII. 2.

Barbari vero praeſtabant &c.] *Barbari*, non quia Afri eſſent aut Afris ſubjecti, quod cenſet Grotius (nam Siciliae praetori paruiſſe Melitenſes ex Verr. 14. 46. poteſt intelligi) ſed quia cum eſſent ἀνέκαθεν Phoenices, aliarum permiſtione linguarum barbare loquebantur. Diodorus Siculus V. 12. linteaminum ſubtiliſſimorum textores ejus inſulae laudans, (de qua re etiam Tullius ibidem) a Phoenicibus primis inſulae cultoribus id eos habuiſſe narrat. Hinc Junonis religioſiſſimum fanum ibidem fuit, (quam Deam patrio cultu Phoenices colebant, ut alibi diximus) a Verre ſpoliatum.

AD ACT. XXVIII. 3.

Quum congregaſſet autem Paulus ſarmentorum aliquantam multitudinem] Gr. φρύγανων πλῆθος. Id proprie vocabant veteres Φάκελλον φρυγάνων. De quo vide Foëſium in Oeconomia Hippocr.

AD ACT. XXVIII. 7.

Principis inſulae] Gr. Πρώτῳ τῆς νήσυ. non id nomen Romani magiſtratus in inſulam miſſi fuit (uti Bochartus col. 552. ſtatuit, falſus inſcriptione Equitis Romani &c. quis enim neſcit Gadibus CD equites Romanos Strabone teſte fuiſſe? ſed & in eadem inſcriptione labitur Bochartus, quem vide &c.) ſed ἐγχωρίυ. Ceterum Tulliano aevo Melite Praetori Siciliae obtemperabat; ſic enim Verr. IV. 46. *Inſula eſt Melita .. in qua eſt eodem nomine oppidum*,

Digitized by Google

pidum, quo iſte (Verres) *nunquam acceſſit: quod tamen iſti textrinum per triennium ad muliebrem veſtem conficiendam fuit.* Tum addit de Junonis fano ab eodem Verre per ſervos direpto.

AD ACT. XXVIII. 13.

Inde circumlegentes venimus Rhegium] Gr. Ῥήγιον per Υ a Graecis ſcribi, & Populum Ρηγύνες, notat heic Grotius. Vt de aliquibus Graecis id verum fuerit: Thucydides certe, Strabo, Ptolemaeus per I ſcribunt, &, in quo caput eſt, in veteribus nummis legitur PHΓINΩN.

Et poſt unum diem flante auſtro] H. e. ubi poſt unum diem flare coepiſſet: Graece eſt μετὰ μίαν ἡμέραν ἐπιγενομένου νότου. *poſt unum diem inſurgente auſtro.*

Secunda die venimus Puteolos] Mira pernicitas ſi de initio ſecundae diei, aut omnino de ſecunda die decurrente intelligas. Malo de ſecunda die jam expleta accipere, ut δευτεραῖοι non tam ſit *ſecunda die*, quam *bidui ſpatio*. Vnius diei navigatio veteribus erat ſtadiorum mille, uti oſtendit Caſaubonus ad I. Strabonis, & ad VII. pag. 317. At ab Rhegio ad Puteolos duplo majus intervallum eſſe crediderim; ut integro ſaltem biduo opus fuerit. Quid ſi iſtud biduum non ab eo tempore, quo Rhegium adnavigarunt, ſed ab altero die quo auſter ἐπεγένετο numeraveris? Nihil enim vetat, quo minus δευτεραῖοι ab initio ἐπιγενομένου νότου computetur, ut ſit haec ſententia: *& ubi poſt unum diem* (ab Rhegina adnavigatione) *auſter inſurrexiſſet, biduo* (ab auſtro flante numerato) *venimus Puteolos.*

Secunda die venimus Puteolos. Vbi inventis fratribus, rogati ſumus manere apud eos dies ſeptem.] *Fratres* Judaeos intelligit, ſive qui jam Chriſto nomen dediſſent, ſive qui minus. Infra ℣. 17. Judaeos alloquens, *viri fratres*, ait. Puteolis autem plurimos Judaeos fuiſſe ſub Auguſti principatu, declarat Pſeudoalexandri, (qui ſe Alexandrum Herodis filium mentiebatur) iter apud Joſephum in II. ἀλωσ c. VII. (ſive V.) §. 1. Is ab Judaea Romam tendens, toto itinere a popularibus ſuis affectus eſt donis & honoribus. Καταχθεὶς δὲ εἰς Δικαιαρχίαν, δώρά τε παμπληθῆ παρὰ τῶν ἐκεῖ Ιουδαίων, λαμβάνει, καὶ καθάπερ βασιλεὺς ὑπὸ τῶν πατρώων προεπέμφθη φίλων. *Cum Puteolos appuliſſet, & quamplurima dona ab illius loci Judaeis accipit, & tamquam rex a paternis amicis deducebatur* Romam. Vide etiam in XVII. Antiq. cap. XII. (ſive XIV.) §. 1. ubi in ead. hiſtoria (τοὺς τῇδε Ιουδαίους) Puteolanorum Judaeorum in Pſeudoalexandrum ſtudia commemorat.

AD ACT. XXVIII. 15.

Et inde quum audiſſent fratres, occurrerunt nobis.] In Pſeudo Alexandri itinere, quod verſu ſuperiore tetigimus, Judaei Romani ſimiliter impoſtori obviam proceſſerunt. In de B. J. Τό γε μὴν Ιουδαϊκὸν ἐν Ρωμῃ τῇ ἐξεχύθη πρὸς τὴν θέαν αὐτῶ. Et in Antiq. Πᾶν τὸ τῇδε Ιουδαίων πλῆθος ὑπαντιάζοντες ἐζήεσαν.

AD ACT. XXVIII. 30.

Manſit autem biennio toto in ſuo conducto, & ſuſcipiebat omnes qui ingrediebantur ad eum, praedicans Regnum Dei &c.] Gr. Μίσθωμα iſtud ſeu *conductum*, ubi tanquam in proſeucha coetus agebat Paulus, aliquod editius caenaculum fuiſſe mihi perſuadeo, in qualibus proſeuchas ſaepe conſtitutas, ex Apoſtolor. caenaculo Act. I. 13. & XX. 7. 9. (vide ibi notata) poteſt intelligi, & ex iis quae de proſeuchis ad Act. XVI. 13. ediſſeruimus. Hodieque Romae, Nardino teſte, com-

Digitized by Google

commonſtrant caenaculum in S. Mariae in Via Lata, ubi SS. Petrus & Paulus Lucaſque ſubſtiterint. Nec aliter ſane mores Romani ferebant. Nam quod caenacula inquilinis elocarentur, indicat Paullus l. *nam ſalutem* §. ult. de off. praef. vig. *Praeterea ut aquam unuſquiſque inquilinus in caenaculo ſuo habeat*. Quod vero egeni ea potiſſimum incolerent, docet Martialis I. 118. 7.

Et ſcalis habito tribus ſed altis.

Id quod Juvenalis Sat. III. *tabulata tertia* incolere dixit h. e. τρίστεγα: ea vero qui inhabitat, de eo ſic ait v. 201.

Vltimus ardebit quem tegula ſola tuetur.

Adhaec idem poëta Sat. X. 17.

. . . . *Egregias Lateranorum obſidet aedes*
Tota cohors: rarus venit in caenacula miles.

Hoc eſt raro ad percutiendos inopes in caenaculis diverſantes miles mittitur; qui nonniſi ad Lateranorum aedes aliaſque hujuſmodi ſumptuoſiores dirigitur.

PRAETERMISSA IN ACTVS APOSTOLORVM.

AD ACT. I. 13.

Et cum introiſſent in coenaculum, aſcenderunt ubi manebant &c.] Mire ſe fatigant interpretes in deſignando hoc caenaculo cujus fuerit. Equidem virorum quorundam eruditorum rationes minime aſpernandas puto, qui illud in Templo ſtatuerunt; cujus rei praeter rationes in Synopſi relatas non leve indicium eſt articulus τὸ, qui articulus certum aliquem & inſignem locum heic haud dubie deſignat. Ac mihi videtur non aliud fuiſſe, quam illud, cujus deſcriptionem David Salomoni dederat I. Par. XXVIII. 11. *Dedit autem David Salomoni filio ſuo deſcriptionem porticus, & templi, & cellariorum, & caenaculi &c.* Et quod 3. Reg. VI. 8. deſcribitur (fort. etiam Ez. XLI. 7.) in hunc modum: *Oſtium lateris medii in parte erat domus dextrae, & per cochleam aſcendebant in medium coenaculum, & a medio in tertium*. Ex quo τρίστεγον iſtud fuiſſe (LXX. hoc loco habent ἐπὶ τὰ τριόροφα) non ſecus ac τρίστεγον illud Act. XX. 9.

Ad haec difficile fuit in Johannis Marci, aut alterius tenuioris fortunae hominis aedibus tam ſpatioſum cōnclave reperiri, quo convenire potuiſſet ὄχλος ὀνομάτων, uti Lucas ait, ὡς ἑκατὸν εἴκοσιν.

Sane vero caenaculum iſtud in templo poſitum proſeuchae vicem praeſtitiſſe, ex eo colligere poſſumus, quod Judaica προσευκτήρια ferme in editis locis ſtatuerentur ob eas rationes, quas ad Luc. VI. 12. attigimus. Itaque ſaepe in montibus ſtatuebantur, nonnunquam autem in editis caenaculis, ut heic, & Act. XX. 9. ac praeterea ex 3. Reg. XVII. 19. & ſeq. ubi Elias viduae filium ad vitam revocaturus, eum ſuſtulit in caenaculum, ibique paulliſper ubi oraſſet puerum vitae reſtituit. Et 4. Reg. IV. 10. Sunamitis Eliſaeo ſervo Dei hoſpitium paratura, caenaculum exſtrui jubet. Hinc Judith (cap. VIII. 5.) *in ſuperioribus domus ſuae fecit ſibi ſecretum cubiculum*, ubi induta cilicio *jejunabat omnibus diebus vitae ſuae*. Adhaec Daniel, ut cap. VI. 10. legitur, *feneſtris apertis in COENACVLO SVO contra Jeruſalem tribus temporibus in die flectebat genua ſua & adorabat &c.* Ex quo loco licet conjicere, non alia de cauſſa in cae-

Digitized by Google

caenaculis oratum fuisse, nisi ob liberiorem illius plagae, quae Templum Hierosolymitanum spectaret, aspectum. Quanquam & alioqui scimus Judaeos in religionis actibus celsiora semper loca sectatos, id quod & *Excelsorum* superstitio suadet, nam non solum in collibus, sed & supra caenaculorum tecta constituebant altaria, uti constat ex 4. Reg. XXIII. 12. Postremo Auctor Machabaici tertii prope finem libri loquens de Judaeis in AEgypto morantibus, defunctis maximo periculo, quod sibi a Ptolomaeo Philopatore intentabatur, ait: κατὰ τὸν τῆς συμποσίας τόπον προσευχῆς καθιδρύσαντες &c. Ex quibus intelligitur in caenaculis habuisse proseuchas; nam sicuti latinis superiora tabulata *caenacula* a caenis utique dicebantur, sic auctor ille per τῆς συμποσίας τόπον editiores contignationes conviviis destinatas designasse videtur, ubi & προσευχὴ erat. Et ut plerique veterum Christianorum mores ab Hebraeis manarunt; quis porro mirabitur, post peracta mysteria statim agaparum convivia celebrata, cum tempore Apostolorum ad proseuchas in caenaculis seu superioribus tabulatis sitas convenirent? Id quidem etiam ex Act. XX. 7. 9. & seq. constat, ubi narratur Troade Paulus cum suis comitibus εἰς τρίστεγον ascendisse die Dominico ad frangendum panem (quod quidem a caena non sejungebatur) ibique sermonem per totam noctem protraxisse. Vide ibi dicta. Postremo & μίσθωμα illud, in quo per biennium substitit Romae Paulus, fuisse aliquod caenaculum, ad Act. 28. 30. conjiciebam.

In caenaculum] Joannis Marci fuisse illud caenaculum, ubi & Pascha a Christo celebratum, & quo Spiritus Sanctus descendit, primus omnium, quod sciam, dixit Alexander monachus Cyprius in encomio S. Barnabae (apud Bollandistas ad XI. Jun.) sect. 13. Vbi & magnifice de eo loquitur, & ibi Ecclesiam Sion ceterarum matrem postea exstitisse prodit. Scribebat haec Alexander exeunte VI. saeculo (ut ad Kalend. marmor. ad X. Jun. cap. 3. §. 1. ostendimus) qui quamvis ab Apostolico aevo remotior, se tamen omnia ab antiquioribus scriptis hausisse profitetur: quem penes fides esto.

AD ACT. I. 25.

Accipere locum ministerii hujus, & Apostolatus, de quo praevaricatus est Judas, ut abiret in locum suum] Pro eo quod in omnibus vulgo legitur λαβεῖν τὸν κλῆρον &c. in Alexandrino Cod. & eo, qui Bezae fuerat, τὸν τόπον ajunt scriptum, ut plane eandem lectionem in suo codice latinus interpres reperisse videatur. Quanquam suspicari subit, quae in Bezae codice aliter, quam vulgo, deprehenduntur, eorum pleraque ex latina interpretatione in eum modum interpolata fuisse. E quorum numero hunc locum fuisse conjicio. Italae versionis auctor τὸν κλῆρον *loci* vocabulo permutaverat: id opinor, in causa fuit, ut in unum alterumve codicem τόπον pro κλῆρον manaverit. Non inscite vero sic verterat Noster; nam vel optimo latinitatis saeculo *locum* pro sorte usurpatum video. Testis locupletissimus sit Virgilius lib. V. cum enim sortitione decerneretur, quo quisque ordine sagittam jaculaturus esset, sic ait XI. 490.

- - *Dejectamque aerea sortem*
Accepit galea: & primus clamore secundo
Hyrtacidae ante omnes exit LOCVS Hippocoontis, &c.

Simul sic interpretando id est consecutus interpres, ut non inepta esset ἀντίθεσις

inter Matthiae *locum*, & *locum* Judae, de quo in fine commatis. Non enim iis assentior, qui illud *de quo praevaricatus est Judas* intra parenthesin includentes, quae mox sequuntur, rursus ad Matthiam referunt. Interpreti certe aliam fuisse mentem tum ex eo apparet quod *abiret* dixit, non *abeat*; tum in primis, quod ad tollendam ambiguitatem, κλῆρον cum *loci* vocabulo commutavit, ac pulchra allusione ex eo loco excidisse Judam dixit, ut *abiret in locum suum*; ut omittam quod *abeundi* verbo, quod ad *mera* (ut Catonis apud Gellium XVIII. 7. locutione utar) *mortuaria glossaria* pertinet, satis indicavit de Juda, non de Matthia se istud intellexisse.

De quo praevaricatus est Judas] Per verbum παρέβη ostendere voluit, Judam, aut quemvis Apostolum non habuisse ἀπαράβατον τὴν ἱερωσύνην, qualem solus Christus habuit ad Heb. VII. 24. Syntaxin istam ἐξ ἧς παρέβη apud probatos scriptores haud forte reperias: sed apud LXX frequens est locutio παραβῆναι ἐκ τῆς ὁδοῦ, ut Ex. XXXII. 8. Deut. IX. 12. 16. Item cum praepos. ἀπὸ Deut. XVII. 20. XXVIII. 14. Jos. XI. 15. quibus locis omnibus παραβαίνω respondet τῷ סוּר *fur, recedo*; quae notio & heic maxime convenit: *A quo recessit Judas*.

Vt abiret] Gr. πορευθῆναι respondet Hebraico ללכת *lalecheth*. Similis est syntaxis apud LXX. Num. V. 19. παραβέβηκας μιανθῆναι, *transgressa es, ut polluereris*.

Vt abiret in locum suum] Mortem Romani veteres *abitionem* dicebant, auctore Festo. Nec aliter θάνατον quam *abitionem* interpretor apud Lucianum in dialogo Μενίππου καὶ Ταντάλου. Cum enim Menippus contenderet non esse indigne ferendum Tantalo, quod bibere non liceret, nam nullum inde mortis periculum immineret; οὐκ ὁρῶ γὰρ, inquit, ἄλλον μετὰ τοῦτον ἀφῆν, ἢ θάνατον ἐντεῦθεν εἰς ἕτερον τόπον. *Neque enim alteros novi inferos post hos ipsos, aut abitionem hinc in alium locum*. Quod autem τόπον τὸν ἴδιον dixit Petrus, is est locus tormentorum (βασάνου τόπος Luc. XVI. 28.) Judae destinatus, si viros doctos audimus. Sed videamus an aliter res transigi possit.

Vt abiret in locum suum] Gr. πορευθῆναι εἰς τὸν τόπον τὸν ἴδιον. Τόπος inter cetera significat τάξιν h. e. ordinem, gradum, dignitatem. Hinc τοποτηρηταὶ Suidae est εἶδος ἀξιώματος. Estque de his in Novellis titulus περὶ τοποτηρητῶν h. e. de vicariis. Concil. Chalced. can. 28. τοποτηρητὴς τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου Romae Episcopus dicitur. Sic etiam *locus* apud antiquissimos patrum latinorum de Episcopatu, presbyterio, aliisque ordinibus dicitur (*). Secundum hanc

(*) Tertullianus de fuga in persec. c. XI. *Hoc sentire & facere omnem servum Dei oportet, etiam minoris LOCI, ut majoris fieri possit; si quem gradum ex persecutionis tolerantia ascenderit. Sed cum ipsi auctores, idest ipsi diaconi, presbyteri, & episcopi fugiunt, quomodo laicus &c.* Sed nemini familiarior ea notio, quam S. Cypriano, & aequalibus scriptoribus. Cyprianus epistola IX. *Aliqui de presbyteris nec evangelii nec loci sui memores* h. e. ordinis. Ibidem: *Cum illi memores loci nostri ad me litteras direxerint*. Idem epistola X. sic orditur: *sollicitudo loci nostri* &c. episcopatus scilicet. Idem quoque Cyprianus Epist. 27. *Pro loci & actus nostri mediocritate*. Ep. 35. *Et promovebitur . . . ad ampliorem locum regionis suae*; Episcopatum sc. Epist. 37. *Vtinam loci, & gradus mei conditio permitteret*. Epist. 38. *Nec loci mei honore motus*. Cornelius ad Cyprianum (epist. inter Cyprianicas 6.) *Maximum presbyterum locum suum agnoscere* (h. e. repetere) *jussimus*. Cyprianus epist. (52.) ad Antoninum: *Admissus est Trophimus, ut laicus communicet, non . . . . quasi*

hanc notionem *locus* eſt *Apoſtolatus*, ac debet de Juda intelligi, cum eo tamen ut in verſione loco τῦ *Vt* ejus contrarium *Ne* adhibeas: *Ne adiret locum ſuum*; ſive (ut S. Cypriani epiſt. 28. locutione utar) *ne repeteret locum ſuum*. Cur autem *Vt* in *Ne* commutaverim, praeterquamquod id ſententia requirebat, id in cauſſa fuit, quod παρέβη heic conſertam imbibitamque negationem gerit; nam παρέβη πορευθῆναι (ſive τὸ πορευθῆναι, ut ſit ellipſis articuli) eſt *excidit ab adeundo*, hoc vero idem, quod *ne adiret*. Vt ecce illud Gen. IV. *major eſt iniquitas mea quam ut veniam merear*, tantundem eſt ac ſi dictum fuiſſet, *tanta eſt iniquitas, ut non ſim venia dignus*: id vero Graece utcunque ſic dici poſſit, παραβαίνει ἡ ἀνομία μȣ τὸ ἄξιόν εἶναι συγγνώμης, praetermiſſa negatione ſcilicet quam τὸ παραβαίνει ſecum habet implicitam.

Dices fortaſſe illud παρέβη referri ad praecedens ἐξ ἧς, non ad ſubſequens πορευθῆναι. At (ut omittam conſtructionem iſtam Hebraicum quid ſubolere, uti ſunt illa, *Cujus participatio ejus, quorum non audiantur voces eorum &c.*) proclive fuerit oſtendere, hoc a Graeca ſyntaxi non abhorrere, ut παρέβη ad utrunque referatur, tum ad ἐξ ἧς, tum etiam ad πορευθῆναι, quaſi ſi bis poſitum eſſet: qualia multa apud optimos ſcriptores exempla reperiri teſtatur Caſaubonus ad Actorum I. 10. Exempla quidem vir magnus non affert, ſed nemo opinor dubitaverit, multa reperiri huic, quem in manibus habemus, loco affinia.

At Hammondus, cui praecedens membrum ἐξ ἧς παρέβη Ιȣδας videtur παρεντίθεσθαι, quod ſequitur πορευθῆναι εἰς τὸν &c. ad novum Apoſtolum refert, ac vertit *Vt adeat locum ſuum*. Non probo. Nam quo iſta ταυτολογία, ut ubi de Neo-Apoſtolo dixiſſet *Accipere locum* ſive *ſortem miniſterii* hujus &c. de eodem iterum inculcet *Vt adeat locum ſuum*? Si de ſubſtituendo in locum proditoris haec dicerentur, non ἴδιον poſuiſſet ſed αὐτῦ, Judae ſcilicet. Nam ſi de candidatis agitur; ante ſortitionem, neutrius ἴδιος locus erat. Omnino igitur de Juda praeſtat intelligere, ſed negatione ſubintellecta, uti modo exponebam.

AD ACT VI. 6.

Et orantes impoſuerunt eis manus] Locus hic admonet, ut pauca quaedam, quae de ſacra ordinatione mecum ipſe cogitavi, afferam in medium. Ac primum de nomine.

I. Vulgo ſibi perſuadent *Ordinationem* dictam eſſe ab *Ordinis* Sacramento, nec aliunde Clericos *ordinari* dictos, quam quia ad ordines promoventur. Mihi

 ſecus

. . *quaſi locum ſacerdotis uſurpet*. Praetermitto jam alia S. Martyris teſtimonia: ſed illud quod epiſt. LXXXI. ineunte legitur non eſt praetermittendum, propter Pearſonii allucinationem, qui ex eo quod ibi Cyprianus ait *loci conditionem* ſibi non permittere adire martyres, Cyprianum abfuiſſe Carthagine, cum haec ſcriberet, ſtatuit. Atqui *loci conditio* epiſcopatum ſignificat (quo tenebatur, ne martyres conveniens, idololatras commoveret) tum heic, tum ſupra epiſt. 37.

Liv. IV. 16. *Haud dubii, quin ſex LOCIS (tot enim jam creari licebat) & plebeii aliqui . . . crearentur*, tribuni ſcilicet conſulari poteſtate. Sic enim veteres libri habent; pro quo editiones aliquot LECTIS. Male; nam & infra eod. libro cap. 54. *Ita ut in quatuor* (quaeſtoribus) *creandis uni patricio Caeſoni Fabio Ambuſto relinqueretur LOCVS*. Et cap. 57. ejuſdem libri: *Primoribus patrum . . . ad petendum praeparatis, omnia LOCA obtinuere, necui plebeio aditus eſſet*. Nempe ad tribunatum militum. Lib. V. 2. *Antea trina loca cum contentione ſumma patricios explere ſolitos*. Eod. lib. c. 10. *In loco vacuo ut patricii cooptarentur*. Et cap. 13. *Vnus M. Veturius ex patriciis candidatis LOCVM tenuit*.

Digitized by Google

ſecus videtur, ac neutrum ab altero deſcendere. Nam *ordinatio*, & *ordinare* prius dici coeptum, quam Eccleſiae gradus ordines dicerentur, idque exemplo profanorum ſcriptorum, quibus *ordinare*, eſt *creare*, *eligere*. At *Ordo* initio clerum Eccleſiae univerſum ſignificabat, eoque nomine a plebe h. e. a laicis diſtinguebatur Eccleſiae ſenatus ſive ordo; ac ſero tandem factum, ut ſinguli Eccleſiae gradus *ordines* appellarentur. Verum de *ordinationis ordiniſque* vocabulis copioſius docuimus ad 2. Cor. VIII. 19. Vide omnino ibi dicta.

II. Ad rem vero ipſam quod attinet; multa in ſacris ordinationibus occurrunt, χειροτονία, χειροθεσία, unctio, manum impletio, imprecatio. Quae quidem ab Apoſtolis deſcendunt; ea vero partim ab uſitatis vulgo apud profanos electionibus, partim ab Hebraeis transfuſa in Eccleſiam. Neque enim mihi veriſimile unquam fuit, Chriſtum ſingulas *materias* ac formas (quas vocant) ſacrarum ordinationum praeſcripſiſſe, ſed tantum de eligendis ſacris miniſtris iiſque per preces & χειροθεσίαν, ac ſiquos alios ritus idoneos judicarent, deſignandis in univerſum praecepta dediſſe: Apoſtolos vero primum, tum & Apoſtolorum ſuppares quaſdam eligendorum atque inaugurandorum miniſtrorum caeremonias tradita ſibi a Chriſto auctoritate, paullatim introduxiſſe. Ita ſanior Theologorum factio cenſuit.

III. Χειροτονία Graece, Latine eſt *Ordinatio*, eaque verba in omnibus electionibus valebant quae ſuffragiis inibantur. A profanis electionibus ea vocabula in Eccleſiam manarunt, apud quam olim nonniſi ſuffragiis *ordinationes* ſive miniſtrorum electiones fiebant. Etſi quemadmodum tum etiam χειροτονία dicebatur interdum καταχρηστικῶς, cum unus eligebat; ſic & *ordinationis* vocabulum in civili & Eccleſiaſtica πολιτείᾳ vel uno creante tenuit. Ac poſtremo ſicut χειροτονίαν Graeci Eccleſiae ſcriptores pro ἱερωσύνῃ accepere nonnunquam, ſic & *ordinatio* Latinis non tantum electionem, verum & poſtea conſecrationem notare coepit. Verum de his, utpote jam occupatis, plura mitto dicere.

IV. Χειροθεσία, quam heic ab Apoſtolis uſurpatam, in conſecrandis miniſtris omnis deinceps poſteritas obſervavit, videtur ab Hebraeis profecta, apud quos inter ſacrificales caeremonias erat χειροθεσία. Vide an in ſacrandis Aaronicis Sacerdotibus uſurparetur. Quanquam cum praecipuus hic ſit & antiquiſſimus ἱερωσύνης ritus, vix dubito, quin illum Chriſtus ipſe praeſcripſerit, aut exemplo ſaltem ſuo (ut qui ſaepe χειροθεσίᾳ in Evangelio uſus legitur) ejus adhibendi auctor fuerit.

Sed & in civilibus poteſtatibus conſtituendis videtur τῇ χειροθεσίᾳ fuiſſe locus. Apud Ammianum XV. 8. Conſtantius Julianum Caeſarem facturus, hunc *manu retinens dextera . . peroravit . . . Julianum hunc fratrem meum patruelem* &c. In nummorum hujus aevi averſis partibus vidiſſe videor Imperatorem manu dextera adoleſcenti impoſita, vexillum ſiniſtra tenere: quod equidem huc referrem, modo inſcriptio eodem collinearet. Nunc juvenem, cui in illis nummis manus imponitur, pro aliquo captivo habent, ſi memini, periti harum rerum. Nemo autem eo nomine mihi dicam impingat, quod χειροθεσίαν in Juliani Caeſaris ordinatione apud Ammianum agnoverim. Vel lege quae ſequuntur apud Marcellinum; plane intelliges Conſtantium parem aſſenſionem ac teſtimonium a commilitio requiſiviſſe, atque Epiſcopi a Clero & plebe requirebant. *Julianum*, inquit, *hunc fratrem meum patruelem, ut noſtis verecundia . . . ſpectatum, jamque elucen-*

Digitized by Google

elucentis induſtriae juvenem, in Caeſaris adhibere poteſtatem exopto, coeptis, ſi videntur utilia, etiam veſtra conſenſione firmandis. Sub haec leni fragore coorto, ubi ſatis de militis conſenſione conſtitit, rurſus Imperator: *Quia igitur*, ait, *veſtrum quoque favorem adeſſe fremitus indicat laetus, aduleſcens vigoris tranquilli . . . ad honorem proſperatum exſurgat . . . Ergo eum praeſente nutu Dei caeleſtis amictu principali velabo. Dixit: moxque indutum avita purpura Julianum, & Caeſarem cum exercitus gaudio declaratum, his alloquitur contractiore vultu ſubmaeſtum: Recepiſti &c.*

Ex χειροθεσία nata illa locutio *Per manus tradere*. Appoſite huc facit Lactantii locus de Mort. perſec. cap. 24. *At ille* (Conſtantinus) *incredibili celeritate uſus*, pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei militibus commendato, imperium PER MANVS TRADIDIT. Nam poſt commendationem, ſecutamque commilitii adſenſionem, per manuum impoſitionem imperium & poteſtas tradebatur.

V. Inunctio ab Hebraeorum ritibus tota deſcendit: eoque mihi ſane videtur, ſi non parem cum χειροθεσίᾳ, at antiquitatem habere certe magnam, uti mox de *manuum impletione* dicam.

VI. Ab iiſdem eſt *manuum impletio*, ſive, ut vulgo appellant, traditio inſtrumentorum, ſive, ut cum Cypriano loquar, muneris *dedicatio*; nam eo pertinet quod S. Martyr Aurelium lectorem epiſt 33. *dedicaſſe lectionem* ſcribit. Omnino igitur ſicut Haronici Sacerdotes, ubi conſecrabantur, ſimul miniſterio admovebantur, idque Ex. XXVIII. 41. XXIX. 9. XXXII. 29. & alibi *manuum impletio* appellatur inde tracta locutione, quod tradendis certis ſacrificiorum partibus in ſacerdotum manus, in ſui muneris poſſeſſionem ſollemniter immitterentur: in eundem modum placuit ut Eccleſiae ἱεράρχαι in ſua conſecratione ſuo quiſque muneri admoverentur traditis rebus iis (puta calice, libro Evangeliorum, ſacris indumentis &c.) quas tractare eos oportebat. Quem ritum ſi quidem, uti cenſeo, ab Hebraeis eſt, oportet eſſe antiquiſſimum. Nam quae obſervationes ab Judaiſmo ſunt transfuſae in Eccleſiam, eae ſunt primaevae antiquitatis. Nam poſtea ſecutis temporibus nihil penſi duxit Eccleſia Judaeos imitari. Niſi quod tale aliquid etiam profani in dedicandis ſive ineundis muneribus factitaſſe videntur: idque ex jure gentium ortum videri poſſit.

VII. Poſtremo *Imprecationis* (ſic enim Hieronymus eam, quam nunc *formam* nuncupamus, appellavit) extat heic mentio, ubi dicitur: *Orantes impoſuerunt eis manus*. Has autem εὐχὰς fruſtra quis aliunde, quam a Spiritu precum, quo turgebant Apoſtoli, arceſſierit, imo & a Chriſti voce illa *oportet ſemper orare*, ac poſtremo a peculiari Domini mandato, ſi ita lubet, praecipientis in univerſum, ut in deſignandis ἱεράρχαις preces cum appoſitis ritibus jungerentur. Quid in re tanti momenti non preces adhiberentur? Ceterum jure Romanorum Apoſtolicis temporibus diffuſo latiſſime per imperium, nihil niſi conceptis formulis rite fiebat, itaut vel minimum formula excidere, tantundem effet, quod cauſſa cadere. Vix ergo dubitaverim, quin conceptas quaſdam formulas ab antiquis uſque temporibus Eccleſia cuſtodierit, a quibus non putarent temere recedendum: praeſertim cum illas preces, non aliunde, uti par erat, quam e Divinis paginis plerunque hauſtas, interpolare nefas habuiſſent.

Ceterum quod ſacrae ordinationis caeremonias cum civilibus reip. ritibus comparaverim, nemo mihi jure ſuccenſeat, quaſi qui hoc ſtuduiſſe Chriſtianos putem,

Digitized by Google

putem, ut gentilium ritus imitarentur. Non hoc illi propositum habuerunt. Tamen fieri vix poterat, quin & vocabula inde mutuarentur (ut *ordinatio*, *ordo* ad significandum Ecclesiae senatum, *coire* & alia sexcenta) neque enim novam sibi linguam Christiani extundendam esse censuerunt; & ritus nonnullos (quippe cum & ritus haud minus quam voces ad rerum significationes ingerendas instituti fuerint) quos minime ἀπόρους in civilibus actibus judicarent, itidem adoptarent.

DISSERTATIONES
AD QVAEDAM ACT. APOST. LOCA.

DISSERTATIO I.
AD ACT. APOST. XII. 8.

De *Sandalio*, *Caliga*, *Calceo*, *Solea*, *Talaribus*, *Cothurno*, *Perone*, *Socco*, *Mulleo*, *Tzanga*, *Ocrea*; de quorum etymologia frustra litigatur, quum sint orientalia calcei vocabula.

PRopositum mihi est prius in nomina haec omnia inquirere, quae quum sint illa ipsa calcei nomina, quibus ea orientales vocant; tamen nescio τί παθόντες viri docti, qui ea latina aut Graeca crederent, in eorum originibus explicandis miserandum in modum aestuarunt. Eo labore perfunctus, tum demum haec ipsa nomina persequar, ac retractabo; siqua forte detur de eisdem calceis aliquid minime animadversum antea adnotasse.

§. I.

De horum vocabulorum Etymologia.

SANDALIVM Σανδάλιον *&* *CALIGA.*

EXordiar a vocibus, quae in hoc Actorum loco Graece & Latine usurpantur. Latinum SANDALIVM putant factum a Graeco Σανδάλιον. At Graeci unde id nomen hauserint, nemo compertum habuit. At est merum Chaldaicum סנדל *Sandal* & סנדלא *Sandela*, quo nullum est in Targumim tritius nomen, quo *calceus* notetur, ac respondet נעל *naal* Hebraico significationis ejusdem. Scio quid viros doctos deceperit. Insedit eorum mentibus anticipata opinio, quaecumque a Graecis, & Chaldaeis peraeque dicuntur, ea putant, hos ab illis mutuatos. Perversa judicandi ratio; qua & in sequentibus usi sunt. Tum demum tuto dici poterit, Chaldaeos a Graecis hausisse, quum ea vox originem & cognatas voces in Graecia habet, non item in Chaldaea, ubi contrarium ostenditur. Adde raro admodum & aegre voces Targumicas de Graeco acceptas ostendi posse; at Talmudicas aliquot Graecas esse non dubito, sicuti & Rabbinicas longe plurimas non tantum Graecas, sed & Latinas. Verum quid plura? tam vox σανδάλιον ab oriente est, quam & res ipsa; de qua §. 2. plura ex Polluce.

At Latinum CALIGA unde sit, mire digladiantur. Vossius rejectis omnibus aliis derivationibus, vel a CALCE dictam putat, unde sit primo CALCIA, deinde CALIGA; vel a χαλάω *laxo*, quod calcei laxioris genus esset. Nugae: nam quas caligas milites in anaglyptis gerunt, adeo non laxae sunt, ut potius adstrictae plus nimio videantur. At a CALCE originatio ridicula est. Quin potius & CALCEVM & CALCEM a *caliga* dici potuisse mox conjiciemus. At ipsum CALIGAE nomen mere Syriacum est, nim. a קליגיא *Keligia* (id *calcei* nomen est, quod ex Syriaco Lexico Bar Bahlul affert Castellus) ortum. At erit aliquis, qui Syriacam *Keligiam* a Latinorum *caliga* detortam existimet. Falluntur toto caelo qui sic existimant. Nam CALIGA nec in Latino nec in Graecia suae vocis originem reperit: at contra *Keligia* pulchram sui originem potest ostendere a Chald. קלגם

Kelges

Digitized by Google

Kalges (*) i. e. *exercitus*; quia *Caliga* calceus militaris erat. Ergo *Caliga* sine ulla dubitatione est orientale nomen; quod frustra sunt, qui a *callo* pedum, (quod sequitur Isidorus) aut cum Balduino ἀπὸ τῶν κάλων a *lignis*; aut postremo cum Vossio a *calce* deducunt: nam (si recta est *caligae* figura, quam ex columna Trajani exhibet Nigronus pag. 117.) ea calcem nudum relinquebat, sola plantâ contectâ. Imo sicui forte cavillandi libido sit, nae is a CALIGA potius κατὰ συγκοπὴν CALCEVM dictum putabit, quam a *calce*: nec enim omnes calcei *calcem* tegebant, imo rarum admodum id calceamenti genus erat. CALX enim ita *pars pedis ima* definiri solet, ut praecipue tamen pars pedis posterior intelligatur: unde in Plauti Merc. V. 2. quidam cum pone sequente expostulat, *Calcem deteris*. Omnino *calx* is proprie est, cui *calcar* adnectebatur. Quamquam in eo *calce* sive *talo* inest etiam superficies ima, qua solum *calcatur*. Verum omissis tricis, volo bona fide agere: nec quemquam morabor, quin CALCEVM a CALCE derivet; sicuti & ab eodem *calce* & *calcandi* verbum fit, & quae sunt ejusdem prosapiae. Relinquatur ergo CALCEVS in Latino peculio: at cetera, ad quae jam festino, nomina sunt plane orientalia.

SOLEA.

Soleae cum caliga convenit in eo, quod utraque obstragulo caret. At quotusquisque est, quin SOLEAM Latio adjudicet, quippe quae suum ibidem etymon possit ostendere? Est enim a SOLO, quod calcat solea; aut verius a *solo* (i. e. planta pedis) quod eadem solea tegit; aut postremo verissime, quia *solea* ita dicta videtur, quia nihil aliud quam *solum* sive *suppactum* habet. *Suppactum* sive *solum caligarium*, Graecis κάττυμα, id proprie est, quod Italis *suola della scarpa* nuncupatur. Ergo id calcei genus cui non aliud quam *solum* inerat, *solea* merito dicebatur. *Solum* in eo Lucretii *Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita solo*, potest sive de *solo caligario* sive de planta pedis intelligi: at in epistola ad Hannonem apud Cic. *Solorum callum* nonnisi ad plantam pertinet. Ergo ut eo redeam, SOLEA quum a *Solo* derivetur, latinum erit. Darem manus, nisi scirem, SOLVM ipsum ab Heb. סלה *sala* aut סלל *salal* dici, quod saepe *calcare* significat. At inquies postquam vox SOLVM Civitate donata fuit, etiam liberos quos post civitatem sibi datam, creavit, cives Romanos fecit. Plane adsentirer, si modo probari posset SOLEAE vocabulum in solo Romano ortum. At contra fieri potuit, utramque simul vocem (tum SOLVM scil. a סללה *salela* h. e. terra quae calcatur; tum etiam SOLEAM) in Italiam ab Etruscis delatam. Verum quid moror, quum SOLEA, ne una littera minus, idem prorsus apud Chaldaeos quod apud nos significat? Apud Talmudicos id calcei genus סוליא *soleja* dicitur sive duali numero סוליים *solejaim* i. e. par solearum. At in Talmude Hierosol. cum Samech formativo in fine scribitur; sicuti etiam & *Aruch* legit, ut sit סוליס *suljas*: quod quidem Aruch Italico (**) vocabulo interpretatur.

TALARIA.

In hoc quoque vocabulo inter me & ceteros multum interest. Vulgo id a voce TALVS arcessunt. At equidem contendo & *Talum* & *Talaria* simul eodemque tempore Tuscis advectoribus immigrasse in Italiam. TALVS est a Chald. verbo טול *Tul*, quod est *ambulare*, *incedere*, quod quum facimus, eo esse, quod *talus* dicitur, potissimum innitimur: a quiescentibus autem secunda quae oriuntur, ea *Kamets* i. e. A in priore syllaba facile assumunt: vide Buxt. Gram. Chald. p. 221.

(*) Hujus vocabuli mentio occurrit in Sota fol. 42. 1. ubi dicitur: *Ne timete propter strepitum scutorum & copiam* (הקלגסין *hakkalgesin*) *exercituum*. Nec tantum Aruch, sed & R. Salomon id vocabulum *exercitum* interpretatur: in quo vocabulo S ultimum formativum est (quod saepe accidit) non radicale. Ceteroqui potuisset CALIGA deduci a קוליגין *Kuligin* (quod ex Cohen de Lara affert Castellus in rad. קלג) quod exponitur *domus*: nam certe calceus Rabbinis *domus pedum* nuncupatur: & סכה *succa* (unde SOCCVS, de quo vide infra) etiam *tugurium* sive tabernaculum exponitur. At equidem priorem originationem sequor, utpote naturae *caligae*, quae militaris erat, convenientiorem. Ut omittam quod *Caliga* dici *domus* nequivisset, quia non justus calceus erat, quippe cui suppactum tantum inerat sine obstragulo.

(**) Aruch sic interpretatur (Talmudicam *Soleam* ut sit אסקרפיטי: quod Buxtorfius (in Lex. Chald. in rad. סלה) putat corruptum ex *Crepida*. Imo, quia solet alias Aruch interpretationes suas Italicis vocabulis reddere: quod heic posuit, non est aliter legendum quam *Escarpitti*; quod est ipsum Italicum nomen, quo in quibusdam regni Neapolitani partibus rusticorum *soleae* sive *pero* vocatur: nim. num. plur. *scarpitti*.

Digitized by Google

221. Ergo TAL sive *Talus* ab oriente venit. At eodem tempore quum Etrusci in eo essent, ut alatis calceis quos Mercurio suo induxerunt (de Mercurio Tuscorum vide Diatr. VIII. §. 2. *alae* quoque diis appictae ex Tusco instituto) nomen imponerent, eos TALARIA appellitarunt. Atqui hoc nomen est mere Chaldaicum. In Targum 3. Reg. II. 5. Hebraeo נעל *naal* i. e. *calceo* respondet טלריהא *talaria*, de qua dictione si Tau servile demas, restabit Tuscum ac Latinum plur. TALARIA: hoc autem videtur fuisse a singulari TALAR (quae terminatio Tuscis familiaris erat) nec aliter Chaldaeis extra formam emphaticam quam טלר *Talar* dici debuerat; nam totum quod sequitur, pertinet ad emphaticam formam. Adde quod ne טלר *talar* quidem totum est radicale; nam R in hac voce est formativum, ut in pluribus Chaldaicis nominibus. Itaque duae tantum priores litterae ad radicem pertinent: radix enim vocabuli hujus non est טלר (quae nulla est, sub qua tamen Buxtorfius *Talaritam* recenset) sed טול *tul*; a qua & TALVS & TALAR Tuscanicum gignitur.

COTHVRNVS.

Si quod nomen calcei est ab oriente profectum, is certe COTHVRNVS est, canente Virgilio,

Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram
Purpureoque alte suras vincire cothurno.

Accedit quod nec in Latio COTHVRNVS nec in Graecia κόθορνος potest suae vocis genealogiam ostendere; quae in oriente est apertissima. Chaldaicum & Syrum קטר *Ketar* est *vincire*, *nodare*; a quo verbo plura fiunt in utraque dialecto vocabula proxime ad COTHVRNI vocem accedentia, quae *nexum* aut *vinculum* notant: id quod antiquo calceo, maxime orientali, apprime convenit, pluribus nexibus intricatus; unde calcei saepe apud poëtam *pedum vincula* vocantur.

PERO.

Perones Isidorus extremo lib. XIX. ait esse *rustica calceamenta*. Item Servius ad VII. 690. ait esse *rusticum calceamentum*. Sed quod addit, *Traxit hoc a Graeciae more*, de toto illo genere armorum in quo describendo multus poeta fuerat, non de *perone* est intelligendum; qui *pero* nec in Graecia nec in Latio etymon ostendere potest. Nec aliunde quam ex Syro sermone id venisse putem. Castellus sub rad. ברן affert ex Bur-Bahluti lex. Syriaco vocem ברונס sine vocalibus, sed quae ἀναλογικῶς pronunciari possit BERVNAS, aut quod Syri solent, *berunos*: quae vox exponitur *calcei corrigia*. Ab ea voce crediderim *perones* factos; qui quia crudo ac setoso ex corio confecti in usum rusticorum erant, videntur obstragulo caruisse, ac tantum *vestigia* contexisse (Virg. VII. 690. *crudus tegit altera* [vestigia] *pero*) quo fiebat, ut corrigiis pluries utrinque adductis innodarentur, eoque a *corrigiis* nomen invenerint. At Balduinus, Rubenius, credo & alii, inter *cavos* calceos (quibus nim. totus pes obtegeretur) peronem retulerunt. Pessime factum. Estne credibile, ex crudo & setoso corio cavum ac justum calceum fieri potuisse; aut qui sic fieret, non nocuisse pedibus?

SOCCVS.

Hactenus ea calceorum nomina persecuti sumus, quibus tantum suppactum esset sine obstragulo. Nunc ad justum calceum animum convertamus; qui Rabbinis בית הרגלים *bet haraglaim* i. e. *domus pedum* appellatur. De genere hoc fuisse SOCCVM, ipsum nomen ostendit; quod Vossius non dubitat, quin sit a סכך *sacac*, *tegere*. At profecto dixisset melius a סך *soc*, *tugurium*, *tabernaculum*, *domus*, quod ubi inflectitur, litteram duplicat, quia fit a *sacac*. Itaque quum vis nominis eam a me opinionem extudisset, ut SOCCVM inter cavos calceos referrem; id postea in Isidoro reperi extremo lib. XIX. ubi quum dixisset *Caligas* vel a *callo* pedum dictas, vel quia *ligantur*; addit: *Nam SOCCI non ligantur, sed tantum intromittuntur*: improprie is quidem, nam pes *intromittitur*, at SOCCVS *inducitur*.

MVLLEVS.

Is quia punicei coloris erat, certe non alia parte, quam in obstragulo eum colorem praeseferre poterat. De puniceo colore testatur Dio, ubi Caesarem dicit usum *calceo alto* (*alto*, quia *tibiatim*, ut ait Titinnius i. e. ad medium usque suram calceabatur) καὶ ἐρυθρῷ χρώῳ i. e. *colore puniceo*, *quo olim Albanorum reges utebantur*. Atqui Albae reges *mulleos* usurpabant. Festus: *Quibus* (mulleis) *reges Albanorum primi, deinde patricii usi sunt*. Qui mox Catonis verba adscribit, quibus iis, qui magistratum curulem cepissent, *mullei*, ceteris *perones* attribuuntur. Ac recte ad Vopiscum Salmasius *mulleos* fuisse Tyrrhenicos calceos (de quibus Virg. lib. VIII. ac Servius loquuntur) censuit: de quo non est dubitandum. Si calceus erat Tuscanicus, profecto & nomen Tuscum erat, ab oriente omnino arcessendum. Quare facessant, qui a colore *mulli*

Digitized by Google

li piſcis (nam contra ex *mullei* colore *mullum* traxiſſe nomen ex Feneſtella Plinius oſtendit, uti Voſſius animadvertit) MVLLEVM dictum volunt; aut ſiqua ſunt hujus generis alia. Vera origo eſt a מנעל *minal*, quod tritum eſt *calcei* nomen apud Hebraeos. At Tuſcis ſicuti & Syris familiare fuit in vocum priore ſyllaba V vocalem adhibere: itaque MVNAL dixerunt, ſive (abſorpta de more vocali quae gutturalem afficit) MVNL: unde cum terminatione Latina MVNLEVS, ſive euphoniae gratia MVLLEVS. Vide infra §. 2. difficilem & corruptum Pollucis locum, de Mulleo Tyrrhenico mea ſententia eſſe intelligendum.

TZANGA.

Sicuti olim *Mulleus*, ſic poſtea TZANGA praecipuae dignationis fuit; nam ut ait Corippus,

Auguſtis ſolis hoc cultu competit uti.

Primus, quem ſciam, *Tzangae* vocabulum uſurpaſſe, fuit Gallienus Aug. in Trebellio Pollione. Ad quem vide Salmaſium: vide & Cangium in Gloſſario. Ac piget referre quas etymologias Salmaſius aliique doctiſſimi viri tradiderint, quorum ſane miſeret, quod eis minime ſubierit ad orientem ſuas cogitationes convertere, unde Tzanga venerat, & unde pleraque ſunt calceorum nomina. Sane enim TZANGA eſt ipſiſſimum Syrum צנקא *tſanko*, quod *calceamentum* ſignificat in Ferrarii Nomenclatore pag. 848. Ac nequis putet, Syros eam vocem a Byzantinis Scriptoribus (apud quos creberrima eſt ejus mentio) accepiſſe; ſcito eam vocem apud Syros, quippe in nativo ſolo, pullulaſſe; nam ibidem apud Ferrarium צנקאיו *tſankojo* eſt *ſutor*. Poſtremo nequa dubitandi anſa detur; non tantum propago ejus vocabuli in oriente occurrit, verum etiam prima origo: nam Hebraicum צינוק *tſinok* (quod ſemel Jer. XXIX. 26. legitur, atque exponitur [*] *vinculum*) declarat fuiſſe radicem צנק *tſanak*, nunc quidem inuſitatam, quae *vinciendi* ſignificatione praedita eſſet. Id vero multo etiam fit clarius ex cognata lingua Samaritana, in qua verbum צנק *tſenak*, *artandi* ſignificationem obtinet. Poſtremo ex eo, quod poſui, Jeremiae צינוק *tſinok* factum eſt apud Graecos ζυγίκιον, quod Suidae exponitur τὸ λωρίον τῦ ὑποδήματος i. e. *calcei corrigia*. Ex quibus omnibus vide TZANGAE nomen ab oriente petendum fuiſſe; non ab ἄγχω *ſtringo* cum Salmaſio, ut alia etymologiarum portenta taceam. Adſtipulatur orientali origini epiſtola Gallieni apud Trebellium in Claudio: *Zanchas de noſtris Parthicis paria tria*: unde *tzangas* optimas de Parthia allatas colligitur. Adhaec Chronicon Alex. pag. 768. τζάγγια appellat Περσικὸν σχῆμα *Perſicum indumentum*. Atque haec de etymologia ad hunc diem vexatiſſima; quae non aliunde arceſſenda erat, quam unde *Tzanga* ipſa venerat. Nunc de tzangae forma pauca: quae non alia erat, quam quae totam tibiam uſque ad genu contegeret, veluti ſunt hodie pontificales ocreae, quas vulgo caligas appellant: aut certe, ſi alios audimus, ad uſque medium crus pertinebant (niſi vero *medium crus* ipſum genu interpretamur; quin, ut alibi oſtendam, CRVS proprie tibiam cum femore complectitur, cujus medium genu) unde quae Horatio Sat. VI. *pelles medium crus impedientes* vocantur, eae a Scholiaſte exponuntur *Zangae*. Hinc etiam quae Theophanes τζάγγια vocitat, ea Hiſtoria Miſcella (vide utriuſque locum in Cangii Gloſſ.) *Ocreas* appellavit. Verum *OCREAE* ipſae unde ſint appellatae, age videamus.

OCREA.

Hoc vocabulum Tuſcum eſſe & ab OCRIS (cujus ſimilitudinem praeferebat) deductum, dixi jam in meis Tyrrhenicis Diatr. IX. §. 3. Ipſum autem OCRIS nomen ab oriente per Tuſcos venit. Vide ibi dicta.

§. II.

Sane vero quae modo decem calceorum nomina ab oriente arceſſivimus, ea (ſi a *Tzanga* diſceſſeris, cujus antiquiorem Gallieno Aug. teſtem proferre non poſſum) ſimul etiam Tuſca nomina fuiſſe neceſſe eſt, nec niſi per Etruſcos eadem vocabula in Latium immigraſſe. Etenim Tuſci omnium primi, ſicuti artes ceteras in Italiam intulerunt, ſic etiam docuerunt nudipedes Italos *Tyrrhena pedum circumdare vincula plantis*: quod de Evandro cecinit Virgilius VIII. 458. Ad quem locum Servius: *Tuſca calceamenta. Et dicit CREPIDAS; quas primo habuere Senatores; poſt equites Romani, nunc milites. Alii calceos Senatorios volunt: quia hoc genus calceamenti a Tuſcis ſumptum eſt.* Quod *calceum ſenatorium* a Tuſcis ſumptum dicit; id de MVLLEO eſt intelligendum, quem & re & voce Etruſcum fuiſſe modo eſt demonſtratum; cujus nomen ex Hebraeo, uti dixi,

(*) Ex R. Salomone eſt *nervus* aut *vinculum*, quo pedes aut etiam cervices impediuntur. Alii *compedes* vertunt, alii *manicas*; ſed ita ut ſemper vinciendi & artandi notio inſit.

Digitized by Google

detortum fuit. At quod *Tyrrhena pedum vincula* interpretatur *crepidas*, id aegre concoquo. Nam ſi CREPIDA a Tuſcis eſſet; inde quoque nomen manaſſet; id quod difficile dictu eſt, quum vix poſſit ejus vocis origo (1) ex oriente oſtendi: contra vero videatur CREPIDA ἀπὸ τῆς Κρηπίδος oriri. Itaque ex eo quod militibus *crepidam* tribuit, facile adducor, ut credam, *crepidae* nomine CALIGAM intellexiſſe; quae *caliga* ſine controverſia a Tuſcis eſt. Fortaſſis enim quae olim *caliga* dicebatur, eam aetas Servii *Crepidam* appellabat. Hinc intelligitur, cur Pollux VII. 85. κρηπίδας eſſe dicat φόρημα στρατιωτικὸν, *militare indumentum*: quod στρατιωτικὸν immerito Petavius ad Syneſii epiſtolam 52. in Αττικὸν mutat, reclamantibus omnibus codicibus & ipſo abnuente grammatico.

Verum ut ad Tuſcos redeam; ab iis non tantum CALIGA eſt, quae in hoc Actorum loco reperitur, ſed & alterum ΣΑΝΔΑΛΙΟΝ, quod in Graeco legitur. Teſtatur id Pollux VII. 85. ubi ex Cratini comoedia, quae Νόμοι inſcribebatur, affert Σανδάλια Τυρρηνικά. Mox idem num. 93. ubi dixiſſet, Phidiam induxiſſe Minervae σανδάλια (nam Tyrrhenicam, opinor MENERVAM exhibere in animo habebat) ſubdidit, ἰχάλων δ' αὐτὰ Τυρρηνυργῆ i. e. *Sandalia autem Tyrrhenurge* i. e. Tuſcum opus, vulgo *appellabant*. Verum totum hunc Pollucis locum vide infra (2) adſcriptum; ex quo intelliges, quae forma fuerit Tyrrhenici Sandalii.

Adhaec idem grammaticus poſt modo adſcripta verba, addit haec, quae ex virorum doctorum emendatione heic exhibeo: Τὰ μέντοι, Τυρρηνικὰ, ὁ Σαπφῶς ΜΑΣΘΑΗΣ ποικίλος εἴη. Μάσθλης Λύδιον καλὸν ἔργον. In quibus verbis ita uti poſui corrigendis, mire ſe exercuerunt Pollucis interpretes. Verum ne ſic quidem ſanus eſt. In Sapphonis verbis pro καλὸν ſcribendum eſſe καλὸν (nam qui ποικίλος, non poterat non καλὸς eſſe): & ego videram, & idem Falkemburgio placuiſſe deprehendi: qui criticus etiam pro Μάσθλης ad oram poſuit Μάλης. Sed mirum, ni Μούλης, aut tale aliquid ſcripſerit Pollux. Nam librariis facillimum fuit tres litteras ουλ in totidem -ασθ in vacillante ſcriptura permutare. Vtut eſt, certe de MVNLEO Tyrrhenico & Sapphoni & grammatico heic ſermo fuit, ex quibus diſcimus mulleos fuiſſe ποικίλους i. e. *pictos* opere Phrygionico, ſed ita credo, ut puniceum colorem (uti ſupra ex Dione oſtendimus) exhiberent. Ergo totus is Pollucis locus ſic verti debet. *Ad Tyrrhenicos calceos pictus Sapphonis MVNLES referri debet* (ubi poetria ait) *Mulles Lydium pulchrum opus.*

DISSER-

(1) Caſtelli lexicon vide, ubi Aethiopicum verbum קרפ exponitur *corium detrahere*; & inter Arabica radicis ejuſdem ſunt nonnulla vocabula, quae ſcorteum quiddam ſignificent. Vt autem in his deeſt D; ſic in Chaldaeo, quod ſequitur, deeſt P; quamvis ſi ab oriente deducenda eſt CREPIDA, non aliunde deduxerim quam ex rad. קרר unde Targumicum קורקיתא *kurdekaja* ſignificat *crepidas*. De quo vide in Tyrrhenicis Diatr. IX. §. 3.

(2) Non erit inutile totum Pollucis locum heic exhibere, ut intelligatur, quae forma fuerit Tyrrhenici Sandalii. Nam quum in eo eſſet, ut calceorum ex gentibus nomen habentium vocabula ederet, ait: Τυρρηνικά. Τὸ κάτυμμα ξύλινον τετραδάκτυλον, οἱ δὲ ἱμάντες ἐστίχρυσοι. Σανδάλιον δὲ ἦν. ὑπέδησε δ' αὐτὸ φειδίας τὴν Ἀθηνᾶν· ἰχαλῶν δ' αὐτὰ Τυρρηνυργῆ. *Tyrrhenici. Suppactum* (horum calceorum) *ligneum eſt, quatuor digitorum altitudinis* (interpres *latitudinis* poſuit: verum ſoleae latitudo ſemper ferme eadem; at altitudinem adnotaſſe maxime intererat) *cujus corrigiae auro obductae. Hi* (Tyrrhenici calcei) *non aliud quam SANDALIVM erant. Hos Minervae induxit Phidias. Dicebantur* (ſuo veluti nomine) τυρρηνυργῆ.

Digitized by Google

DISSERTATIO II.

AD ACT. APOST. XVI. 13.

DE SYNAGOGIS ET PROSEVCHIS.

DIE autem ſabbatorum egreſſi ſumus foras portam, juxta flumen, ubi videbatur oratio eſſe.] Vetus interpres pro *proſeucha* (quod ut peregrinum vitavit, quo tamen uſus eſt Juvenalis: *In qua te quaero proſeucha*) *Oratio* poſuit; aptius interpretaturus, ſi *domus orationis* ſaltem vertiſſet, ut Syrus heic fecit, apud quem legitur בית צלותא *beth tſelutha* h. e. domus orationis. Sed &. Epiphanius haer. 80. Maſſalianorum, τόπον προσευχῆς poſuit; ſic enim citat, opinor, ex memoria: ὅτι, φησὶν ἐδόκει τόπος προσευχῆς εἶναι: pro eo quod in editis & ſcriptis codicibus legitur: ὃ ἐνομίζετο προσευχὴ εἶναι. Quanquam & in Cantabrigienſi codice ἐδόκει reperitur, ut & in vulgato Interprete *videbatur*. Erat autem illud alterum ἐνομίζετο ad Epiphanii rem magis appoſitum. Qui Maſſalianorum proſeuchas cum Judaïcis conferens, ea habet quae huc afferre non pigebit, (etſi tritiſſimus is locus eſt) quippe hunc Actorum locum mire illuſtrantia. Τινὰς δὲ οἴκους ἑαυτοῖς κατασκευάσαντες (Maſſaliani) ἢ τόπους πλατεῖς, φόρων δίκην, προσευχὰς ταύτας ἐκάλεσαν. καὶ ἦσαν μὲν τὸ παλαιὸν προσευχῶν τόποι ἔντε τοῖς Ἰουδαίοις ἔξω πόλεως, καὶ ἐν τοῖς Σαμαρείταις· ὡς καὶ ἐν πράξεσι τῶν Ἀποστόλων εὑρομεν, ἔνθα ἡ πορφυροπώλις Λυδία τοῖς περὶ τὸν ἅγιον Παῦλον ἀπήντησεν, ὡς καὶ ἔστιν τὸ θεῖον γράμμα διηγεῖται ὅτι, φησὶν, ἐδόκει τόπος προσευχῆς εἶναι. *Qui quidem certas ſibi domos fabricantes, & laxiores fororum inſtar areas, proſeuchas illas nominarunt. Habuiſſe quidem Judaeos extra urbem & Samaritanos certa quaedam ad precandum loca, quas proſeuchas dicerent, ex Apoſtolorum Actibus liquet: ubi purpurae inſtitrix Lydia Paulo occurriſſe dicitur. De quo ita Scriptura narrat: Videbatur, inquit, locus orationis eſſe.* At, inquam, τὸ ἐνομίζετο (quod verbum τὸ νόμιμον nationis h. e. inſtitutum notat) ad Epiphanii mentem erat accommodatius, qui, quod Maſſaliani proſeuchas exſtruerent, id eos ab Judaeorum inſtituto habuiſſe affirmat. Nego enim illud ἐνομίζετο ſignificare heic *putabatur*, ſed *moris erat* ſive *inſtituto gentis cavebatur* ut proſeucha eſſet: nempe enim inter Judaeorum & Samaritarum νόμιμα hoc numerat Epiphanius, ut extra moenia proſeuchas ſtatuerent. Secundum flumen autem ut proſeuchas haberent, hoc a Baylonicis uſque temporibus obſervatum reor; in qua captivitate Judaei *ſuper flumina Babylonis* ſedebant, illud uſurpantes: *Quomodo cantabimus canticum Domini* (ſicut in proſeuchis fieri mos erat) *in terra aliena*. Hinc, puto, mos fluxit, ut οἱ ἐν διασπορᾷ Judaei ad ripam fluminis oraturi coirent. Et afferebant amnes hoc commodi, quod non erat difficile reductum aliquem & θεατροειδῆ ripae locum nanciſci (nam & Sicimis ſive Neapoli Samaritarum proſeucham in agro ſubdivalem ac θεατροειδῆ fuiſſe ibidem Epiphanius teſtificatur) ubi cuneatim, ſicut in theatris, ſuperne alii alii inferne conſiderent: quem ſedendi morem Judaeis, etiam in ſynagogis fuiſſe, vel illud declarat, quod Saulus ad pedes Gamalielis eruditus dicitur; quem ipſum morem Ambroſiaſter quoque notavit ad I. Cor. XIV. 31. *Haec*, inquit, *traditio ſynagogae eſt, ut ſedentes diſputent, ſeniores dignitate in cathedris, ſequentes in ſubſelliis, noviſſimi in pavimento ſuper mattas*. Idem ſane cuneationis commodum & ſinuata atque in ſeſe reducta montium latera afferebant: eamque ob cauſſam in montibus etiam proſeuchae fiebant; cujuſmodi illa fuit, in qua Jeſus pernoctabat apud Lucam VI. 12.

Quoniam autem de proſeuchis dicere ingreſſi ſumus: etſi res eſt accuratis eruditorum virorum tractata ſermonibus, (praeſertim Baſnagii, ut intelligo, in Judaeorum hiſtoria, qui liber nondum mihi in manus incidit) ſiquid tamen praeter aliorum notata obſervaſſe mihi videor; heic in medium afferre non pigebit. Ac primum Valeſium ad Euſebii II. hiſt. eccl. 6. necnon Auguſtinum Calmetum ad Matth. IV. 23. alioſq. nonnullos in ea eſſe opinione video, nihil ut ferme inter ſynagogas & proſeuchas diſcriminis agnoſcant. Atqui ego inſignia quaedam animadverti diſcrimina, quae in ſubjectam conjeci παρέκβασιν.

PARECBASIS

Synagogarum & proſeucharum diſcrimen.

I. Synagogas captivitate Babylonica fuiſſe recentiores inter viros doctos convenit (nam quae Calmetus ad Matt. IV. 23. & in Biblico dictionario, antiquiorum ſynagogarum exempla profert, eae dumtaxat proſeuchae fuere) at proſeuchae antiquiſſimae: & ab Judicum

Digitized by Google

uſque temporibus celebrem proſeucham in Maſpha fuiſſe, demonſtravi ad Luc. VI. 12.

II. Quae ſynagogae, eaedem & proſeuchae recte dici poterant (imo & templum Matt. XXI. 13. οἶκος προσευχῆς appellatur, quod Syriace dixerit Chriſtus בית צלותא, quod eſt illis proſeuchae nomen) quippe cum in ſynagogis & orationes funderentur (*) nihilque eorum omitteretur, quae in proſeuchis fierent. Hinc Philo nonnunquam γενικῶς proſeucharum appellatione etiam ſynagogas complectitur in de legatione ad Cajum, ubi de Auguſto, ſi probe memini, haec ait: *ſciebat enim illos & proſeuchas habere* (καὶ προσευχὰς ἔχοντας, quo certe latius patente vocabulo etiam ſynagogas intelligit (**)) *& in eas convenire ſolitos, praeſertim ſabbatis, quo die ad patriam philoſophiam informantur*. Ergo Proſeuchae vox latius patens, etiam ſynagogas complectitur: & omnino quae in προσευκτηρίοις, eadem omnia & in ſynagogis fiebant; non contra. Nam judicia, poenarum irrogationem & alia poteſtatis munia in proſeuchis exercita nuſquam reperio. Vt rem paucis abſolvam; προσευχῶν vocabulum patebat latius, ut quod etiam ſynagogas nonnunquam ſuo ambitu complecteretur: at viciſſim ſynagogarum vis & poteſtas, quam προσευχῶν ἰδίως λεγομένων, multo potior erat.

III. Multae civitates ſynagoga carebant; nam nec Philippis, nec Amphipoli, nec Apolloniae Paulus cum ſociis ſynagogam nactus, vix demum illam Theſſalonicae reperit, ὅπου ἦν, inquit Lucas Act. XVII. 1. ἡ συναγωγὴ τῶν Ἰουδαίων. At proſeucha nuſquam aberat, ne ab urbeculis quidem, aut pagis. Hinc τὰ κατὰ πόλεις προσευκτήρια Philo lib. 3. de vita Moſis commemorat.

IV. Sed & formâ Synagogae a proſeuchis diſſidebant. Nam ſynagogas quidem aliquid cum theatris habuiſſe commune, haud facile reperias. At Sicimenſem Samaritarum proſeucham τετραγωνοειδῆ fuiſſe, Epiphanius in haereſi 80. quae eſt Maſſalianorum, tradidit. Talem & Tiberienſium proſeucham fuiſſe mihi ſit veriſimile, quam Joſephus de vita ſua deſcribit: συνάγονται πάντες εἰς τὴν προσευχὴν, μέγιστον οἴκημα, πολὺν ὄχλον ἐπιδέξασθαι δυάμενον. Nec te fallat interpres, qui οἴκημα *domum* vertit, cum theatra & cetera ſine tecto aedificia ſint etiam οἰκήματα. Nulla vero aptior aedificii forma ad πολὺν ὄχλον recipiendum, quam theatralis cuneatio. In ea proſeucha Joſephus, diu uſque ad horam ſextam de ſumma rep. diſceptatum, ut & ſequente die, narrat: quod optime cum theatris convenit, in quae Graecarum Civitatum populi conveniebant ad conſultandum & conciones auſcultandas, pro more. Hinc etiam proſeuchae in amnium ripis & montibus ſive ſtructiles, ſive temere architectante natura, ſtatuebantur: neque enim erat difficile, ſinuatum in ſeſeque reductum ſive montis latus ſive ripam nanciſci, ubi ſuperne aliis, aliis inferne ſeſſitare cuneatim liceret.

V. In una eademque urbe una ſynagoga ſatis erat; exceptis urbibus maximis, in quibus variae Judaeorum nationes ἀκοινώνητοι conſiſterent, quae coire in eadem φρατρίαις detrectarent, ut erant Hieroſolymitae, Alexandrini, Samaritae, veteribus inter ſeſe diſcidiis conflictantes. At proſeucharum multitudinem Juvenalis aperte innuit, cum ait:

Ede ubi conſiſtas, in qua te quaero proſeucha.

Qui eadem ſatyra, in nemoribus, in delubris, ac ſub omni arbore ferme proſeuchas fuiſſe conqueritur.

Nunc Sacri fontis nemus, & delubra locantur
Judaeis, quorum cophinus foenumque ſupellex:
OMNIS enim populo mercedem pendere juſſa eſt
Arbor, & ejectis mendicat ſylva Camoenis.

VI. Nec ad amnium ripas aut fontes, nec in nemoribus, nec in delubris, nec ſub arboribus ſynagogas poſitas uſquam legimus. At ex modo adſcriptis Juvenalis verſibus in his omnibus locis proſeuchas inſtitutas licet cognoſcere. Vide porro quae in utrunque Satyrici locum ad Matt. XXIII. 14. copioſe commentabamur.

VII. Ad haec Synagogas in celſo poſitas nuſquam in N. T. reperio; nam quoties Jeſus aut Apoſtoli Synagogas adeunt, aut inde diſcedunt, non *aſcendere* dicuntur aut *deſcendere* (quae tamen ἀκρίβεια apud Judaeos Helleniſtas eſt perpetua, ut *aſcendere Jeroſolymam, in templum deſcendere, in Aegyptum, Caeſaream &c.*) ſed mere εἰσελθεῖν aut ἐξελθεῖν. Vnde quod

(*) De orationibus Chryſoſtomus ad Act. XVI. 13 teſtatur, ubi ſic commentatur: Οὐ γὰρ δὴ ἔνθα συναγωγὴ ἦν μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔξω ηὔχοντο, ὥσπερ τόπον τινὰ ἀφωρίζοντες. *Neque enim tantum ubi Synagoga erat, ſed etiam extra orabant, tanquam locum aliquem ſibi ſegregantes*: cujuſmodi Philipporum προσευκτήριον illud fuit, de quo ibi Chryſoſtomus.

(**) Niſi veriſimilius dicamus, Philonem de Roma loquutum, ubi proſeuchae tantum, non item ſynagogae fuerint. Adeatur Philo, ut rectior conjectura fiat.

Digitized by Google

quod Ligfootus in Horis Hebr. ad Matth. IV. 23. n. 3. ait cautum esse, *ut in altissimo urbis loco aedificaretur synagoga, & ne eâ altius aliqua domus culminaret*, id procul dubio de posterioribus temporibus capiendum, quibus Synagogam & proseucham in unum confuderunt Judaei. Apud antiquos autem Judaeos proseuchae ferme in montibus (1) aut editioribus caenaculis (2) instituebantur, quantum quidem assequi poterant: aut vero cogente necessitate ad fluminis ripam, aut in nemoribus, hortis, sub arbore annosa, ut supra demonstravimus.

VIII. Omnino extra urbes Synagogas exstructas nusquam reperimus: at proseuchas vix aliter quam extra moenia positas, & ex sacris scriptoribus, & Epiphanio discimus, qui in eadem toties jam allegata Massalianorum haeresi 80. n. 1. Judaeorum ac Samaritarum προσευκτήρια statuit ἔξω πόλεως, ac praeterea Sicimorum proseucham illam θεατροειδῆ duobus ferme passuum millibus (3) a civitate removet.

IX. Synagogas ὑπαιθρίους nusquam equidem reperio. At vero proseuchas superne patuisse, tum Apion apud Josephum initio lib. 2. contra Apion. αἰθρίους προσευχὰς memorans; tum Epiphanius haer. 80. docet, qui illas cum foris sive atriis subdivalibus confert, & Samaritarum proseucham ἐν ἀέρι καὶ αἰθρίῳ τόπῳ, Massalianorum quoque ibidem n. 2. ἐν ὑπαίθρῳ, constituit; tum postremo Tertullianus in Apologetico: *Nubila de laquearibus exspectatis &c.* Hinc porro gentiles cum ea loca libero caelo exposita, ac nulla praeterea ibi simulacra conspicarentur, Judaeos nonnisi Caelum ac nubes adorare cavillabantur. Juvenalis XIV. 96.

Quidam sortiti metuentem sabbata patrem,
Nil praeter nubes & caeli numen adorant.

Ac mirum ni ea cavillatione ad celebrem Aristophanis comoediam alluſum fuerit: nam & Socrati Aristophanes νεφέλας idem crimen imposuit, quod nihil praeter nubes venerareturr.

Quin & cum privatim precabantur, solarium conscendebant, ut patet exemplo Petri ἐπὶ τὸ δῶμα ascendentis Act. X. 9. ita ut solaria habuerint tanquam privata familiarium προσευκτήρια, ac veluti lararia, tum loci sublimitate delectati, tum vero etiam quod ibi libero caelo fruerentur.

X. Accedit quod in synagogis a feminis viri cancellorum objectu semoverentur. Nihil tale in proseuchis fuisse creditur. Certe in hac Philippensi proseucha *sedentes* (sive *sedere jubentes*; nam utrunque significat τὸ καθίσαντες) *loquebamur mulieribus, quae convenerant*, inquit Lucas heic Act. XVI. 13.

XI. Postremo in synagogas vix alias, quam interdiu conveniebant. At in proseuchis noctu etiam coetus agi consuevisse patet ex Luc. VI. 12 in primis autem ex Act. XX. 9 In ea proseucha Paulus, ubi sermonem ad mediam usque noctem protraxisset, mox fracto & gustato pane, ad lucem usque disseruit. Hinc ut ait Lucas *lampades copiosae in caenaculo* illo, quo de loquimur; de quibus lucernis meminit & canon Apost. LXX. & Persius Sat. V.

. . . . . *At cum*
Herodis venere dies, unctaque fenestra
Dispositae pinguem nebulam vomuere lucernae,
Labra moves tacitus, &c.

Postremo enim hemistichio inest προσευκτηρίου descriptio.

Haec quae hactenus ad synagogas a proseuchis distinguendas notavimus, de antiquis temporibus capienda esse moneo: nam ex recentiorum quidem Judaeorum scriptis nullum jam amplius inter utrasque discrimen deprehendi, ultro equidem fateor: idque a Theodosii saltem temporibus, atque his, opinor, gradibus. Principio Theodosianis temporibus omnia isthaec senacula, sive synagogae essent, sive proseuchae, una synagogarum appellatione veniebant, ut patet ex Cod. Theod. *de Judaeis* (4). Deinde non tantum nomen evanuit, sed & ipsae prorsus proseuchae, retentis tantum synagogis, exoluerunt.

Quin

(1) Vide dicta ad Luc. VI. 12.

(2) Confer notata ad Act. I. 13. XX. 9. XXVIII. 30.

(3) Ὁς ἀπὸ σημείων δύο, inquit Epiphanius, h. e. *secundo ferme ab urbe lapide*. Neque enim solida duo milliaria fuisse μέρος illud ΩΣ declarat. Ac videtur mihi sane proseucha illa bis mille cubitis (qui modulus est infra duo milliaria) ab urbe abfuisse; totidem enim cubitis iter sabbati, auctore Origene, definiebatur. Nam Philo de legatione τὰς ἱερὰς ἱβδόμας aditas fuisse testatur, ut etiam lib. 3. de vita Mosis. Josephus lib. de vita sua Tiberiensem in proseucham, quam μίγιστον οἴκημα appellat, confluxisse testatur.

(4) Et ex Socrate VII. 13. ἐφ' ᾧ κινηθεὶς ὁ Κύριλλος σὺν πολλῷ πλήθει ἐπὶ τὰς συναγωγὰς τῶν Ἰουδαίων, οὕτω γὰρ τὰς εὐκτηρίους αὐτῶν ὀνομάζουσι τόπους. *Commotus ea re Cyrillus cum ingenti multitudine ad synagogas Judaeorum profectus, sic enim vocantur eorum oratoria* (etsi Massalianorum proseuchas adhuc sub ferme aetate Epiphanius agnovit) contra vero Philonis aevo, ut ex ejus verbis supra positis discitur, proseuchae vox etiam synagogas complectebatur.

Digitized by Google

Quin & antiquioribus temporibus, tum cum inter ſynagogas, & proſeuchas intererat, multa tamen erant utrique loco communia. Nam utrobique praeter orationem, & conciones habebantur, uti de proſeucha Philippenſi Act. XVI. & de eâ, quae Troade fuit Act. XX. 9. & ſeq. quibus ſane concionibus ad patriam philoſophiam, uti cum Philone loquar, informabantur. Ad proſeuchas non minus, quam ad ſynagogas, ſabbato itabatur, uti de Philippenſi Act. XVI. conſtat, & de Tiberienſi apud Joſephum de vita ſua, & de Sicimenſi apud Epiphanium, quae ob eam cauſſam non amplius quam ſabbati itinere ab urbe aberat, uti ſupra notavimus. Philo μάλιστα τὰς ἱερὰς ἑβδόμας aditas proſeuchas affirmat: Ex quo tamen ceteris etiam diebus aditas intelligimus. Neque tamen in iis locis, ubi ſabbato in proſeuchas Judaei coibant, continuo defuiſſe ibidem ſynagogas colligemus. Credibile ne eſt, Sicimis aut Tiberiade nullam fuiſſe ſynagogam? Id potius in cauſſa fuiſſe putem, quod ſynagogae non peraeque tantae multitudinis, ut proſeuchae, capaces eſſent.

Ac de his hactenus. Ceterum confer quae ad Matt. XXIII. 14. in duos egregios Juvenalis locos adnotavimus, praeter alibi de iiſdem proſeuchis delibata.

DISSERTATIO III.

AD ACT. APOST. XIX. 10.

DE GENTILIBVS ET PAGANIS.

JUDAEI & Gentiles] Gr. Ἰουδαίους τε καὶ Ἕλληνας, ſed Noſter interpres pro *Graecis* tum hic, tum alibi *gentiles* poſuit. De ſumma hîc agitur hominum diviſione in Dei foederatos, qui Judaei erant, & non foederatos, ſive (ut ad Eph. II. 12. dicitur) *hoſpites teſtamentorum*; quorum hi cum latiſſime paterent, omnes Graecorum nomine veniunt, quos Noſter *gentiles* nova ac tum primum nata appellatione, vocavit. Ac ſubit animum, ita hunc illuſtrare locum, ut ſimul aliis ſimilibus, qui in novo foedere ſunt innumeri, lux affulgeat.

Poſtquam Deus ex gentium univerſitate peculiarem ſibi populum (Hebraeus is fuit) quocum foedus paciſceretur, ſepoſuit: quicunque illo foedere non continebantur, ii גוים *gojim* h. e. *gentes* appellabantur. Ac nota eſt in veteris Inſtrumenti paginis partitio in Hebraeos & *gojim*.

Sub extrema vero reip. Hebraicae tempora, poſtquam Judaei partim acti exiliis, partim ſua ſponte in varias orbis partes diverſi abierunt: loco veteris diviſionis in Hebraeos & *gojim*, aliam Helleniſtae ſubſtituerunt, quae tantundem valeret in *Judaeos* & *Graecos*. Quod ubi fit, *Graeci*, non regionis ſed religionis ſunt vocabulum, quo exterae omnes θρησκείας praeter Judaicam notantur; inde orto vocabulo, quod vix alii populi, quam Graeci, aut Graeco ore loquentes (cujuſmodi erant Aſiatici, quos ſaepe Cicero ad Q. Frat. Graecos nuncupat, Aegyptii, & omnino quicunque extra Graeciam Graeco ſermone utebantur) innotuiſſent. Nec porro deſint ſexcenta prope exempla ſimilia. Ex Philiſtaeis, qui, quod in ora maritima degerent, ſoli exteris noſcebantur, factum ut omnis illa circa Jordanem regio Palaeſtina diceretur. Lugdunenſis tantum apud latinos antea erat proprie *Gallia*, & *Celtica*; deinde Gallorum ac Celtarum nomen latius ad omnes propagatum: apud Graecos vero Γαλάται initio non alii quam qui ad oram interni maris Narbonenſem Galliam incolerent; ſed poſtea Γαλατίας nuncupatio cum ceteris provinciis communis fuit. Et in Hiſpaniis Ἰβηρίας nomen ex maritimo tractu, qui tantum Graecis compertus fuit, ad univerſam Heſperiam redundavit. Hodieque apud pleroſque Aſiaticos Europaei omnes una Francorum appellatione nuncupantur. Verum quid fruſtra his immoror? Helleniſtarum vocabulum, quod initio eorum fuit, qui in Graecia aut Graeci idiomatis civitatibus haeſiſſent, poſtea ad ceteros etiam productum, qui in Italia, qui in Hiſpaniis, Galliis, aut ubiubi morarentur; ita ut ſumma Judaeorum diviſio eſſet in Palaeſtinos, eos puta qui ex patrio ſolo pedem non extuliſſent, & Helleniſtas ſive τὰς ἐν διασπορᾷ. Habes cur, qui nobis *pagani* dicuntur, eos in N. Foedere Helleniſtae uno vocabulo Ἕλληνας appellarint; quae nuncupatio etiam apud veteres patres in uſu fuit, uti patet ex libris Atha-

Digitized by Google

Athanasii κατὰ Ἑλλήνων, & Theodoreti.

Sequitur altera dubitatio, cur tam hîc, quam alibi saepe Ἕλληνας Noster *gentiles* reddiderit (etsi in epistolis Pauli non raro, uti graece Ἰουδαίῳ Ἕλλην, sic & apud interpretem Judaeo Graecus opponitur) aut quid omnino *gentilium* vocabulum significet. Nihil dubium, quin eo vocabulo interpres nationes omnes foederis expertes complecti voluerit, itaut quicunque non Judaeus, is continuo gentilis esset. Sed ejus appellationis origo non videtur tertio saeculo antiquior. In Cod. Theodosiano l. unica *de nuptiis gentilium*, & l. 1. *de terris limitaneorum*, *Gentiles* sunt barbari h.e. quicunque imperio Romano subjecti non erant. Ausonius gratiar. actione ad Gratianum: *Voca Germanicum deditione gentilium: Alamannicum traductione captorum*. Ac fuit illo tempore in comitatu principis *schola gentilium* sic dictorum, quod ex barbaris conscripti essent; quae schola videtur Valesio ad Ammian. XIV. 7. Constantino antiquior ex eo, quod in Menologio Graecor. de Sergio, & Bacchio legitur: ὁ μὲν Σέργιος πριμικήριος ἦν τῆς σχολῆς τῶν γεντιλίων. *Ac Sergius quidem Scholae gentilium primicerius erat*. Hinc ergo gentilium appellatio in latinam interpretationem manavit; & quemadmodum apud Graecos rei Romanae historicos universum genus humanum dividebatur εἰς τὸ ὑπήκοον καὶ τὸ βαρβαρικὸν, (qui barbari, uti diximus, saeculo tertio gentiles appellabantur) sic placuit ut quicunque *hospites* essent *testamentorum*, nec ὑπήκοοι τῷ νόμῳ, ii *gentiles* seu *barbari* dicerentur. Hinc toties in latina interpretatione Judaei & gentiles ἐκ παραλλήλου conferuntur. Atque equidem conjecerim, *Gentilium* vocabulum non ex prisca interpretatione Novi Testamenti manasse, sed recentius sive ab Hieronymo, sive paullo ante invectum; qui sciam Tertullianum, Arnobium, ac si qui sunt alii paullo antiquoris aevi scriptores, non *gentiles*, sed *gentes* aut *nationes*, dixisse. Reperitur quidem apud Tertullianum Apologetico *Gentiles dii* (sicut & lib. de anima *gentica devotio*) sed non *gentilium dii*.

Et quoniam huc ventum est, videamus si quomodo sicut gentiles a militia Romana nomen invenerint, sic etiam *paganorum* nomen inde profectum videri possit.

Vnde gentiles pagani *sint appellati*.

Plerique putant ex eo quod, civitatibus ad Christum conversis, in pagis idololatria adhuc obtineret. Non placet, quia falsum est pagos a Christi cultu alienos fuisse, quorum non minimam curam pastores gerebant, rati se *missos evangelizare* pauperibus. Scimus tempore persecutionum, tutius in vicis, quam civitatibus, Christianos degisse.

Fuit & illa paucorum sententia, paganos ita dictos, quod Christo non militarent, a militia Romana translato nomine. Haec sententia magis arridet. Nam inter militiam saecularem, & Christianam, seu baptismum paria omnia video fuisse (ut omittam Christianismum vix alio nomine, quam militiam appellatum). 1. Vtrumque Sacramentum appellatum: *sacramento huic* (militiae saecularis) *militare non possum*, inquit S. Marcellus M. apud Ruinart. p. 303. n. 2. Nec necesse est exempla cumulare. Nam certum puto, a militiae sacramento nomen ad baptismum, tum & ad cetera Christianorum mysteria manasse.

2. In utraque militia signaculum accipiebatur. In actis S. Maximiliani M. apud Ruinart. pag. 301. n. 2. urgente Dione procos. ut Maximilianus signaculum acciperet, Maximilianus reluctans respondit: *Non accipio signaculum saeculi, & si signaveris, rumpo illud . . Ego Christianus sum, non licet mihi plumbum collo portare, post signum salutare Domini mei Jesu Christi*. Hinc patet a signaculo militari ad baptismatis characterem nomen traductum.

3. Christianae militiae per baptismum qui nomen dabant, nomen plerunque commutabant, ut omnibus notum (*). Item qui saecularis militiae adscribebantur, si quod nomen militiae ignominiosum gererent, id cum alio boni ominis commutabant, uti colligo ex actis S. Tarachi M. apud Ruinartum p. 423. n. 1. Τάραχος, inquit Martyr, παρὰ τῶν γεννησάντων με, καλοῦμαι· ἐν δὲ τῷ στρατεύεσθαι με Βίκτωρ ἐκλήθην. Tarachi nomen militiae indecorum in Victorem transiit: sed postea abjecto cingulo militari, Victoris nomen abjecit, atque iterum Tarachus audiebat. In militia saeculari credo eum morem invectum, quia in delectu, ii primi citabantur, qui boni ominis nomen gererent (vide Lips. in dilectu) atque hinc etiam inominata nomina puto commutari coepisse.

4. A cingulo militari puto derivatum baptismi ritum, ut *praecingerentur zona justitiae* &c. Imo & vestem candidam (i.e. novam, nam candidae vestes potissimum novae fuerunt) iccirco baptizati accipiebant, quia idem

(*) Ruinartus pag. 502. initio. Ibi de nominis mutatione in baptismo exempla.

Digitized by Google

idem in militari Sacramento fiebat. S. Maximilianus M. in actis apud Ruinartum pag. 301. n. 3. *ad patrem ſuum ſic ait: Da huic ſpiculatori veſtem meam novam, quam mihi ad militiam praeparaveras.*

5. Imo, quod mireris, non tantum baptiſmus regeneratio dicebatur; ſed & militia ſaecularis. Hinc eſt quod in militum titulis ſepulcralibus anni vitae ſeorſum ab annis militiae computantur, idque eſt perpetuum. Vixit. AN.. M ..D.. MIL.. AN .. M. ..D .. Nimirum quia militia veluti altera generatio putabatur, unde factum puto, ut volumen illud, quo militum nomina deſcriberentur, *matricula* diceretur, quaſi ibi deſcripti iterum veluti ex matrice prodirent. Vide Pithoeum in matricula, & apud eum Cangium, Voſſium &c.

6. Tirones tam de novis militibus quam de recens baptizatis aut mox baptizandis. *Competentes* videtur etiam militare vocabulum. Teſſera militaris baptizatorum eſt ſymbolum Apoſtolicum.

Pereurrenti porro ritus veteris baptiſmi, profecto comperietur, omnia a militia traducta eſſe. Hinc neophyto ſcutum & lorica fidei, galea ſalutis &c. traditur.

7. Hinc porro eſt, quod cum ſub finem tertii ſaeculi Chriſtiani intelligerent Chriſtianam profeſſionem eſſe veram militiam, non licere ſibi putarent ſimul ſaeculari adſcribi militiae: nec aliam ob cauſſam S. Maximilianus & S. Marcellus martyrium paſſi, quam quod militiam recuſaſſent, eo quod Chriſto militarent, ut ex totis eorum actis patet. S. Marcellus (in actis n. 1.) *rejecto cingulo militari coram ſignis legionis . . clara voce teſtatus eſt dicens: Jeſu Chriſto regi aeterno milito.* Idemque ſemper in reliquis eorum actis inculcatur. Tarachus (in actis n. 1.) διὰ δὲ τὸ χριστιανός με εἶναι, νῦν ΠΑΓΑΝΕΥΕΙΝ ἠρνησάμην. Et in iiſdem actis n. 2. S. Probus M. ait: παγανὸς δὲ εἰμι, χριστιανὸς δὲ οὐ. In his *Paganus* vulgari ſignificatione accipitur; quanquam hic poſterior locus in MSS. habeat in hunc modum: παγανὸς δὲ ἦμην, χριστιανὸς δὲ νῦν; quaſi vellet dicere, *olim idololatra nunc Chriſtianus:* ſed vetus verſio refragatur, quae habet: *ſum autem plebejus, ſed Chriſtianus.*

Vide Cangium in gloſſario, in *Paganus* qui ſententiam communem (ſc. quod gentiles paſſim in pagis morarentur, ex eoque pagani appellati) optimis munit rationibus, & Voſſium etym. Adde S. Vigilium Tridentinum apud Ruinartum p. 608. n. 2.

DISSER-

Digitized by Google

DISSERTATIO IV.

AD ACT. APOST. XIX. 12.

DE SEMICINCTIO, DEQVE ΦΑΚΕΟΛΙΩι.

ACT. XIX. 12. legitur: *Itaut etiam ſuper languidos deferrentur a corpore ejus* (Pauli) *ſudaria & ſemicinctia, & recedebant ab eis languores*]. Praeter jam ab aliis occupata de *ſemicinctiis*, lubet & mihi de meo non pauca proferre. Vt ſudarium longius erat, quam latius, ad modum *tobaleae* (ſic aevo ſaequiore appellabant, unde eſt hodierna *Tovaglia*) ſic *Semicinctium* quadratae formae fuiſſe reor. Id vero & ad praecingendum valebat (ex Martiali XIV. 153. & ex Gloſſis infra adducendis) & ad abſtergendum ſudorem, lacrymas, ſputum, & ſimilia. Hoc poſterius conſtat ex Scholio, quod in hoc Actorum loco ad oram veteris codicis reperit H. Stephani pater in hunc modum. Ἀμφότερα λινοειδῆ εἰσί· πλὴν τὰ μὲν Σουδάρια ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἐπιβάλλεται. τὰ δὲ Σημικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσι, πρὸς τὸ ἀπομάττεσθαι τὰς ὑγρότητας τῷ προσώπῳ· οἷον ἱδρῶτα, δάκρυα, πτύελον, καὶ τὰ ὅμοια. *Vtraque linea ſunt: niſi quod Sudaria capiti injiciuntur; ſemicinctia vero prae manibus habentur ad faciei humores abſtergendos, veluti ſudorem, lacrymas, ſputum & ſimilia.* Ergo ſic mente eſt concipiendum, ut fuerit linteum quadratum, quod una ſui extremitate lumbos (non ſine habenis duabus, aut zona fibulis adſtringenda) praecingeret, mox totum linteum deorſum defluueret, ut & in opificio defenderet tunicam, & ori adplicitum, ſordes inde detergeret. Ex eo quia praecingendi uſum praeſtabat, idcirco & ζωνάριον dicebatur. Suidas: Σημικίνθια· φακιόλια, ζωνάρια: Idem reperitur in Lexico MS. Cyrilli, & in Gloſſis Baſilic. aliiſque Gloſſis MS. apud Cangium. Ex eo vero, quod eodem ſemicinctio venter crurum tenus obtegebatur, etiam, ut conjici poteſt, *ventrale* (1) appellabatur. Ergo uti dicebam, *ſemicinctium* & lumbos adſtringebat, & in genua aut porro deſcendebat: ſi eo uſque non protenderetur, ineptum ac *breviſſimum* habebatur. Herbertus in l. de mirac. 6. *Habebat vir ille locupletiſſimus circumligatam renibus ſemicinctiam vilem atque breviſſimam, quae verecundas ſolummodo corporis partes operire vix poterat.* Hodie noſtri artifices ſemicinctium paſſim uſurpant (alii tamen linteum, alii ſcorteum) idque *Anteſino* aut *Senale* appellant: unde non mirum eſt, Paulum in arte ſcenofactoria ſemicinctium uſurpaſſe.

Quaerat heic aliquis, cur id *ſemicinctium*, ac non potius *cinctus* appellaretur; aut illud *ſemis* quam vim habeat. Nec gloſſographi magnopere heic juvant. Papias: *Semicinctium, minus lata zona; dictum, quod Dimidium cingat.* Itidem Jo: de Janua: *Semicincium dicitur; eo quod DIMIDIVM cingat.* Gloſs. MS. apud Cangium: *Semicinctia, quod medium cingit.* In his enim anceps haereas, utrum τὸ DIMIDIVM (quod eſt πρός τι, *relativum*) in longum, an in latum ſive in orbem, referatur. Nam ſi cinctus integer is eſt, qui a collo deorſum ad crura protenditur (cujusmodi cinctus & olim apud Phaedrum & nunc in noſocomiis uſurpatur) tum qui non a collo, ſed a lumbis deorſum pertinebit, is ob eam cauſam *ſemicinctium* appellabitur. Atque haud ſcio, an eo Iſidori XIX. orig. 33. differentiae ſpectent: *Cinctus, lata zona* (ſi ſcil. *latitudinem* a ſummo deorſum accipias: alioqui in *cingulo* non ſibi conſtabit Hiſpalenſis) *minus lata, ſemicinctium: minima, cingulum.* At rurſus ſi ſolidam cincturam eam definias, quae a renibus quidem ad genua, ſed undique & in orbem praetenditur, ita ut totum ambiat corpus (cujuſmodi & olim *campeſtre* erat, & nunc curſorum eſt

P p cyclas,

(1) In l. 6. D. *de bonis damnator.* verba ſunt divi Hadriani: *Aut nummulos in ventrale, quos victus ſui cauſa in promptu habuerit.* Nam idem ſemicinctium, qua *zona* erat, nummos condebat; qua deorſum fluebat ventrem operiens, *Ventrale* fort. appellabatur: ſed tamen officia & nomina, credo, confundebantur, & in uno emicinctii nomine permiſcebantur. In Gloſſis Cyrilli: Περίζωμα, *Ventrale*. Ibid. Κοιλιόδεσμος, *Ventralis*. Plin. VIII. 48. *villoſa ventralia* memorat; & XXVII. 7. abſinthium *inguinum tumorem* (arcet) *in ventrali* habitum: niſi vero alterius Pliniani loci *ventrale* eſt id, quo ſcrotum continetur. Verum *ſemicinctium* & *ventrale* duo fuiſſe ejuſdem rei nomina, praeſtare non poſſum.

Digitized by Google

cyclas, vulgo *il gonnellino de' volanti*) tum vero τὸ SEMIS in *semicinctio* eam vim habebit, ut non totum orbem perfecerit, sed tantum anteriora velarit: quo nos ducunt verba Gloſſae ad Act. XIX. 12. *Semicincia, veſtes ex uno latere*, (anteriore ſcil.) *dependentes*. Itaque quorſum verſus illud SEMIS in ſemicinctio ſit definiendum ſurſum, an in latus, diu eſt quod dubitavi. Tandem factus ſum in priorem ſententiam inclinatior, quam ſolam veram eſſe ajo: nec enim Gloſſam modo citatam moror.

Rem lubet paullo fuſius exponere. Cinctus integer is mihi fuiſſe videtur, qui a collo deorſum praetendebatur; cujuſmodi nunc quoque & a miniſtrantibus in noſocomiis uſurpatur, & in monaſteriis ab iis, qui menſae deſerviunt. Hi quippe linteum oblongum (*orarium* appellare poſſis) ſuperne rugoſum, a ſummo pectore ad medium crus ſibi obtendunt, quod & praecingunt loris duobus a collo retrorſum in cervicem primum adductis, mox ad ilia atque in ventrem reductis, ibique in nodum collectis, qui ſic cinguntur, ii *alte cincti* olim appellabantur: at contra quibus cinctura a renibus procedebat, ii *ſuccincti* nuncupabantur. Dicam pauca de *ſuccinctis* prius, hinc mox ad *alte cinctos* progreſſurus. *Succincti* ii ſunt, qui Graece ſunt διεζωσμένοι (1) quaſi qui medio corpore cinguntur h. e. in renibus, aut vero ὑπεζωσμένοι. At ii latine *Succincti* nuncupantur, non aliunde certe, niſi quia non *alte* & in ſummo pectore, ſed ſubtus in ilibus cinctura fit. Ovid. X. Met. 106. *Veſtem ritu ſuccincta Dianae*. Apud eumdem IV. Faſt. 83. *Miniſtri ſuccincti*. Hor. *Veluti ſuccinctus curſitat hoſpes*. Ovid. XIII. Met. de Scylla: *Illa feris atram canibus ſuccingitur alvum*. Forte ad Scyllam reſpexerit Cicero cum ait VII. Ver. 145. *Quod multo ſe pluribus & majoribus canibus ſuccinxerit*. In Scylla canes a pube incipiebant. Hinc apud Feſtum: *Succingulum appellabant antiqui balteum*, qui & ibidem Plauti locum adſcribit. Ob eam quoque cauſſam, quia de cingulo arma ſuſpendebantur, hinc *armis ſuccingi* veteres dicebant, auctore (2) Servio. Et ob eamdem rationem veterum *ſubligaculum* (in quo & ineſt eadem vis praepoſitionis SVB) quod Graecis eſt διάζωμα, labente latinitate idem (3) *ſuccinctorium* vocabant. Verum his omiſſis, nemo planius Appulejo, quid ſit *ſuccinctus* quidve *alticinctus* dat intelligere lib. 2. Met. *Ipſa lineâ tunicâ mundula amicta, & ruſſeâ faſciolâ praenitente altiuſcule ſub ipſas papillas ſuccinctula*. Illa nec proprie *ſuccincta* erat, nec *alte cincta*, non prius, quia faſcia non a renibus, ſed *altiuſcule* ſub papillis procedebat, unde & *ſuccinctulam altiuſcule* dixit: non poſterius, nam debuiſſet a collo cinctura procedere, ut alte cincta diceretur. At *Alte cinctus*, quo dixi ſen-

(1) Pollux II. 166. ait os illud quod ſtatim ſub coſtis eſt, *Zonam* appellari, ἀφ' ἧς (ζώνης) τὸ ζώννυσθαι, ζῶμα, διάζωμα, διαζώννυσθαι· καὶ ζώνη τὸ ὅπλον ὁμώνυμον τῷ μέρει. Ab illo oſſe cui nomen *Zona*, venire ait, ut cingulum appelletur *Zona*, & actus ipſe *Diazoma*, & verbum Διαζώννυμι. Deinde ſegm. 179. duodecimam vertebam, qua cinctum ſit, διαζωστῆρα appellari tradit. Vide quae ad illud Jo. XXI. 7. τὸν ἐπενδύτην διεζώσατο, (quod ſcite Vulgatus interpretatur *ſuccinxit*) adnotavimus, quaeque diximus ad Jo. XIII. 45. Nam linteum illud, quo ſe Chriſtus διέζωσεν, quoque diſcipulorum pedes exterſit, erat certe ſemicinctium; quia non a ſummo pectore procedebat, ſed a duodecima vertebra, quae Diazoſter nuncupabatur: id quod verbi διαζώννυμι proprietas certo declarat.

(2) Ad illud Virg. I. Aen. 327. *ſuccinctam pharetra*: ſic adnotat: *SVCCINCTAM, Inſtructam: vel, ut alii dicunt, in cingulo habentem pharetram*. Hinc *ſuccingi cultro, ferreo, pugione, gladio*. Livius: *Cultro ſuccinctus mane in urbem . . pergit*. Alibi: *Quid cum ferro ſuccinctis juvenibus venis?* Cic. Philip. XIII. *Gallum eodem pugione ſuccinctum in caſtris videtis*. *Gladio ſuccinctus* eſt apud Auct. ad Her. lib. IV.

(3) Pro eo quod Gen. III. 7. in Vulg. legitur *Perizomata*, i. e. ſubligacula aut *campeſtria*, S. Ambroſius & vetus Irenaei interpres habent *ſuccinctoria*: Papias id interpretatur, *quo tantum genitalia teguntur*. Id olim non diſſimile erat puerorum braccis, quae in ſummo humero loris vinciuntur, de quo vide Caſſianum in I. de habitu monachor. 6. Paullo aliter habet Iſidorus in XIX. Orig. 33. poſt plura haec addit: *Hoc vulgo Bracile, quaſi Brachiale, vocant, quamvis nunc non brachiorum, ſed renum ſit cingulum*. Si renum erat cingulum, hinc jam intelligis *Bracile* a *braccis* fuiſſe appellatum, non a *brachiis*, & ob eamdem cauſſam dictum eſſe *ſuccinctorium*, quia renes *ſuccingebat*: Gloſſae MSS. apud Cangium in V. *ſuccinctorium*: *Succinctorium, bracae*. Male ergo mox Iſidorus hanc *ſuccinctorii* etymologiam tradit: *Succinctorium autem vocatum, quod ut dictum eſt, ſub brachiis ductum, alarum ſinum ambit, atque hinc inde ſuccingit*.

Digitized by Google

ſenſu, uſurparunt Horatius, Phaedrus aliique, a viris doctis neutiquam intellecti; apud quos *alte cinctum* illum interpretantur, cujus tunica cingendo fit brevior, ita ut fiat ad miniſtrandum expeditior. Falluntur; nam ALTE (ut ex allato Appuleji loco potes animadvertere) eo refertur, unde cinctura incipit, non quo veſtis adſtricta cinctu deſinit, ut apud Horatium in II. Sat. VIII. *puer alte cinctus acernam Gauſape purpureo menſam perterſit*. Phaedrus autem II. 5. *Ex alticinctis unus atrienſibus*. Heic quoque *Alticinctum* adnotatores interpretantur eum, qui ne impediatur, veſtem ita cingit, ut altior deſinat. Verum hos non moror: nam nec ſervis tunica niſi brevior erat (id quod in anaglyptis cernitur) & ipſe ſe Phaedrus interpretatur; ſtatim enim quid vocet *Alticinctum*, exponit: *Cui tunica ab humeris linteo Peluſio erat deſtricta, cirris dependentibus*. Quia linteum alte, & a ſummo pectore incipiebat, ut hodie in noſocomiis; ideo *Alticinctus* vocabatur: at ſi *ſemicinctium* adhibuiſſet, *ſuccinctum* illum nuncupaſſet. Cetera auctorum loca vide in ſubjecta (1) adnotatione.

Dixi *ſuccinctos* Graecis ὑπεζωσμένους appellatos. At *alte cinctos* Graeci quo nomine dixerint, neſcirem, niſi duplex ejus rei vocabulum mihi Cyrilli Gloſſae ſuppeditaſſent: Ἀνεζωσμένος, & Ἀνεσταλμένος· de quibus videbis in ſubjecta (2) adnotatione.

Ex huc uſque dictis luce clarius eſt, *ſuccinctos* eoſdem eſſe ac (ſi ſic loqui liceat) *ſemicinctos*, & *ſemicinctium* eſſe, quod a renibus incipit; quum contra integer cinctus (qualis erat *alticinctorum*) a ſummo pectore procederet. Nec piguit haec pluribus non minimo labore ediſſeruiſſe; pluribus enim Scriptorum locis non intellectis lux affuſa fuit.

(1) Seneca epiſt. 33. *Fortitudo, & induſtria & ad bellum prompta mens, tam in Perſas, quam in alte cinctos cadit*. Ibi Lipſius in not. Perſarum fluxam veſtem opponi putat curtae Romanorum, ut ex adſcripto Horatii loco potes deprehendere. At ea comparatio non belle procedit; quia Perſae manuleata, non item talari tunica utebantur, nam haec viris principibus ad genu uſque procedebat, plebeiis ad medium crus; uti Strabo teſtatur prope finem lib. XV. vide locum. Ergo Seneca fluxam ac diſſolutam Perſarum veſtem cum Romanorum alticinctorum tunica comparat, quae in ſummo etiam pectore, non modo in renibus, adſtringebatur, itaut brachia magis exſerta extarent, & fluxi nihil paſſim toto corpore aut ſinuoſi actibus impedimento eſſet. Alibi idem Seneca de Moecenate: *Putes alte cinctum dixiſſe*. Petronius: *Statores altius cincti*. Vide locum utrumque.

(2) In Cyrilli Gloſſario ſic legitur: Ἀνεζωσμένος: *Alticinctus*. Quod perquam eſt credibile; quis Ἀνὰ in compoſitione ſaepe *ſurſum* ſignificat. Ceterum καταχρηστικῶς Ἀναζώννυμι pro Διαζώννυμι bis apud Helleniſtas uſurpatum videtur: ſemel I. Petri I. 13. Ἀναζωσάμενοι τὰς ὀσφύας τῆς διανοίας, ubi Interpres tamen ἀκυρολογίαν propria locutione deterſit reddens, *ſuccincti lumbos mentis*: iterum in Graeco Prov. XXXI. 17. Ἀναζωσαμένη ἰσχυρῶς τὴν ὀσφὺν αὐτῆς, ubi Vulgatus. *Accinxit fortitudine lumbos ſuos*. Quamquam & uterque locus proprietate non carere videri poſſit. Quid enim? quia *mentis* lumbos prae oculis habuit Apoſtolus, idcirco dixit Ἀναζωσάμενοι i. e. *alticincti*: at interpres lumbos corporis ſpectavit. In loco vero Prov. Aquila & Theodotio pro ὀσφὺν poſuere τὸν νῶτον *dorſum* (putarunt enim eam quoque ſignificantiam ineſſe Hebraico vocabulo) ita fortis illa mulier non *ſuccincta*, ſed *alticincta* fuerit ex horum interpretum ſententia.

Adhaec in eiſdem Cyrilli Gloſſis reperitur: Ἀνεσταλμένος: *Alticinctus*. Quo id pacto verum, quum in vulgatis lexicis (vide lex. Jac. Cellarii & Nic. Honigeri Baſil. an. 1584. quod ad manus habeo) Ἀναστέλλω inter cetera reddatur *ſuccingo*? Sed non dubito, quin heic etiam τὸ Ἀνὰ *ſurſum* ſignificat (ut in eo quod citatur ex epig. ἀναστειλασ' ὀπωπὰς *ſurſum tollens oculos*) & Ἀναστέλλεσθαι τὸν χιτῶνα ſit *tunicam alte deſtrictam habere*, ſeu *alte cingi*. Atque eo fort. pertinet id, quod ex Apophthegmatis Plutarchi affert H. Steph. in Theſ. Ἀνεσταλμένην τῷ χιτῶνι καθήμενος ἐκ ὑπερπῶς: quem locum reperire non potui. Ex vulg. interpretatione affert Steph. *ſublata tunica*, ex aliis *ſurſum retracta*. Alias a Philelpho ſic redditum ait: *ſublata impeditaque tunica*. Nihil horum probo. Geſtirem videre locum. Interim ſic vertendum ſtatuo: *Alte deſtricta*, ſive *Alte cincta tunica ſedebat, praeter decorum*: nimirum quia ſervilis is cultus eſſet, ac miniſtrantium. At Varinus (certe ex aliquo vetere Grammatico) verbum Ἀναστέλλω exponit Ἀναφράττω. Hoc alterum verbum lexica ignorant: ſed tale eſt, quod poſſit ſignificare *Alte cingo*; ſicut διαφράττω & διάφραγμα idem ſunt quod διαζώννυμι & διάζωμα.

Poſtremo Taubmannus ad Plaut. Bacchides III. 3. 28. affert haec vocabula: Ὑψίζωνος, ὠζωνος *expeditus*. Prius illud ὑψίζωνος equidem nuſquam reperire potui. Sed non dubito quin in aliquo Gloſſario reperiatur. Vbiubi autem ſit; certe Latino *Alticinctus* (quomodo nos intelligendum ſtatuimus) per omnia reſpondet.

Digitized by Google

At ſero demum poſt quam haec ſcripſiſſem, incidi in egregium ac decretorium veteris Onomaſtici locum; in quo *ſemicinctium* (cor. *Semicinctium*) eſt Ὑπόζωμα. Rurſus in Philoxeni Gloſſis *Subcinctum* exponitur quoque Ὑπόζωμα. Nunc ſi quaeras, cur *ſemicinctium* idem quod *ſubcinctum* aut *ſubcinctium*; non aliud reſpondere licebit, niſi quia qui in renibus *ſuccinguntur*, ſunt *ſuccincti*, quum integer cinctus in *Alticinctis* tantum reperiatur.

Sed eo redeo, unde diverteram. *Semicinctium* & renes ſuccingebat, (unde & inſtrumenta opificio apta, & loculamenta nummorum ſuſpendebantur) & ſimul ventre praetentum, attritum & maculas amoliebatur a tunica. Adhaec tertius uſus erat, ut oris ſordes detergeret, infima ſcil. ſemicinctii parte ori applicita. Id quidem ex Graeco ſcholio ad Act. XIX. 12. quod ſup. pag. 297. e Stephano adſcripſi, luculenter patet. Niſi quod, quum equidem heic dixerim, illud lumbis adſtrictum, adhuc tamen ad detergendum os valuiſſe; contra ſcholion illud velit *ſemicinctium* (ἐν ταῖς χερσὶν) *in manibus habitum*. quod non convenit cum noſtro *Anteſino*, ſed cum ῥινομάκτρῳ (h. e. Arnobii *Muccinio*) ſeu Italico *Facioletto*. Verum res ita ſe habet. Vetus ſemicinctii uſus fuit, & *praecingere*, & operire ventrem, & ex conſequenti *oris ſordes purgare*, manu ſcil. illud adductum. At deinde & quadrata lintea prae manibus haberi ſunt coepta ad os detergendum, quae, quia ejuſdem formae erant ac ventralia ſemicinctia, hinc ea quoque *ſemicinctia* dicebantur. Theophylactus ad Act. XIX. 12. Τὰ δὲ σημικίνθια ἐν ταῖς χερσὶ κατέχουσιν οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορέσαι, οἷοί εἰσιν οἱ φορῦντες τὰς ὑπατικὰς στολάς. *Semicinctia prae manibus habent, quibus non licet oraria deferre, quales ii ſunt, qui conſularibus indumentis utuntur*. Hinc, ut alibi dixi, in conſularibus Diptychis, Biturienſi, Leodienſi, Compendienſi (quod & in VII. icone earum quae Graeco Cangii gloſſario praeponuntur potes animadvertere) quam mappulam conſul prae manibus habet, ea eſt ſemicinctium, Graecis φακιόλιον (unde Italicum *Facioletto*). At quid illud ſit in Theophylacto, *Qui non poſſunt oraria deferre*, id ne longum faciam, in ſubjecta (1) adnotatione tentabitur; ut & hoc quod Chriſtus ſemicinctio pedes diſcipulorum (2) perterſit, ac poſtremo de Plauti (3) cincticulo.

Antequam autem hinc diſcedo; illud quoque conſideraudum eſt, utrum *ſemicinctium* (quod inter veſtes pontificales apud ſequioris aevi ſcriptores recenſetur; quorum loca Cangii Gloſſarium ſuppeditabit) reſpondeat hodierno pontificis *Gremiali*, quod pontificis gremio ſuperponitur. Certe & quadrata *gremialis* forma, & locus, cui admovetur, & finis, id ſuadent. Nec refert, quod ſericeum ſit: nam antea, credo, lineum erat: ſicuti & laevi cubiti mappula (hodie *manipulus*) olim linea erat, nunc ſerica.

SPI-

(1) Semicinctia prae manibus habere Conſules Theophylacto dicuntur, οἱ μὴ δυνάμενοι ὠράρια φορέσαι, *qui nequeunt oraria deferre*. Id quale ſit ex Gloſſis MSS. Baſilic. apud Cangium conjici poteſt, in quibus Ὀθόνιαρια ſic definiuntur: Ὑφάσμα τὸ ἐπιμήκη ἄνα καὶ Ὠράρια παρά τινων λέγεται. ταῦτα δὲ οἱ παλαιοὶ ὑστέρους συγκλητικοὺς ἐπιφερόμενοι, ἐν αὐτοῖς καὶ ἀπεμύττοντο, καὶ ἀπίπτουσι. H. e. Ὀθόνια ſunt *vela oblonga, quae & oraria a quibuſdam dicuntur ea; veteres quum in Senatum adlegebantur, deferebant, iiſque & emungebant nares & deſpuebant*. Hinc quod ſupra diximus, a conſulibus prae manibus convolutum geri, id Cangius *Orarium* interpretatur. At brevius id videtur, praeut erat orarium, & ſupra ex Theophylacto didicimus, habitum fuiſſe prae manibus *ſemicinctium*. An ergo ex Theophylacto & Gloſſis adſcriptis ſic componenda res eſt, ut συγκλητικοὶ quidem *orarium* detulerint: id vero quia conſulari cultu veſtitis deferre indecorum erat (id enim fort. eſt Theophylacto οἱ μὴ δυνάμενοι) idcirco *ſemicinctia*, utpote breviora, manu praetulerint. Cangius in Gloſſ. V. *ſemicinctium* rejicit nos ad ſuam CPolim Chriſtianam, ubi in tabellis Graecanicis, in quibus orarium in dextro femore a cingulo dependet. Vtrum id huc faciat, ignoro.

(2) Jo. XIII. 5. *Coepit lavare pedes diſcipulorum, & (* ἐκμάσσειν τῷ λεντίῳ, ᾧ ἦν διεζωσμένος) *extergere linteo, quo erat praecinctus*; ſive *ſuccinctus*; utrumque enim latini dicebant pro Graeco διεζωσμένος. Linteum autem illum fuiſſe *ſemicinctium* & ſup. not. (a) oſtendi, & diximus ad Joannem.

(3) Plautus Bacchidibus III. 3. 23.

Inde de hippodromo & palaeſtra ubi reveniſſes domum
Cincto praecinctus in ſella apud magiſtrum aſſideres,
Quum librum legeres, ſi unam peccaviſſes ſyllabam,
Fiet corium tam maculoſum, quam eſt nutricis pallium.

Non dubito quin *Cincticulum* ſit ſemicinctium, tum quia diminutivae eſt formae, tum quia eo *praecingebantur*, non *altecingebantur*. Et hinc diſces pueros in ludo ſemicinctio munitos fuiſſe ne veſtem colnquinarent, non ſecus ac artifices ceteros.

Digitized by Google

SPICILEGIVM

OBSERVATIONVM LITTERALIVM

IN PAVLI EPISTOLAS

AD ROMANOS

AD ROM. I. 8.

QVIA *fides veſtra annuntiatur in univerſo mundo*] Hoc de ſe teſtimonium uſurpat Clerus Romanus epiſt. inter Cyprianicas 31. *Quoniam nec tantas de nobis laudes Apoſtolus protuliſſet dicendo, quia fides veſtra praedicatur in toto mundo; niſi jam exinde vigor iſte radices fidei de temporibus illis mutuatus fuiſſet.* Cypr. ep. 55. *Eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo praedicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Hieronymus ad Gal. laudari Romanos dicit: *Quod devotio in eis major ſit, & ſimplicitas ad credendum.* Bachiarius in apologia ſua to. 2. Analector. Muratorii: *Si pro culpa unius, totius provinciae anathemanda generatio eſt, damnetur & illa beatiſſima diſcipula, h. e. Roma, de qua nunc non una, ſed duae vel tres, aut eo amplius haereſes pullularunt; & tamen nulla earum cathedram Petri, h.e. SEDEM FIDEI, aut tenere potuit, aut movere.* Sed & idem Cypr. ep. 57. de Cornelii & aliorum Romanorum confeſſione: *Claruit, fratres cariſſimi, fides, quam de vobis beatus Apoſtolus praedicavit. Hanc laudem virtutis & roboris firmitatem jam tunc in ſpiritu praevidebat, & . . . dum parentes laudat, filios provocat.*

AD ROM. I. 14.

Graecis ac Barbaris] Celebris haec ſumma τῆς οἰκουμένης diviſio εἰς τὸ Ἑλληνικὸν καὶ τὸ βαρβαρικὸν olim fuit: id quod vel pueri norunt. Plato autem diviſionem hanc humani generis in Politico reprehendit. Ad haec Alexander, cum ei Ariſtoteles ſuaſiſſet, ut Graecis ἡγεμονικῶς, Barbaris autem δεσποτικῶς uteretur, itemque ut illorum tanquam amicorum ac domeſticorum curam gereret, in hos autem non ſecus atque in brutas animantes aut plantas ſe animatum praeberet: adeo non acquievit ei conſilio, ut eam partitionem ſumme improbaret, ſatius eſſe dicens, virtute ac malitia homines inter ſe dividi ac diſtingui; itaque quoſcunque nanciſci potuiſſet homines egregios, amplexum fuiſſe ac beneficiis ornaſſe. Vide de his Plutarchum de fortuna Alexandri. Vide etiam Strabonem extremo libro primo, ubi & Eratoſthenes Alexandri ſententiam commendans inducitur. Haec ſane Apoſtolorum praedicationi praeluſerunt, apud quos nulla προσωπολημψία valuit, nullum eſſe diſcrimen ratos inter Judaeum & Graecum, nec rurſum inter Graecum & Barbarum, ſed ex omni gente, quae facit juſtitiam, acceptos eſſe Deo.

AD

Digitized by Google

AD ROM. I. 30.

Deo odibiles] Vtitur hoc vocabulo Lampridius Heliogabalo cap. 18. *Ita odibilis, ut ejus nomen Senatus eraſerit.* Idem eadem vita *pudibilis* uſurpavit.

AD ROM. II. 28. 29.

Non enim qui in manifeſto, Judaeus eſt . . . ſed qui in abſcondito] Huc alludit Euſebius lib. de Martyribus Palaeſt. cap. XI. de eo martyre narrans, qui proprio diſſimulato nomine ſibi prophetae alicujus nomen adſciverat. Quae enim τῶν ἐν κρυπτῷ Ἰουδαίων ibi eſt mentio, ex hoc Pauli loco fluxit. Vide Valeſium in notis.

AD ROM. III. 20.

Per legem enim cognitio peccati] Fuſius in hoc argumento verſatur infra VII. 7. 8. In eandem ſententiam Cic. pro Sex. Roſc. cap. 25. *Sapienter feciſſe dicitur* (Solon) *cum de eo* (parricidio) *nihil ſanxerit, quod antea commiſſum non erat; ne non tam prohibere, quam admonere, videretur.* Or. pro domo: *Neque erat cauſſa, cur prohibendo, non tam deterrere videretur, quam admonere.*

AD ROM. III. 23.

Omnes enim peccaverunt & egent gloria Dei.] Aeſtuant interpretes, quid heic *gloriae* (Gr. τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ) nomine veniat. Ego non dubito, quin *lux Dei* intelligatur. Sermone Helleniſtico δόξα eſt lumen. Exempla ſunt obvia.

AD ROM. IV. 6.

David dixit beatitudinem viri &c.] Gr. τὸν μακαρισμὸν τοῦ ἀνθρώπου pro eo quod eſt, μακάριον τὸν ἄνθρωπον. Phraſis eſt Helleniſtica, qua illud Davidicum αὐτολεξεὶ exprimitur אשרי האיש *aſcre-haiſc.*

AD ROM. V. 7.

Vix enim pro juſto quis moritur &c.] Multa apud veteres exempla jactantur eorum, qui ſe pro amicorum ſalute devoverint, quae hic cumulare non eſt otium; ſunt enim innumera. Eo alludit Apoſtolus. Nam contra nulla proditur cujuſquam hiſtoria, qui pro impiorum incolumitate caput ſuum objecerit.

AD ROM. V. 12.

Per unum hominem peccatum in hunc mundum intravit, & per peccatum mors; & ita in omnes homines mors pertranſiit &c.] Apud veteres ante Chriſtum philoſophos ne fando quidem auditum, mortem homini poenalem: nec iis unquam venit in mentem dubitare, quin homini mors naturalis eſſet. Soli ante Chriſtum Judaei norunt, per quas rimas mors pervaſerit. Vide Sap. II. 24. Eccli. XXV. 24. & Chaldaeum Paraphraſten ad Ruth. 14. Chriſtiani idipſum edocti ab Apoſtolis (ut patet hinc & infra VI. 23.) Pelagium alia omnia ſentientem, ut haereticum, habuerunt. At Chriſtianorum ſaeculorum pagani ſicut multa ſive a Chriſtianis ſive Judaeis hauſerunt, hoc etiam didiciſſe videntur. Certe in Campana inſcriptione (quam ex Camillo Peregrinio refert Reineſius Cl. XIV. 20. quamque cum ipſo marmore a me collatam, emendatiorem ſubjicio) mors *poena hominis* dicitur. In ea ſic legitur:

VNA:

Digitized by Google

VNA · DIES · ADIMIT · CRVDELI · CLADE · PEREMPTAS
QVIS · ARA · HAEC · POSITA · ST · POENA · HOMINIS · MISERI
FILIA · NAMQVE · PERIT · PERIT · ET · MATER · EVNDEM
DESERIT · ILLA · PATREM · DESERIT · ILLA · VIRVM

Adde Ravennatem titulum C · PVBLICI · C · F · AMPLIATI · (apud Fleetwood pag. 321. n. 1.) cujus fine Ampliatus ſic loquens inducitur:

TEMPERA · IAM · GENITOR · LACRIMIS · TVQ · O · OPTIMA ; MATER
DESINE · IAM · FLERE · POENAM · NON · SENTIO · MORTIS
POENA · FVIT · VITA · REQVIES · MIHI · MORTE · PARATA · EST ·

Confer dicta ad Kalendar. Marmor. Neap. ad 18. Jun. Adnot. 418.

AD ROM. VIII. 17.

Si autem filii & heredes &c.] Exhibet paullo aliter hunc locum Cyprianus epiſt. 56. *Si autem filii Dei, & heredes Dei, coheredes autem Chriſti, ſi quidem compatimur, ut & commagnificemur.*

AD ROM. VIII. 18.

Non ſunt condignae paſſiones hujus temporis ad futuram gloriam, quae &c.] Gr. πρὸς τὴν μέλλουσαν δόξαν. quod redditur *ad ſuperventuram claritatem* apud Cypr. tum in fine epiſt. 56. tum epiſt. 72. ad Nemeſianum & alios, & ep. de exhort. Martyrii ad Fortun. c. 12. ac poſtremo III. Teſtim. 17. Sic etiam apud eundem Cyprianum ep. 56. illud I. Pet. IV. 13. recitatur: *Vt & revelatione facta claritatis* (Gr. δόξης) *ejus* &c. Ex his patet apud antiquos (non ſecus ac *cabod* apud Hebraeos) *gloriam* & δόξαν idem valuiſſe ac claritatem ſive ſplendorem tum in hiſtoria Transfigurationis, tum alibi ſaepiſſime.

AD ROM. VIII. 28.

Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum] Gr. πάντα συνεργεῖ εἰς ἀγαθόν. Similis eſt illa locutio Capitolini vita Maximini cap. 13. *Nihil denique praetermitteret, quod ad crudelitatem videretur operari.*

AD ROM. VIII. 35.

An perſecutio? an gladius?] Gr. διωγμὸς tertio loco numeratur. Nec alio ordine citant hunc locum Moyſes & ceteri MM. epiſt. ad Cyprianum, quae eſt inter Cyprianicas 26. Qui primum *perſecutionem* loco moverunt, & cum *gladio* junxerunt, videntur ſpectaſſe ad perſecutiones illas contra Eccleſiam celeberrimas, ex quibus tot millia martyrum gladio occubuerunt.

An gladius?] Figurate ſpecies una nobilior pro univerſo genere, & omni gravi coërcitione ponitur. *Typus* id appellatur a Boethio in Topicis.

AD ROM VIII. 37.

Sed in his omnibus ſuperamus propter eum, qui dilexit nos] Gr. ὑπερνικῶμεν, quod veteres ad verbum verterunt *ſupervincimus:* ſic enim habent Martyres ad Cyprianum epiſt. inter Cyprianicas 26. (etſi Baluzius in notis adnotat, in quibuſdam veteribus libris reperiri *ſperamus*, & in lib. Cypriani de exhortatione ad mar-

Digitized by Google

martyrium: reſcribe *ſuperamus*). Cyprianus quoque III. teſtimonior. 18. habet *ſupervincimus*: ſic etiam Tertullianus Scorpiaco: Auguſtinus IV. de doctr. Chriſtiana 20. & II. de civ. 23. & in epiſtola Evadii ad Auguſtinum.

AD ROM. VIII. 38.

Neque virtutes] Gr. τὰς ἐναντίας δυνάμεις, malos utique Spiritus, memorat Plato in X. de legibus pag. 608.

AD ROM. X. 10.

Corde enim creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem] Nulla heic ἀντίθεσις inter fidem internam & confeſſionem, ac rurſus inter juſtitiam & ſalutem, tanquam ſi illa ad juſtitiam, haec ad ſalutem requiratur; ſed uti ℣. praecedente, ſic & heic utrunque copulatur, aeque enim utrunque ad *ſalutem* & *juſtitiam* eſt neceſſarium. Ferme apud Graecos μὲν & δὲ copulative adhibentur, ut τοῦτο μὲν, τοῦτο δὲ &c. Itaque verti poſſit: *Nam ad juſtitiam & ſalutem conſequendam tum corde credi, tum & ore confeſſionem edi oportet*; idque ſibi velle ſignificat allegatum Deut. XXX. 14. teſtimonium, quo oris & cordis mentio fiebat: vide ſupra ℣. 8. De oris confeſſione praeclarus exſtat Cleri Romani locus epiſt. 31. inter Cyprianicas de iis, *qui ſeipſos infideles illicita nefariorum libellorum profeſſione prodiderant*: de quibus ſic ibi legitur. *Et cum totum fidei Sacramentum in confeſſione Chriſti nominis intelligatur eſſe digeſtum, qui fallaces in excuſatione praeſtigias quaerit, negavit; & qui vult videri propoſitis adverſus Evangelium, vel edictis, vel legibus ſatisfeciſſe, hoc ipſo jam paruit, quod videri paruiſſe ſe voluit.*

AD ROM. X. 17.

Ergo fides ex auditu.] Paulum, qui poëtas norit, eorumque dicta uſurparit, philoſophiae & τῶν ἔξω μαθημάτων non fuiſſe imperitum, facile mihi perſuadeo, praeſertim Tarſi natum h. e. in civitate literarum laude florentiſſima. Strabo lib. XIV. pag. 463. Τοσαύτη τοῖς ἐνθάδε ἀνθρώποις σπουδὴ πρός τε φιλοσοφίαν, καὶ τὴν ἄλλην ἐγκύκλιον ἅπασαν παιδείαν γέγονεν, ὥσθ' ὑπερβέβληνται καὶ Ἀθήνας καὶ Ἀλεξανδρείαν, καὶ εἴτινα ἄλλον τοπον &c. *Tantum his hominibus* (Tarſenſibus) *philoſophiae ſtudium, diſciplinarumque quas encyclias vocant, ut & Athenas, & Alexandriam, aliaque loca ea laude florentia, ſuperarint.* Quare ſuſpicatus ſum aliquando, Paulum hic reſpexiſſe ad celebrem quaeſtionem, viſui ne an auditui priores partes ſint deferendae. Non una quippe veterum de hac re ſententia fuit. Non loquor hîc de teſtibus in judiciis, quo in genere oculatis, quam auritis, longe plus tribuitur; modo de ὁρατοῖς in judicio agatur, nam ſi de ἀκουστοῖς, tum auriti oculatorum loco erunt. Loquor autem comparate ad ἐπιστήμην, utrum ne oculus an auris ſit praeſtantior. Polybius τὴν ὄρασιν longe praeferebat, eo quod auctore Heraclito, ὀφθαλμοὶ τῶν ὤτων ἀκριβέστεροι μάρτυρες. Eadem de cauſa Ariſtoteles multis locis videndi ſenſum potiorem ſtatuit: idem tamen initio lib. de ſenſu & ſenſilib. auditum longe praeſtare ait εἰς φρόνησιν. Contra vero Strabo lib. II. pag. 117. ait: Ὁ δ' ἀξιῶν μόνους εἰδέναι τοὺς ἰδόντας, ἀναιρεῖ τὸ τῆς ἀκοῆς κριτήριον, ἥτις πρὸς ΕΠΙΣΤΗΜΗΝ ὀφθαλμῷ πολὺ κρείττων ἐστί. *Qui vero contendit eos ſolos ſcire, qui viderint, nae is auditus judicium de medio tollit, ad comparandam ſcientiam viſu longe potioris.* Vide Caſaubonum in hunc locum, a quo veterum ſuper hac quaeſtione ſententias hauſimus; qui

Digitized by Google

qui & diffidentes antiquorum ἀπαφάσεις sic conciliat, ut quanquam certius sit oculi judicium, tamen quia ad pauca pertinet & extenditur, iccirco auscultatio πρὸς ἐπιστήμην sit longe utilior. Suffragatur Straboni Lactantius Instit. III. 9. *Quid quod plus est in auribus, quam in oculis situm? quoniam doctrina & sapientia percipi auribus potest, oculis solis non potest.* Plautus dixerat: *Plus valet oculatus testis unus, quam auriti decem.* Sed apud Apuleium initio primi Floridorum libri, Socrati cum Plauto non convenit, cujus versum sic convertit: *Pluris est auritus testis unus, quam oculati decem.*

Hoc ipso vero quod veteres digladiabantur, utri ex his duobus sensibus ad scientiam potiores partes essent tribuendae; fatebantur omnes utrunque magnas afferre utilitates. Ad haec philosophorum dissidia attendens hîc forsitan Paulus, statuit, in ea facultate, quae veteribus incognita, πίστις est appellata, rem aliter procedere; in ea quippe nullas esse τῆς ὁράσεως partes, quandoquidem unius auditus ministerio Fides in animos infunditur.

AD ROM. XI. 8.

Dedit illis Deus spiritum compunctionis] Cyprianus ep. 55. habet *spiritum transpunctionis*. In Isaia XXIX. 10. unde illa afferuntur, legitur hodie: *Miscuit vobis Dominus spiritum soporis:* ibi LXX. ad Cypriani mentem κατανύξεως: sed Theodotio ἐκστάσεως, Aquila καταφορᾶς.

AD ROM. XII. 3.

Non plus sapere, quam oportet sapere] Demonax Comicus apud Stobaeum pag. 113. editionis Grotii:

Θνητοὶ γεγῶτες, μὴ φρονεῖσθ' ὑπὲρ θεούς.
Supra Deos ne sapite, mortales sati.

AD ROM. XII. 10.

Caritate fraternitatis invicem diligentes] Gr. φιλαδελφία non tantum hîc jubetur, sed & I. Thes. IV. 9. Heb. XIII. 1. & I. Petri I. 22. & 2. Pet. I. 7. Sicut & φιλάδελφος occurrit 2. Mac. XV. 14. & I. Pet. III. 8. Exstat & Plutarchi liber περὶ φιλαδελφίας, sed strictiore significatione, non qua Hebraei se omnes fratres nuncupabant.

AD ROM. XII. 15.

Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus] Victor Vitensis lib. V. habet sic: *Gaudentibus collaetari, & cum lugentibus lamentari.*

AD ROM. XII. 19.

Sed date locum irae] Gr. ἀλλὰ δότε τόπον τῇ ὀργῇ. Τόπος heic idem videtur, quod apud Liv. *spatium* (ad deliberandum scil.) nam interjecto temporis spatio ira facile defervescit, maxime accedente consilio. Livius, uti dixi, II. ad finem cap. 56. in oratione Quintii cos. *Darent irae spatium: non vim suam illis tempus adempturum, sed consilium viribus additurum.*

AD ROM. XII. 21.

Vince in bono malum.] Hinc Christiani veteres finxerunt *Vincomali* nomen. In Coemet. S. Cyriacae apud Aringhium & Reines. XX. 223. VINCOMALVS QVI VIXIT AN. VII.

Digitized by Google

AD ROM. XIII. 1.

Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit] Gr. ἐξουσία, ſive poteſtas, quid ſit, expoſuimus ad Jo: XIX. 10. *Non eſt enim poteſtas niſi a Deo.*

AD ROM. XIII. 4.

Non enim ſine cauſſa gladium portat] Gladius meri imperii ſeu poteſtatis inſigne fuit. Hinc eſt quod Vlpianus merum imperium definit *l. imperium ff. de juriſd.* in hunc modum: *Eſt poteſtas gladii ad animadvertendum in facinoroſos.* Quae non tam ὁρισμὸς eſt, quam τύπος. ſic enim appellatur a Boethio in Topic. cum eminentior aliqua una ſpecies pro genere univerſo ponitur. Qui merum habebant imperium, gladio ſuccingebantur (de praefecto praetorio diſerte Dio prodidit, eum gladio ſibi ab imperatore tradito ſuccinctum fuiſſe) id enim, uti dixi, imperii merì σύμβολον fuit.

AD ROM. XIII. 8.

Nemini quidquam debeatis, niſi ut invicem diligatis] Gr. Μηδενὶ μηδὲν ὀφείλετε, εἰ μὴ τὸ ἀγαπᾶν ἀλλήλους. Elegans uſus verbi ὀφείλω de rebus incorporeis, ut ὀφείλειν χάριν, *debere gratiam:* ὀφείλειν εὐεργεσίαν, *debere beneficium*: ſic & ὀφείλειν μῖσος, ἔλεος, & alia id genus. Sic Horatius *debere ludibrium* dixit. At heic *non debere*, tantundem eſt quod perſolvere; cujus locutionis exempla apud latinos haud pauca occurrunt. Cicero in II. de legibus: *Tibi horum nihil deberi poteſt* h.e. nihil non eſt perſolvendum. Et eadem notione *debere*, eſt, non perſolvere. Idem Cic. IV. ad Att. 2. *Itaque oratio juventuti noſtrae deberi non poteſt*: vult ſcilicet in uſum juventutis edendam fuiſſe. Tuſcul. V. *Sed tibi hoc video non poſſe deberi.* Lib. 3. de Orat. *An me tam impudentem eſſe exiſtimatis, ut vobis hoc praeſertim munus putem diutius poſſe debere?* Ceterum cur recte exceperit Apoſtolus, *Niſi ut invicem diligatis*, jam expoſuerunt interpretes, nimirum enim caritas nunquam tota perſolvi poteſt, neque ullus finis eſt caritatis debendae.

Legem implevit] Hanc locutionem in probatis auctoribus grammatici invenerunt. Ovid. III. Am. I. ℣. 30.

Implebit leges ſpiritus ille meas.

Quintil. decl. XV. *Sentit crimen, quod detulit, nec nomine, nec adfectu ſcriptionem legis implere*, h. e. non eſſe tantum, quantum lege illa deſcriptum deſignatumque erat. Poſterius exemplum locutiones illas tuetur: *ut impleretur ſcriptura* &c.

AD ROM. XIV. 2.

Alius enim credit, ſe manducare omnia: qui autem infirmus eſt, olus manducet.] Graece ſic: Ὃς μὲν πιστεύει φαγεῖν πάντα, ὁ δὲ ἀσθενῶν λάχανα ἐσθίει. Priore commate viris eruditis aqua haeret, hebraiſmum ſcilicet heic quaerentibus, qui elegans eſt Graeciſmus. Eſt enim ἔλλειψις verbi δεῖν, ſive infinitivum activum pro participiali uſurpatur, ut integra oratio ſit πιστεύει φαγεῖν δεῖν, aut φαγητέον (etſi φαγητέον iſtud σόλοικον eſt, ſed tamen παραδείγματος cauſa heic poſui) *Alius credit omnibus eſſe veſcendum.* Hujus graeciſmi exempla non pauca apud optimos ſcriptores reperiſſe me memini.

AD ROM. XIV. 4.

Tu quis es, qui judicas alienum ſervum? Domino ſuo ſtat aut cadit: ſtabit autem:

Digitized by Google

tem: potens eſt enim Deus ſtatuere illum.] Antequam de ſententiae explanatione cogitemus, quid οἰκέτης, quid στήκειν & πίπτειν heic loci ſint, videamus. Atque ut a poſterioribus vocibus incipiam, non aſſentior viris eruditis, qui *ſtare & cadere* judicialia heic verba eſſe contendunt. Heic quidem certe alio ſignificatu ſunt poſita. Τὸ πίπτειν quidem pro *mori* uſitatiſſimum tum profanis Scriptoribus eſt, tum vero etiam Graecis Interpretibus. Vide Graecam interpretationem Job. XIV. 10. Jer. XVIII. 21. Js. XXVII. 3. Amos VIII. 3. quibus locis exſpirandi aut ſimilia verba Hebraice reſpondent. Jam vero ubicunque נפל *naphal* pro *occumbo* (quod frequens eſt) ponitur, ibi interpretes πίπτω poſuerunt. Hinc etiam porro factum, ut ejus contrarium ἵσταμαι, (pro quo in Novo Foedere στήκω octies uſurpatur, ex profanis autem ab Alex. Aphrod. lib. I. probl. πλησίον στήκοντες) pro *vivo* ponatur, idque Helleniſtarum more, ut ecce Pſ. XXXVIII. 8. ματαιότης πᾶς ἄνθρωπος ζῶν in LXX. legitur: ſed quia Hebraice ſtandi aut ſtatuendi verbum reſpondet, ibi Aquila ἑστηλωμένος, Symmachus ἑστὼς uſurpavit. Nec dubium eſt, quin μεταφορικὴ vita heic ſit intelligenda, quemadmodum ſimili antitheſi I. Cor. X. 12. (ὁ δοκῶν ἑστάναι, βλεπέτω μὴ πέσῃ) uſurpatur. Viſo quid στήκω & πίπτω valeant, de οἰκέτης porro videamus. Οἰκέτης nomen ſervile eſt tum apud LXX. qui ſic *ebed* interpretari ſolent, tum apud profanos; & quidem infimae ſortis ſervi erant, quod illud Syracidae XXXIII. 31. notat: καὶ οἰκέτῃ κακοῦργῳ στρέβλαι καὶ βάσανοι. Omnino illud verum eſt, quod ab Athenaeo VI. 19. ex Chryſippo traditur, hoc inter δοῦλον & οἰκέτην intereſſe, quod qui manumiſſi eſſent, adhuc δοῦλοι dicerentur, οἰκέτας δὲ τοὺς μὴ τῆς κτήσεως ἀφειμένους h. e. *qui nondum de poteſtate exierint*, intelligerent ὁ γὰρ οἰκέτης, φησι, δοῦλός ἐστι κτήσει κατατεταγμένος h. e. *is* οἰκέτης *eſt, qui in bonis poſſidentis cenſetur:* cum contra δοῦλος is etiam intelligatur, qui manu fuerit miſſus, nec amplius in bonis illius ſit, etſi operas praeſtare domino teneatur. Ex eo fit, δοῦλον quidem illum manumiſſum ſibi vivere & mori, contra οἰκέτην Domini commodis vivere, ejuſdemque damno mori. Ergo non temere eſt, quod οἰκέτης potius quam δούλου nomen heic uſurpatum fuit, ut oſtenderetur, eum ſervum, qui in alterius bonis cenſeretur, nihil ad noſtram curam pertinere, utrum vivat an moriatur, utrunque enim Domino ſuo facit, cui uni vivit aut moritur. Ac mirum eſt hanc, quam dixi, hujus loci ſententiam non vidiſſe interpretes, cum hoc ipſum infra ℣. 8. repetatur, ſed ita ut hujus comparationis, quae heic inſtituitur, ℣. 8. ſubnectatur ἀπάδοσις. Nam ſicuti uniuſcujuſque οἰκέτης *Domino ſuo ſtat aut cadit* h.e. Domini ſui, in cujus bonis cenſetur, commodo damnove vivit moriturve: ſic nos, utpote Chriſti οἰκέται (in ejus enim bonis cenſemur ex vi paternae pollicitationis illius: *Poſtula a me & dabo tibi gentes hereditatem tuam & poſſeſſionem tuam terminos terrae*) *Sive vivimus, Domino vivimus, ſive morimur, Domino morimur; ſive ergo vivimus ſive morimur, Domini ſumus*, ut infra ℣. 8. dicitur.

Domino ſuo ſtat aut cadit] Eadem antitheſi I. ad Cor. X. 12. Inde ſaeculo Cyprianico ſumptum, ut qui ſacrificaſſent, *lapſi*, ceteri *ſtantes* dicerentur. De *lapſis* fruſtra auctoritates afferrem. De ſtantibus martyres ad Cyprianum epiſt. inter Cyprianicas 26. pacem dandam lapſis cenſer *nſultis omnibus epiſcopis, preſbyteris, diaconibus, confeſſoribus, & ipſis ſtantibus laicis.* Vbi ſtantes &

Digitized by Google

a lapsis & confessoribus distinguuntur. Alibi apud Cyprianum stantium plebem legisse memini. Adhaec Clerus Romanus epist. inter Cyprianicas 27. *Quando Ecclesia in Episcopo & Clero, & in omnibus stantibus sit constituta. Absit enim ... ut Ecclesia esse dicatur Lapsorum numerus.* Idem Clerus Rom. ep. 30. *Si pro ipsis preces stantium* (heic peculiariter confessores intelliguntur) *humilitate ipsorum adjutae fuissent.* Rursus idem Clerus epist. 31. *Deinde sic collatione consiliorum cum episcopis, presbyteris, diaconis, confessoribus pariter ac stantibus laicis facta, lapsorum tractare rationem.* Infra: *Oremus pro lapsis ut erigantur, oremus pro stantibus, ut non ad ruinas usque tententur.*

AD ROM. XIV. 9.

In hoc enim Christus mortuus est & resurrexit, ut & vivorum & mortuorum dominetur] Hactenus ab usque ℣. 4. nos in Christi potestate & bonis esse, ut servos in heri sui, demonstrarat. Nunc illud inferendum erat, quo jure nos acquisierit. Redemptionis; respondet. Nam vetus lex Attica fuit, puto & aliarum gentium, ut redemptus ex hostibus illius esset, qui redemisset, nisi alioquin redemptus redimenti redimias (sic glossae veteres τὰ λύτρα reddunt) restituisset. Eam legem sic recitat Demosthenes in Nicostratea: τῦ λυσαμένυ ἐκ τῶν πολεμίων εἶναι τὸν λυθέντα, εἰ μὴ ἀποδιδῶ λύτρα. Omnino enim redemptio tantundem est, quod emtio; unde & Paulus alibi emptionis vocabulo utitur: *Emti enim estis pretio magno.* Et quidem Morte Christi persolutum est pretium, & jus acquisitum; sed post reviviscentiam tum demum possessionem iniit: quocirca illud *& resurrexit* non frustra est additum; ut sic demum plenam dominationem exercere intelligeretur.

AD ROM. XV. 1.

Debemus autem nos firmiores imbecillitates infirmorum sustinere] Gr. Ἀδύνατοι qui sint, diximus ad Act. XIV. 7. Eadem quippe heic notio est, quamvis metaphorica. Itaque potest hoc de allevandis debilibus (de claudis inquam μεταφορικοῖς) intelligi. Sed tamen quia Paulus non βαστάζειν ἀδυνάτυς sed ἀδυνάτων ἀσθενήματα dixit, eo labor, ut putem, βαστάζω heic pro ἀποβαστάζω i.e. *aufero* positum, ut plerisque aliis N. T. locis; de quo significatu vide dicta ad Joh. XII. 6. Jubet igitur Paulus nos dare operam, nequa offensionis ansa infirmioribus detur: idque sibi vult *infirmiorum infirmitates auferre.* Nihil verius; idque orationis συνέχεια postulat. Tum vero secundum hanc interpretationem, *infirmus* est probe Latinum. Hor. I. Serm. IV.

. . . *Sum paullo infirmior, unus*
Multorum.

AD ROM. XV. 4.

Ut per patientiam & consolationem scripturarum] Graecum παράκλησις nonnumquam παραίνεσιν (*adhortationem*) notat ut ad Cor. XIV. 3. ubi Latinus vertit *exhortationem.* Sed & Latinum *consolatio* tantumdem apud Ecclesiae Scriptores interdum est, quod παραίνεσις. Hinc quod in Actis Sinceris SS. Nicandri & Marciani (apud Henschenium die 17. Junii pag. 271. initio sect. 3.) uxor Nicandri eum παραινοῦσα dicitur, hoc reddidit vetus interpres Actorum Bodecensium, *Consolabatur* h. e. *hortabatur.* Etiam seq. versu forsitan vox παρα-

Digitized by Google

παρακλήσεως (*consolationis*) est ea consolatio, quae a Divino monitu (sive per scripturas sive per internos instinctus) proficiscitur.

I. AD CORINTHIOS.

AD I. COR. I. 18.

Verbum enim crucis pereuntibus quidem stultitia est &c.] Clarissimus est Hebraismus, nec tamen animadversus. Nam τὸν λόγον τὸν τῦ σταυρῦ *verbum crucis* sic interpretantur, ut sit sermo de cruce, sive Redemtoris scilicet, per quam servati & liberati sumus, sive uniuscuiusque nostrum, quae & ipsa necessaria est ad salutem. Equidem non repugnarem, maxime propter id quod praecedit *Non in sapientia verbi*, cui opponitur sermo de cruce. Verum si id voluit Apostolus, dixisset ὁ λόγος ὁ περὶ σταυρῦ. Nunc ὁ λογος ὁ τῦ σταυρῦ merus est Hebraismus, neque est aliud quam דבר *dabar* sive τὸ πράγμα i. e. negotium crucis, sive crux ipsa. Id quod non minus quadrat scopo Apostoli, quam si dixisset *Oratio de cruce*.

AD I. COR. II. 10.

Spiritus enim omnia scrutatur, etiam profunda Dei] Gr. τὰ βάθη Afri *altitudines* verterunt, quod eodem recidit; sic enim in Professione apud Victorem Vitensem III. 13. posuerunt : *etiam altitudines Dei*.

AD I. COR. II. 11.

Quis enim hominum scit quae sunt hominis, nisi spiritus hominis, qui in ipso est? ita & quae Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei] Afri interrogationem abstulerunt, eamque ut in talibus fit, negante particula compensarunt; sic enim legitur in Afrorum professione fidei apud Victorem Vitensem lib. 3. c. 13. *Sicut nemo scit hominum, quae sunt hominis, nisi spiritus ejus, qui in ipso est; ita nemo scit, quae sunt Dei, nisi Spiritus Dei*.

AD I. COR. III. 6.

Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit] Non admodum dissimile est illud Procli lib. 1. in Timaeum Platonis pag. 61. editionis Graecae Basileensis: Τίμαιος γεννᾷ τὺς ἄνδρας, ὁ δὲ Σωκράτης παιδεύει, ὁ δὲ Κριτίας εἰς πράξεις προάγει, ὁ δὲ Ερμοκράτης εἰς λόγυς.

AD I. COR. III. 19.

Scriptum est enim : Comprehendam sapientes in astutia eorum] Verba sunt Eliphazi Job. V. 13. *Sapientes* heic tantumdem quod *astuti*: quae duo nomina Hebraice & Hellenistice confunduntur. Sic Prov. XIII. 1. pro חכם *sapiens*, Graeci πανῦργος posuerunt. Et Gen. XXVII. 35. *Venit frater tuus* (במרמה *bemirmah*) *fraudulenter*; Chaldaeus בחוכמא *in sapientia*. Sic etiam Gen. XXXIV. 13. pro Hebraeo במרמה *in dolo*, item Chaldaeus *in sapientia* posuit. Sed & Prov. XIV.

XIV. 8. tam Hebraice quam Chaldaice *ſapientia callidi* legitur. Nec alia eſt ſapientia, in qua ſibi placet vaferrimus ille apud Ter. ſervus:

Incredibile eſt quanto herum anteeo ſapientia.

AD I. COR. IV. 2.

Vt fidelis quis inveniatur] Gr. Ἵνα πιστός τις εὑρεθῇ. Apud Paulum εὑρίσκεσθαι ſaepiſſime pro δοκιμάζεσθαι uſurpatur: eo plane modo, quo Galli dicunt: *je le trouve tres ſavant*, & alia in hunc modum. Ita & S. Ignatius epiſt. ad Magneſios: Ἵνα εὑρεθῶμεν μαθηταὶ Ἰησοῦ Χριστοῦ. Epiſt. ad Trallianos. Ἐν ᾧ διάγοντες εὑρεθησώμεθα. Ibidem: Ἵνα μὴ ἀδόκιμος εὑρεθῷ. Ad Romanos ex vetere Interprete Huſſeriano: *ut mundus panis inveniar*. Vide & 2. Petri III. 14. & alibi in N. T. Vetus eſt autem apud Helleniſtas hic verbi uſus. Sap. VIII. 11. Οἷς εὑρεθήσομαι ἐν κρίσει. Eccleſiaſtici XX. 5. εὑρισκόμενος σοφός, & XLIV. 17. Νῶε εὑρέθη τέλειος δίκαιος. I. Mach. II. 52. ἐν πειρασμῷ εὑρέθη πιστός. Verbum מצא *Matſa* eundem habet uſum Eccleſiaſtis VII. 26. ומוצא *umotse* &c. ubi LXX. vertunt: Καὶ εὑρίσκω ἐγὼ αὐτὴν πικροτέραν ὑπὲρ θάνατον. Non alibi memini τὸ מצא *matſa* hac notione uſurpatum legiſſe. Huc referri poſſunt exempla, quae affert H. St. ut oſtendat, hoc interdum eſſe εὑρίσκω, quod latinis *comperio*.

AD I. COR. IV. 3.

Mihi autem pro minimo eſt, ut a vobis judicer, aut ab humano die &c.] Sicut Divini judicii dies, *dies Domini* appellatur ſupra III. 13. & infra V. 5. & alibi; ſic *humanus dies* eſt hominum judicium. *Diem* alicui dicere judicialis eſt latinorum locutio.

AD I. COR. IV. 13.

Omnium peripſema] Vtitur non ſemel hac voce Ignatius. Vt epiſt. ad Epheſios pag. 22. editionis Iſ. Voſ. Rurſus eadem epiſt. pag. 27. Proverbiale ut videtur vocabulum, ſaltem apud Alexandrinos Chriſtianos, qui quoties ex officioſa comitate ſeſe aliis ſubmittere voluiſſent, eorum περίψημα, ſaltem verbo tenus (ut in hujuſmodi ſermonis officiis fieri ſolet) ſeſe appellabant. Quo dicto videntur quidem ad hunc Apoſtoli locum reſpexiſſe: ſed vel ſic tamen, quo ſenſu Alexandrini hoc vocabulum ceperint, poteſt intelligi. Proderit ergo integrum Dionyſii Alexandrini locum ſubtexere ex epiſtola Paſchali apud Euſebium VII. hiſt. 22. qua in epiſtola lue Alexandrina ſub Gallo & Voluſiano copioſe deſcripta, ſimul exponit, Chriſtianos eo caritatis erga languentes proceſſiſſe, ut ſaepe eorum, quos ipſi ſua curatione ſanitati reſtituiſſent, contagione afflati interierint. Καὶ πολλοὶ νοσοκομήσαντες καὶ ῥώσαντες ἑτέρους, ἐτελεύτησαν αὐτοὶ, τὸν ἐκείνων θάνατον εἰς ἑαυτοὺς μεταστησάμενοι, καὶ τὸ δημῶδες ῥῆμα μόνης ἀεὶ δοκῆν Φιλοφροσύνης ἔχεσθαι, ἔργῳ δὴ τότε πληροῦντες, ἀπιόντες αὐτῶν πάντων περίψημα. *Multique adeo qui alios aegrotantes curaverant, & in priſtinam valetudinem reſtituerant, ipſi interierunt, illorum mortem in ſeipſos traducentes; verbumque illud vulgare quod officioſae dumtaxat comitatis adhuc viſum fuerat, reipſa adimplentes, cum aliorum peripſema effecti ex hac vita migrarent.* Qua re potiſſimum Chriſtiani ſe aliorum περίψημα probaverint, iis verbis exprimitur τὸν ἐκείνων θάνατον εἰς ἑαυτοὺς μεταστησάμενοι: quod ipſum copioſius proxime antea deſcripſerat in hunc modum: καὶ τὴν τόσον ἐφ' ἑαυτοὺς ἕλκοντες ἀπὸ τῶν πλησίον, καὶ

Digitized by Google

καὶ ἐκόντες ἀναμασσόμενοι τὰς ἀλγηδόνας. *Proximorum morbum in ſemetipſos attrahentes, ac veluti ultro exprimentes extergenteſque.* Tranſlatum omnino ab iis, qui exſuctione ſaniem exprimunt atque ulcus abſtergunt, dumque alios morbo liberant, in ſeipſos peſtem illam videntur admittere. Ex his omnibus conſtat, Dionyſio nihil aliud fuiſſe περίψημα, quam *rejectamentum*; imo idem quod περικάθαρμα, qua voce συνωνύμως hic utitur Apoſtolus; vel, ſi mavis, quidquid infectum alicunde deciſum ἀποσκυβαλίζεται (qua voce infra utitur Dionyſius de gentilibus, qui peſte attactos νεκρὰς ἁτάφους ἀπεσκυβαλίζοντο) h. e. *in ſterquilinium mittitur*, ne ſerpat mali contagio. Jamvero quod Valeſius in hunc Dionyſii locum malle ſe ait a gentilibus hoc jactatum in Chriſtianos, ut eos πάντων περίψημα dicerent, defendi nullo modo poteſt, quippe cum Dionyſius id vocabulum ad φιλοφροσύνην ipſorum Chriſtianorum aperte referat.

AD I. COR. V. 7. 8.

Expurgate igitur vetus fermentum, ut ſitis nova conſperſio &c.] Recte & eleganter eadem haec expreſſit Ignatius epiſt. ad Magneſios. Ὑπέρθεσθε οὖν τὴν κακὴν ζύμην τὴν παλαιωθεῖσαν καὶ ἐνοξίσασαν, καὶ μεταβάλεσθε εἰς νέαν ζύμην, ὅ ἐστιν Ἰησοῦς Χριστός. Vetus interpres: *Deponite igitur malum fermentum inveteratum & exacuens, & tranſponite in novum fermentum, quod eſt Jeſus Chriſtus.* Niſi quod pro νέον φύραμα, Ignatius νέαν ζύμην poſuit. Vterque appoſite.

AD I. COR. V. 11.

Cum hujuſmodi nec cibum ſumere] *Cum hujuſmodi* ſingulari numero: τῷ τοιούτῳ μηδὲ συνεσθίειν. At Victor Vitenſis II. 16. veluti ἀνακεφαλαιωσάμενος ſic poſuit: *Cum nefariis nec cibum habere communem.*

Cum ejuſmodi nec cibum ſumere] Manſit hoc in vetere Eccleſia, ut lapſos in crimina non tantum ab orationibus, ſed & a communi menſa arcerent. Hinc quibus lapſis Alexandrini martyres gratiam fecerunt, *eos ad preces juxta ac menſam admiſerunt*: καὶ προσευχῶν αὐτοῖς καὶ ἑστιάσεων ἐκοινώνησαν: verba ſunt Dionyſii Alex. de martyrib. Alex. apud Euſeb. VI. hiſt. 42.

AD I. COR. VI. 1.

Audet aliquis veſtrum habens negotium adverſus alterum, judicari apud iniquos, & non apud ſanctos?] Conqueritur heic pluribus Apoſtolus eſſe inter Chriſtianos, qui fratres ſuos ad ſaecularia judicia pertrahant, cum poſſent apud Chriſtianos ipſos cum adverſariis ſuis tranſigere. Hoc quia licitum erat Judaeis; licitum quoque Chriſtianis fuit, qui per illa tempora ab Judaeis vix diſtingui ſolebant. Quin & ethnicorum curiis, corporibus, collegiis, fratriis, ſodalitatibus &c. ſollemne fuit, ut de quibuſdam controverſiis ipſi inter ſeſe judicarent, ut ex fragmento cujuſdam SENTENTIAE Caeſaris Octaviani alibi docui ad ea verba: VTIQVE · VELINT · COEVNTIBVS · CONTROV · · · Ac legeſis totum 39. caput Apologetici Tertulliani. Ibi corporis ſive collegii aut curiae Chriſtianorum cum gentilium corporibus elegans comparatio pertexitur. Vbi & *arcam* & *cenulas* & quaecunque demum apud paganorum collegia in uſu erant, Chriſtianis attribuit; ac ne de judiciis quidem ſilet. *Ibidem etiam* (de Chriſtianorum corpore ſive collegio loquitur) *exhortationes, caſtigationes, & cenſura divina*

Digitized by Google

vina (qui Cyprianum legerit, intelliget, qua notione heic *cenſura* uſurpetur, non dum ea certe, qua Pamelius credidit) *nam & judicatur magno cum pondere, ut apud certos de Dei conſpectu &c.*

In litteris Conſtantini & Licinii ad praeſides datis, quas producit Lactantius de mort. perſec. cap. 48. multa eſt de *corpore Chriſtianorum* mentio. In aliis principalibus litteris apud Euſebium σῶμα aut σωμάτιον dicitur.

AD I. COR. VI. 2.

An neſcitis, quoniam Sancti de hoc mundo judicabunt ?] Hinc veteres Patres concluſerunt, martyres Chriſti aſſeſſores fore, & cum eo mundum judicaturos, unde ab iis indultam lapſis veniam magni fecerunt. Dionyſius Alex. de Alexandrinis Martyribus apud Euſeb. VI. hiſt. 42. Οἱ νῦν τῷ Χριστῷ πάρεδροι, καὶ τῆς βασιλείας αὐτῷ κοινωνοὶ, καὶ μέτοχοι τῆς κρίσεως αὐτῷ, καὶ συνδικάζοντες αὐτῷ, τῶν παραπεπτωκότων ἀδελφῶν τινας . . προσελάβοντο. *Ceterum hi divini Martyres qui nunc Chriſti aſſeſſores, regnique conſortes, & judicii participes, unaque cum illo judicaturi, quoſdam e fratribus lapſos . . ſuſceperunt.* Eodem maxime ſpectat inſignis Eulogii Alexandrini locus ex lib. V. adverſus Novatianos: cujus tamen ſententiam Photius in bibliotheca refellit, aliorſum hunc Pauli locum cum Chryſoſtomo accipiens, quaſi Sanctorum comparatione judicandi ſint impii, perinde ut Ninivitae & Regina Auſtri malos condemnaturi dicuntur in Evangelio. Sed Eulogii ſententia verior videtur Valeſio ad Euſebii VI. 42. quem vide; quippe cum Apoſtolis diſerte in Evangelio promiſſum fuerit fore, ut cum Chriſto judicaturi aſſideant.

S. Cyprianus epiſt. X. ad Mart. & Confeſſores, caute ab eis dari libellos jubet: *Vtpote*, inquit, *amici Domini, & cum illo poſtmodum judicaturi, inſpiciatis & actum, & opera & merita ſingulorum, ipſorum quoque delictorum genera* &c. In epiſtola quorundam Martyrum ad Cyprianum, quae eſt inter Cyprianicas 26. *Quid enim glorioſius . . . . quam Judicis ſui divina dignatione judicem factum fuiſſe?*

AD I. COR. VI. 11.

Et haec quidam fuiſtis] Optime interpretatur illud τινὲς, *Quidam veſtrum*; non enim ad omnes ea vitia pertinebant. Verum ceteroqui non inſolens eſt Atticis pronomen τὶς loco ſecundae perſonae ponere. Ariſtophanes Pluto: Τὸν Πλοῦτον ἔξω τὶς κάλει. *Plutum foras evoca, tu quisquis ibi es.* Idem Ranis: Ἀγορεύω τινὶ ἐμὲ βασανίζειν ἀθάνατον ὄντα. Vbi etiam τινὶ valet *tibi quisquis demum es.* Hoc ſi ſequimur; notabitur heic perſona ſecunda, ſed tamen ἀορίστως.

Sed abluti eſtis, ſed ſanctificati eſtis, ſed juſtificati eſtis] Sic multo elegantius, quam quomodo Afri in profeſſione fidei apud Victorem Vitenſem III. 20. poſuerunt: *Abluti eſtis, & juſtificati & ſanctificati eſtis &c.*

AD I. COR. VII. 4.

Vxor ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir: ſimiliter & vir ſui corporis poteſtatem non habet, ſed uxor] Videntur lege Chriſtiana utriuſque conjugum jura aequata fuiſſe; nam Moſaica lege uxorem ſub viri manu fuiſſe, non contra, inde poteſt intelligi, (ut cetera interim praeteream) quod maritis, non item uxoribus, divertere licuerit. At lege Chriſtiana aequatis juribus utrique id juſta ex cauſſa permittitur. Certe Medea apud Euripidem in cognomine fabula ex

co

Digitized by Google

eo maxime virorum dominium in corpora conjugum videtur colligere ; sic enim v. 230. conqueritur.

Πάντων δ' ὅσ' ἐς' ἔμψυχα καὶ γνώμην ἔχει,
Γυναῖκες ἐσμὲν ἀθλιώτατον φυτόν·
Α'ς πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ
Πόσιν πρίασθαι, ΔΕΣΠΟΤΗΝ ΤΕ ΣΩΜΑΤΟΣ
Λαβεῖν· κακῦ γὰρ τῦδ' ἔτ' ἄλγιον κακὸν,
Κἂν τῷδ' ἀγὼν μέγιστος, ἢ κακὸν λαβεῖν,
Ἢ χρηστὸν· ὐ γὰρ εὐκλεῖς ἀπαλλαγαὶ
Γυναιξὶν, ὐδ' οἷόν τ' ἀνήνασθαι πόσιν.

Quae sic licuit vertere:

Quaecunque sunt animalia mente praedita,
Miserrimum horum mulieres genus sumus.
Grandi pecunia ante omnia nanque adigimur
Emere maritum, hoc est dominum emere corporis.
Tum gravius istud ac periculosius,
Quod jacitur ancipiti exitu semel alea,
Bono ne nubas an malo: nam repudia
Inhonesta nobis, nec nostrum est divertere.

Vetus saltem Graecia uxori a viro divertere probrosum credidit; quod postea remissum videtur, uti patet exemplo Hipparetes Alcibiadis uxoris apud Plutarchum Alcibiade.

AD I. COR. VII. 8.

Si sic permaneant, sicut & ego] In Gr. deest *Sic*: ἐὰν μείνωσιν, *si permaneant*. Nec illud μόριον necessarium est; nam *permanendi* verbum ad viduas aut virgines pertinet. Apud Grut. p. 810. 10. *Nulli umquam liceat accedere* (h. e. juxta in eod. sarcophago sepeliri) *neque vexare ossa mea, non filius, neque nepos, neque de affinitate ullus . . . . Sane Nevia Prisca si PERMANSERIT* (supple *in viduitate*) *usque in diem finitionis suae, recipietur ibi juxta maritum suum*. Idem verbum recurrit in fine hujus capitis, ubi & eadem particula tam Latine quam Graece ad majorem significantiam adponitur. Ac mirer, ni ex hoc posteriore loco (in quo illud *Sic* ex Graeco expressit interpres) id monosyllabum etiam in priorem infartum fuerit ab iis, qui mancum fore locum sine illo *sic* crederent.

AD I. COR. VII. 14.

Alioquin filii vestri immundi essent, nunc autem sancti sunt] Vti *Nunc* apud Ciceronem praecedente *Si*, sic apud Graecos post εἰ quoties subjicitur νῦν, servire dicitur orationi κατὰ ἄρσιν καὶ θέσιν: cujus elegantiae exempla & apud profanos & nostros hosce Scriptores sunt plane innumera. Nonnunquam tamen non expresso εἰ, nihilominus νῦν eandem habet potestatem, idque in argumentationibus potissimum, ut Aristoteles de anima lib. 3. ποιὸς γὰρ ἄν τις γίγνοιτο θερμὸς ἢ ψυχρὸς; κἂν ὄργανόν τι εἴη, ὥσπερ τῷ αἰσθητικῷ· νῦν δὲ ὐδέν ἐστιν. Et in primo de caelo: Βραδύτερον γὰρ ἂν ἐκινεῖτο τὸ πλεῖον πῦρ ἄνω, καὶ ἡ πλείων γῆ κάτω· νῦν δὲ τἐναντίον.

AD I. COR. VII. 21.

Servus vocatus es ?] Frequens in Pauli epistolis servorum adhortatio.

Digitized by Google

Hoc ideo, quia primi Christianorum magnam partem servilia capita fuere.

AD I. COR. VII. 22.

Qui enim . . libertus est Domini &c.] Pulchre tractat hunc locum Ambrosius lib. 1. de Jacob num. 12. quem vide, si tanti est.

AD I. COR. VII. 29.

Et qui habent uxores, tanquam non habentes sint.] Hoc est, ita se contineant, tanquam si uxores omnino non habeant. Hoc ad consilium pertinere prae se aperte tulit Apostolus. Verum Patres Carthaginienses numero 217. coacti an. 419. majores Clericos ad hanc continentiam secundum priores canones adigendos censuerunt: *Placuit* (inquiunt can. 25. apud Dionysium) *quod & in diversis conciliis firmatum est, ut subdiaconi, qui sacra mysteria contrectant, & Diaconi, Presbyteri, sed & Episcopi secundum propria statuta* (sive ut melius alibi legitur *secundum priora statuta*) *etiam ab uxoribus se contineant, ut TANQVAM NON HABENTES videantur esse: quod nisi fecerint, ab Ecclesiastico removeantur officio: ceteros autem Clericos ad hoc non cogi, nisi maturiori aetate.* Quo loco non praetereundum, Quini-sextam Synodum can. XIII. pervertisse hujus Africani canonis sensum, ut ad suas partes pertraheret; nam loco illorum verborum *secundum priora* sive *propria statuta*, reposuerunt, *secundum proprios terminos*; quasi vero tantum in ordine vicis suae abstinendum, Carthaginienses censuerint. Falsissime: nam S. Augustinus, qui ei Concilio interfuit, in II. *de adulter. conjug.* 20. in Africa sacratis hominibus usum matrimonii nullo tempore indultum fuisse testatur.

AD I. COR. VII. 30. 31.

Et qui flent, tanquam non flentes: & qui gaudent tanquam non gaudentes, & qui emunt, tanquam non possidentes: Et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: praeterit enim figura hujus mundi.] Imitatur Ezechielem, qui proximam Judaeorum calamitatem vaticinatus, paria praecepit cap. VII. 12. *Venit tempus, appropinquavit dies: qui emit, non laetetur; & qui vendit, non lugeat; quia ira super omnem populum ejus.* Mundi ἐμπύρωσις (concrematio) quam saepe Apostoli inculcabant, in causa fuit, ut fideles Hierosolymitani divenderent fundos, eorumque pretia ad Apostolorum pedes prostituerent, nequid in hoc mundo transituro possiderent.

AD I. COR. VII. 36.

Si quis autem turpem se videri existimat super virgine sua, quod sit superadulta] Gr. εἰ δέτις ἀσχημονεῖν ἐπὶ τὴν παρθένον αὐτῦ νομίζει, ἐὰν ἦ ὑπέρακμος. Constructio est ex Hebraeorum consuetudine, nam graece dixeris: εἰ δέτις ἀσχημονεῖν νομίζει, ἐὰν ἡ παρθένος αὐτῦ ὑπέρακμος ἦ. h.e. *si quis probro sibi esse hoc duxerit, quod filia sua obsolescere coeperit* &c. Bene interpres illud ἐπὶ vertit *super*; est enim pro עַל *bhhal* positum: recte etiam illud ἐὰν per αἰτιατικὸν *quod* reddidit. Apud veteres, antequam maximum in virginitatem decus ex Evangelio redundasset, inter probra domestica referebatur, si matura jam virgo nuptui tradita non esset: id quod ita reformare satagit Apostolus, ut tamen argumentum aleae plenissimum versetur in omnes partes. Probri illius opinio ex tot jam saeculis radicitus animis inhaeserat. De Judaeis ex filiae Jephtae plorantis virginitatem suam, & aliis historiis res est notissima. Apud Romanos Cn. Scipio in Hispania bellum dum administraret, pessimo reip. reditum maturasset, ut filiam, cujus dos

Digitized by Google

dos se absente expediri non posset, collocaret: ni patres illam publice dotari decrevissent, ut tradit Valerius IV. 4. Eandem historiam sic refert Ammianus Marc. XIV. 6. quae huc non parum faciunt: *Et dotatur ex aerario filia Scipionis, cum nobilitas florem adultae virginis, diuturnam absentiam pauperis ERVBESCERET patris*. Valesius in regio codice & Romana editione principe, *diuturnum* reperit, ut ad *florem* referatur. *Florem diuturnum*, ἀγαμίαν diuturnam intelligo; qui flos per conjugium amittitur; eoque hic conjugio opponitur. Cur de filiabus, non item filiis ἀγάμοις angerentur parentes, ratio in promtu est, quam tradit apud Aristophanem Lysistrata in cognomine fabula ψ. 593.

Λυ. Περὶ τῶνδε κορῶν ἐν τοῖς θαλάμοις γηρασκουσῶν ἀνιῶμαι.
Πρ. Οὐκουν' ἄνδρες γηράσκουσιν; Λυ. Μὰ Δί', ἀλλ' οὐκ εἶπας ὅμοιον.
Ὁ μὲν γὰρ ἥκων, κἂν ᾖ πολιὸς, ταχὺ παῖδα κόρην γεγάμηκεν.
Τῆς δὲ γυναικὸς μικρὸς ὁ καιρός· κἂν τούτου μὴ 'πιλάβηται,
Οὐδεὶς ἐθέλει γῆμαι ταύτην· ὀττευομένη δὲ κάθηται.

Elegans interpres vertit:

Ly. Pro virginibus quae veteraſcunt in thalamo, hoc maceror unum.
Pr. Quid? nonne viros ſenium attingit? Ly. ſane equidem non eadem haec ſunt.
Nam vir procus etſi canus erit, teneram tamen ille puellam
Nuptum accipiet: brevis aetas mulieribus, qua ni potiantur,
Non ſit qui ducere curet, ſedet imo ceu fatidicae inſtar.

Super Virgine ſua] Gr. ἐπὶ τὴν παρθένον &c. h.e. *filiam ſuam*. Recte interpres *Virginis* nomen retinuit. Nam in lapide Romano apud Reineſium II. 31. VIRGINI EIVS tantundem valet, quod *filiae ejus*. Ea inſcriptio talis eſt: TIPO (reſcribe TVRSIO) APOLLONIO INSTAVRATORI MOENIVM NOSTRORVM ET TVRSIAE SANCTISSIMAE VIRGINI EIVS F. VNIVERSVS POPVLVS METELLINORVM &c. ſic etiam Martialis lib. 2. *virgines colonorum* h. e. filias eleganter dixit:

Et dona matrum vimineo ferunt texto
Grandes proborum virgines colonorum.

Eadem vis eſt cum *Virgo* nomini poſſeſſivo jungitur, ut *Regia Virgo* apud Ovid. Met. II. 112. h.e. *regis filia*.

AD I. COR. VII. 40.

Beatior autem erit, ſi ſic permanſerit, ſecundum meum conſilium] Dixerat commate ſuperiore: *cui vult, nubat*: nunc optimum factu ait, ſi ſic permanſerit. Etiam profani Scriptores vitio verterunt ad ſecunda vota convolare. Valerius Max. ait: *Multa matrimonia legitimae intemperantiae ſignum eſſe*. Heroicis temporibus Penelopen a procis ſollicitatam, ſtrenue reſtitiſſe narrat Hom. Il. XV.

Αἰδομένην εὐνὴν πόσιος δήμιόν τε φῆμιν.
Priſci jura tori veritam vulgique ſuſurros.

Nec tamen legibus tenebatur, quin nuberet; ut ex eo liquet, quod amiciſſimus quiſque, rati Vlyſſem interiiſſe, ad ſecundas nuptias hortabantur. Apud Graecos Achis Perſei neptis prima omnium fertur, Periete marito demortuo, Oebalo nupſiſſe: πρότερον δέ, inquit Pauſanias Corinthiacis, καθεζήκει ταῖς γυναιξὶν ἐπὶ ἀνδρὶ ἀποθανόντι χηρεύειν. Vide Feithium II. Antiq. Homer. 15.

Digitized by Google

AD I. COR. VIII. 4.

Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo] Gr. Οἴδαμεν ὅτι οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ. Viri docti ad Hebraeum vocabulum אלל *elil*, quae & rem nihili & idolum ſignificat, alluſum putant. Fuit hoc Hebraeis familiare, ut contumelioſa nomina, tum ſingulorum deorum propria, tum communia & appellativa uſurparent. Itaque quae a LXX. εἴδωλα hebraice modo גלולים *gillulim*, quaſi *dii ſtercorii*; modo עצבים *atſabim*, *terricula*, aut שקץ *ſcikkuts*, *abominatio*; modo הבל *hebel*, *vanitas*; modo אלל *elil* appellantur, quod ab אל *el* veri Dei nomine detortum videtur ad contumeliam, quia rem nihili ſignificat. Itaque ſicut ad haec vocabula reſpexiſſe heic Apoſtolum haud prorſus abnuerim: ſic fatendum omnino videtur, non aliam fuiſſe mentem Judaeis Helleniſtis, cum falſos illos deos εἴδωλα appellare inſtituerunt, (neque enim ethnici deos ſuos εἴδωλα nuncupaverunt: ab Helleniſtis uſus ejus vocabuli invectus, ad Chriſtianos tranſiit) quam ut rem nihil deſignarent, & κατὰ τὸ Ὁμηρικὸν illud νεκύων εἴδωλα καμόντων. Et certe Homerum εἴδωλον, & σκιὰν, & ὄνειρον pro eodem dixiſſe annotat Euſtathius. Euſebius quoque II. de vita Conſtant. 16. idola Licinii ὁμηρικῶς appellavit νεκρῶν εἴδωλα θανόντων, quae illum praetuliſſe dicit, quoties progrederetur ad pugnam. Quem locum miror doctiſſimum interpretem ita vertiſſe, quaſi re vera mortuorum ſimulacra praeſetulerit Licinius; cum appareat Euſebium Homerica phraſi delectatum, poëtae hemiſtichium in ſuam orationem incluſiſſe, ac ſimul oſtendere voluiſſe, quae ſit ejus appellationis origo. Porro in recitato Euſebii loco pro θανόντων reſcribendum eſſe καμόντων facile judicaram, quia Homerus ſic habet; eaque emendatio confirmatur altero gemino Euſebii loco Or. de laud. Conſt. c. IX. niſi quod καμνόντων legitur; ex quo reponendum utrobique καμόντων nemo non videt. Eâdem Or. c. 8. τῶν νεκρῶν εἰδώλων τὰ τῆς πολυτελοῦς ὕλης . . ἐσκυλεύετο. Ergo cum εἰδώλου appellatio contumelioſa eſſet ac plena convicii, inde profecta, quod idola omni prorſus vi deſtituta, oculos haberent, ut ait Pſalmographus, nec tamen viderent; aures, nec audirent &c. merito Paulus idola οὐδὲν eſſe affirmat; idque vocabulum, quo ſenſu ab Judaeis uſurpabatur, τὸ οὐδὲν ſignificare.

Poſſis etiam ita interpretari: *Scimus, quod nullum eſt idolum in mundo*: nam quae vocantur νεκύων εἴδωλα καμόντων, ea non in mundo verſantur, ſed τῷ ᾅδῃ coërcentur: ᾅδης autem nil commune cum κόσμῳ habere credebatur. Accedit, quod ſtatim ſequitur οὐδεὶς θεὸς ἕτερος &c. *nullus eſt Deus* &c. Ergo & οὐδὲν adjectivi pronominis uſum habet. Quos θεοὺς aut ξόανα Graeci appellabant, ea Judaei εἴδωλα nuncupare maluerunt κατὰ σαρκασμὸν, & ambigua ſignificatione delectati, quod ea vox tum ſculptas pictaſve imagines notaret, tum etiam umbras mortuorum. Eodem ſpectans Apoſtolus ait, mortuorum umbras non in mundo verſari, nec ſtatuis, quas vulgo adorabant, includi, ſed extra mundum in ᾅδου caliginem detruſas detineri. Quibus verbis vanam gentilium perſuaſionem perſtringit, qui τὰ ξόανα a diis inhabitari animarique credebant, irata vero numina ex imaginibus, perinde ut ex templis, μεταβῆναι atque emigrare cenſebant, illaſque inanimes & caſſas relinquere: unde & fuere, qui ſagacitatem jactarent, divinaeque praeſentiae ſenſum, quo animatas imagines ab ἀψύχοις & ἀμοίροις τῆς θείας ἐπιπνοίας dignoſcerent; quemadmodum ex Damaſcio licet cognoſcere

Digitized by Google

gnoscere apud Suidam in διαγνώμων & Ησαΐσκος. Eam opinionem retundit Apostolus, atque affirmat signa illa ἄψυχα esse; neque enim τὰ τῶν νεκρῶν εἴδωλα in mundo degere, sed in illo animarum receptaculo, quo gentiles ipsi poëtarum narrationibus edocti, animas reservari credebant; quem ἀΐδην h. e. minime aspectabilem, nuncupabant.

AD I. COR. VIII. 5.

Sicut sunt dii multi & domini multi] Gr. (ὥσπερ εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ, καὶ κύριοι πολλοί) Quorum verborum cum praecedentibus συνέχεια laborat, nec apparet cur ista addiderit Apostolus. Equidem unam video expeditam viam, qua omnia plana fiant, si statuamus verba intra parenthesim concluſa, veteris alicujus poëtae esse dictum, cujusmodi poëtarum ἀποσπησμάτια haud raro Paulus usurpavit. Versus autem hexameter trium syllabarum additione optime constabit. Sic enim poëta ille scripserat:

Εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ καὶ κύριοι εἰσὶ δὲ πολλοί.

Particulae καὶ . . . δὲ quam vim habeant, nemo Graece doctus ignorat. Verum Apostolus (ut & alii passim scriptores, quorum consuetudo est in poëtarum tritis carminibus allegandis, ut aut initia tantum adscribant, aut aliquid de medio tollant sine jactura sententiae; cujus rei possim exempla sexcenta proferre) sed Apostolus inquam illud εἰσὶ δὲ, quod ad fulciendum versiculum non item sententiam, iteratum fuerat, merito amputavit. Nunc omnia belle procedunt, fluitque in hunc modum orationis filum: Καὶ γὰρ εἴπερ εἰσὶ λεγόμενοι θεοὶ εἴτε ἐν οὐρανῷ εἴτε ἐπὶ τῆς γῆς (ὥσπερ [τὸ]

Εἰσὶ θεοὶ πολλοὶ, καὶ κύριοι [εἰσὶ δὲ] πολλοὶ)

Ἀλλ' ἡμῖν εἷς Θεὸς ὁ Πατὴρ &c. Quem locum sic possumus interpretari. *Nam etsi sunt dicis causſa Dii sive in Caelo sive super terram* (*ut* [*est illud poëtae dictum*]

Sunt Dj Caelestes multi, multique potes -- Dj)

At nobis tamen unus est Deus Pater &c. Nam si quaerat ex me aliquis, ecquodnam in illius poetae versu statuendum sit inter θεὸς & κυρίως discrimen: respondeam praeeunte mihi Apostolo viam, θεὸς esse caelestes deos, sive quos Latium Consentes appellavit; κυρίως autem terrestres, qui modo Heroes, modo Semidei, alias Divipotes, aliisque vocabulis, appellabantur, quos & Oriens Cabiros nuncupavit.

AD I. COR. VIII. 6.

Sed nobis unus Deus Pater . . . & unus Dominus Jesus Christus] Ex his verbis fidei confessio antiquissima manavit, qua Justinus in Actis Passionis utitur; & Nicaenum Symbolum & ceterae deinceps Fidei confessiones. Quae nos verba prolixe explanavimus in Kalendario marmoreo ad 1. Junii ad Acta S. Justini Adnot. 43. quae huc integra transferre non gravabor.

„ Hanc totam Fidei professionem ab initio ad hunc usque locum haud dubie „ Doctor Samarita ab Apostolo hausit 1. ad Cor. VIII. 6. ubi Apostolus quum „ totus in asserenda μοναρχία [*unius principatu* seu Deo uno: de quo vide Ju- „ stini librum περὶ Μοναρχίας] esset, haec posuit. *Nobis tamen unus Deus-Pa-* „ *ter, ex quo omnia . . & unus Dominus-Jesus Christus, per quem omnia.*

„ Quod vero Noster Apostolum secutus, Patrem quidem θεολογεῖ [*Deum* „ *vocat*]

Digitized by Google

„ *vocat*] Chriſtum vero κυριολογεῖ [*Domini titulo decorat*] ejus loquendi con-
„ ſuetudinis hanc affert rationem Nanzianzenus [or. XXIII. pag.420. Ορίζῃ δὲ
„ καὶ τὴν ἡμετέραν ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ &c.] *Praeſcribe vero noſtrae religionis profeſ-*
„ *ſionem, ſic docens, ut unum quidem agnoſcamus DEVM ingenitum, Patrem ſcili-*
„ *cet: unumque genitum DOMINVM, videlicet Filium. Qui* (Filius) *DEVS qui-*
„ *dem vocatur, ubi de eo ſeparatim ſermo habetur, DOMINVS autem, quando cum*
„ *Patre nominatur: quorum illud quidem* [nomen] *ad naturam pertinet, hoc vero*
„ *alterum ad unicum principatum.*

„ Porro quod Chriſto Κυρίῳ (Domini) praenomen tribuitur, id κυριολο-
„ γία (*Domini praedicatio*; ut & κυριολογεῖν erat *Domini titulo exornare*) dice-
„ batur antiquis. Quod quidem loquendi genus ab Juſtino inventore prodiit:
„ qui primus, quod equidem ſciam, in Dial. cum Tryph. Κυριολογεῖν (quod
„ ceteris Graecorum notat *Loquendi proprietate uti*) pro eo quod eſt *Dominum*
„ *praedicare* uſurpavit. Ergo (pag. 277. B. edit. Colon.) *Praeter eum*, inquit,
„ *qui mente comprehenditur* (ποιητὴν τῶν ὅλων) *univerſorum effectorem, alius qui-*
„ *dam a Spiritu Sancto* (κυριολογεῖται) *Dominus praedicatur* [is eſt Filius] *ac*
„ *non per Moſem tantum, verum etiam per Davidem.* Et paucis interjectis: *Vtrum*
„ *igitur poteſtis dicere, alii cuiquam Spiritum Sanctum* (θεολογεῖν καὶ κυριολογεῖν)
„ *Dei & Domini appellationem tribuere, niſi univerſorum Patri & Chriſto ejus?* Quod
„ ita eſt diſtribuendum, ut Patri θεολογίαν (*Dei appellationem*) Chriſto κυριο-
„ λογίαν (*Domini titulum*) tribui in Scripturis contendat.

„ Ergo compoſitio quidem verbi Κυριολογεῖν, uti dixi, ab Juſtino auctore
„ eſt: nam ceteroqui ea tota *Domini praedicatio*, ſi rem ipſam ſpectes, ab A-
„ poſtolis prodiit, qui tertio quoque verbo Chriſto Κυρίῳ praenomen vindicant.
„ Itaque illud 1. Cor. XII. 3. *Nemo poteſt dicere Dominus Jeſus* (, at in Grae-
„ co accuſandi caſu, *Dominum Jeſum*) *niſi in Spiritu Sancto*: id tantundem
„ eſt, ac ſi uno verbo dixiſſet, *Nemo poteſt* Κυριολογεῖν.

„ Atque ut paucis rem abſolvam: vox quidem Κύριος, ſi ut ἐπίθετον (*at-*
„ *tributum*) ſumatur, communis tribus Perſonis eſt: contra ſi loco praenominis
„ uſurpetur, peculiaris eſt Chriſti Jeſu. Ac fortaſſis id ei praenomen Συριασμὸς
„ (*Syriacae dialecti conſuetudo*) peperit. Nam Syri magiſtros ac ſapientes τῷ
„ *MAR* [*Domini*] titulo, tamquam dignitatis praenomine, decorabant: quo
„ ſpectat illud in Joannis Evangelio, *Vos vocatis me Magiſter & Dominus.* Quo
„ poſito, ubi 1. ad Cor. VIII. 6. e regione *Vnius Dei Patris* ponitur *Vnus*
„ *Dominus Jeſus Chriſtus*, illud *Vnus* in priore membro non ad DEVS, ſed ad
„ PATER referri debet; ſicuti & in poſteriore non ad DOMINVS, ſed ad
„ ſuum ὑποκείμενον, nempe τὸ *Jeſus Chriſtus*, cui ceteroqui *Domini* praenomen
„ tribuitur; ita ut ſcribi cum *Maccaph* (quod Graeci ὑφὲν vocant) in eo lo-
„ co perſpicuitatis gratia poſſit, *Vnus Deus-Pater: Vnus Dominus-Jeſus Chri-*
„ *ſtus*: quia teſte Nanzianzeno (loco ſupra recitato) quoties uterque nomina-
„ tur, Pater *Dei*, Filius *Domini* praenomine donari ſolet. Nec alia vis eſt Ni-
„ caenae formulae; *Credimus Vnum Deum-Patrem . . . Vnum Dominum-Jeſum*
„ *Chriſtum*. Nam ceteroqui nec minus Filius *Deus* eſt, nec minus Pater eſt *Do-*
„ *minus*. Ergo ſi praenomina tantiſper tollas, eo Fidei formula redibit, ut con-
„ fiteamur *unum Patrem*, *unumque Jeſum Chriſtum*.

„ At

Digitized by Google

„ At cave putes, Κυρίου [*Domini*] nomenclationem non aliud quam hono-
„ rificum praenomen in Chriſto fuiſſe : hanc enim opinionem [quae forſitan
„ ſuboriri potuiſſet] Chriſtus ipſe dedita opera amolitur, ubi poſt illa verba,
„ *Vos vocatis me, Magiſter & Dominus*, ſubjicit, *Et bene dicitis: SVM ETENIM.*
„ Quibus verbis ſe ab aliis eodem praenomine forſitan decorari ſolitis ſecernit,
„ qui dicebantur quidem, ſed non erant *Domini* & Magiſtri. Quo & illud refer,
„ quod Juſtinus in Apol. longiore, ubi de Baptiſmo, ſcripſit: *In nomine Dei*
„ *Patris & DOMINI RERVM OMNIVM Filii:* quae verba Chriſti regnum
„ pulchre exprimunt „.

AD I. COR. IX. 5.

Mulierem ſororem circumducere] Lis eſt inter viros doctiſſimos quid *ſororis* vox hic ſibi velit, aliis *ſororem* interpretantibus *Chriſtianam*, locutione, ajunt, ab Judaeis accepta, apud quos ὁμοεθνεῖς mutua ſe ἀδελφότητι honorabant (*Soror* tamen pro Judaea aut Chriſtiana non alibi legitur), aliis *uxorem* exponentibus, ex Clem. Alex. qui lib. 7. ex traditione refert, Cepham uxorem ſuam ſociam habuiſſe itinerum, & coram ipſo ductam ad mortem; & lib. 3. tradit idem feciſſe ceteros Apoſtolos, addens, οὐχ ὡς γαμετὰς ἀλλ' ὡς ἀδελφὰς περιῆγον τὰς γυναῖκας, iiſdem pene verbis, quibus hîc Paulus. Sed pace tantorum virorum, videtur mihi Sororis vocabulum poſſe ad illud mulierum genus pertinere, quas συνεισάκτους Antiocheni (apud quos ea vox nata videtur, uti mox ex Antiochenis Patribus docebitur) ac paſſim etiam *ſorores* appellabant. Quod genus primoribus Eccleſiae ſaeculis, quae tum erat ſimplicitas atque innocentia, paſſim permittebatur; poſtea crimini verſum, ſiquis ταῖς συνεισάκτοις uteretur. Qua de re luculentum exſtat teſtimonium in Antiocheni concilii adverſum Paulum Samoſatenum epiſtola ſynodica apud Euſebium VII. hiſt. 30. qua inter Pauli probra refertur, quod formoſas hujuſmodi συνεισάκτους mulieres & ſibi & ceteris clericis cum ſummo dedecore indulſerit. τὰς δὲ συνεισάκτους αὐτῷ (Pauli) γυναῖκας, ὡς Ἀντιοχεῖς ὀνομάζουσι, καὶ τῶν περὶ αὐτὸν πρεσβυτέρων καὶ διακόνων . . . τί ἂν ταῦτα γράφοιμεν; *Quid hic referre attinet ſubintroductas, quas Antiocheni vocant, mulieres, tam ipſius, quam preſbyterorum ejus ac diaconorum?* Quas quidem mulierculas homo impudentiſſimus non domi tantum ſecum habebat, ſed & peregre profectus *circunducebat*, ut ait hic Apoſtolus: κἂν ἀπίῃ που, inquiunt, Antiocheni Patres, συμπεριφέρει. Eaſdem poſtea vetuit Nicaena ſynodus can. 3. Verum quod ad hunc attinet Apoſtoli locum, *ſorores* illae dicebantur, uti conſtat ex inſcriptione canonis Nicaeni tertii, quae in vetuſtiſſimo codice Corbejenſi (apud Valeſium, quem videſis in notis ad Euſeb. VII. 30.) talis eſt: *De ſubintroductis, ideſt adoptivis ſororibus.* Quo etiam ſpectat lex Honorii 44. Cod. Theod. de Epiſcopis & Clericis, quae talis eſt: *Eum qui probabilem ſaeculo diſciplinam agit, decolorari conſortio SORORIAE appellationis non decet &c.* Gregorius Nyſſ. de virginitate c. 23. t. 3. p. 175. γυναιξὶ κατὰ τὸ φανερὸν συνοικοῦντες, καὶ ΑΔΕΛΦΟΤΗΤΑ τὴν τοιαύτην συμβίωσιν ὀνομάζοντες, ὡς δὴ τὴν πρὸς τὸ χεῖρον ὑπόνοιαν ὀνόματι σεμνοτέρῳ περικαλύπτοντες. *Qui cum feminis aperte habitent, convictum hunc, ad amoliendam ſuſpicionem, ſororio nomine palliant.* Johannes Antioch. in Nomo Can. tom. 2. p. 635. Ἐπειδή τινες κληρικοὶ συνοικοῦντες γυναιξὶν, ἀδελφὰς αὐτὰς

Digitized by Google

αὐτὰς ἐκάλεν &c. Canon XIX. Ancyranus: Τὰς συνερχομένας παρθένους τισὶν, ὡς ἀδελφὰς, ἐκωλύσαμεν. Graeci Canonum interpretes, Balſamon, Symeon Logotheta, Ariſtenus legunt, ὡς ἀδελφοῖς. Merito: nam & devotae Deo virgines quoſdam *fratrum* nomine in vitae conſortium ſibi adjungebant, quas carpit Hieronymus epiſt. ad Euſtochium de cuſtodia virginitatis. Fuerunt enim συνείσακτοι non tantum mulieres reſpectu virorum, ſed & ἄνδρες reſpectu virginum. Ac de *Syniſactis* plena ſunt virorum doctor. volumina, de quibus noviſſime V. Cl. Muratorius diſquiſitionem Graecis Anecdotis inſeruit. Sed quod animadverterim, viros doctiſſimos συνεισάκτων originem intactam reliquiſſe, quam ex hoc Apoſtoli loco arceſſendam exiſtimo: non alienum duxi veterum loca afferre de συνεισάκτων Sororia appellatione; ex quo appareat, ſive hoc genus ſororum mulierum, de quo loquitur hic Apoſtolus, fuiſſe, quas poſteri συνεισάκτους vel ἀγαπητὰς nuncuparunt, vel has quidem certe ex eo Pauli loco, tanquam fonte, manaſſe.

AD I. COR. IX. 19.

Nam quum liber eſſem ex omnibus, omnium me ſervum feci, ut plures lucrifacerem] Gr. τοὺς πλείονας videtur hoic ſignificare πάντας *omnes*, ſive univerſam multitudinem, paucis exceptis. Vt apud Joſephum in 1. antiq. cap. 5. num. 5. Καὶ τοῦτο ἦν τὸ αἴτιον τοῦ μὴ διασωθῆναι πλείονας, Φυγῆς ἀφορμὴν οὐκ ἔχοντας. *Atque id cauſſae erat, cur* (in diluvio Noachico) *plurimis* (i. e. omnibus, excepta Noachica familia) *ſalus adimeretur, non habentibus, quo ſe reciperent.* Et ſane Pauli praecedentia verba & quae ſequuntur noſtram verſionem exigunt. At, inquis, infra verſu 22. hoc ipſum ſic repetitur: ἵνα πάντως τινὰς σώσω. *Vt omnino aliquos ſervem.* At iſtud τινὰς ad eos ex univerſa multitudine refertur, qui erant maxime refractarii; hos enim immorigeros ut πάντως *modis omnibus* ſervaret, nihil ſibi reliqui faciebat; quum interim cetera multitudo longe minore induſtria pertraheretur.

AD I. COR. IX. 24.

Sic currite, ut comprehendatis] Gr. ἵνα καταλάβητε. Quod eleganter verti poterat, *ut occupetis*; quemadmodum & Cyprianus citat epiſt. 8. ad martyres, & confeſſores. *Occupare* Latinis is dicitur, qui ſive curſu, ſive ſermone, ſive qualibet re alia ceteros praevenit. Idem Graecis eſt καταλαμβάνω. Itaque apud Platonem Timaeo καταλαμβάνοντα & καταλαμβάνεσθαι eſt *occupare* & *occupari* h. e. *vincere* & *vinci celeritate*, ut Cicero in De Vniv. interpretatur. Videſis Budaeum comm. pag. 561. & 562. ubi τῷ καταλαμβάνω *antevertendi* ſignificationem tribuit non minus, ac προκαταλαμβάνω & προλαμβάνω.

AD I. COR. XI. 2.

Vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto] Gr. παραστῆναι h. e. *exhibere*, aut *repraeſentare*. Praecedit enim *Deſpondi:* deſponſa vero, non aliud reſtat, niſi ut repraeſentetur. At Ambroſius vertit *adſignare*. Sic enim ep. (63.) ad Vercell. Eccl. n. 37. *Quam etiam* (Eccleſiam) *in Corinthiis deſpondit Apoſtolus Paulus, virginem caſtam adſignare Chriſto.*

AD I. COR. XI. 13.

Vos ipſi judicate: decet mulierem non velatam orare Deum?] Antiquos haec inter-

Digitized by Google

interrogative extuliſſe (etſi in Graeco nullum eſt μόριον interrogationi ſerviens, veluti εἰ aut aliud) fidem facit Ambroſius in I. Offic. cap. 46. n. 232. *Ait enim Apoſtolus quaſi interrogans: Decet &c.*

AD I. COR. XI. 25.

Similiter & calicem poſtquam coenavit, dicens] Gr. μετὰ τὸ δειπνῆσαι, quod non tantum ad Chriſtum, ſed ad omnes refertur alios: unde in vetere verſione apud Cypr. ep. (63.) ad Caecilium ſic legitur: *Simili modo & calicem, poſtquam coenatum eſt, accepit dicens* &c. ſic quoque in liturgia, qua utimur: *Simili modo poſtquam coenatum eſt* &c.

AD I. COR. XII. 3.

Nemo poteſt dicere, Dominus Jeſus, niſi in Spiritu Sancto] Graece accuſandi caſu, *Nemo poteſt dicere, Dominum Jeſum*, hoc eſt (ſi Juſtini locutione utamur) *Nemo poteſt* κυριολογεῖν (*Domini titulo exornare*) *Jeſum*. Vide de hac S. Juſtini κυριολογία ad Acta S. Juſtini (quae intulimus ad 1. Junii in noſtro Comm. ad marmoreum Kalendarium) Adnot. 43. quaeque inde transfudimus ſupra ad 1. Cor. VIII. 6.

AD I. COR. XII. 4.

Diviſiones gratiarum ſunt] Gr. χαρισμάτων, quod Afri in profeſſione fidei apud Victorem Vitenſem lib. 3. c. 11. verterunt *donationum*.

AD I. COR. XII. 10.

Alii interpretatio ſermonum] Gr. ἑρμηνεία γλωσσῶν. Hoc munus ab Judaeis imitatione acceptum fuit, apud quos, ex quo Hebraea lingua vernacula eſſe deſiit, Targumiſtae, quae legebantur hebraice, Chaldaice exponebant. Idem in Eccleſia diutiſſime factitatum, tandiu certe, donec ſacra volumina in diverſas linguas transfuſa fuiſſent. De Romano martyre, qui ineunte quarto ſaeculo martyrium ſubiit, acta vetuſta, quae tanti fecit Valeſius, ut ea notis ad Euſebium lib. de martyr. Palaeſt. cap. 2. inſereret, ſic habent: *Ibi Eccleſiae* (Scythopolitanae) *tria miniſteria praebebat: unum in legendi officio, alterum in Syri interpretatione ſermonis, & tertium adverſus daemones manus impoſitione conſummans*. Romanus ergo, quae graece in Eccleſia legebantur, Scythopolitanae plebi, quae graece neſciret, vernaculo h. e. Syriaco ſermone interpretabatur. Quanquam iſtaec ſermonum interpretatio & ad illos referri poteſt, qui, quae alii peregrinis linguis concionabantur, patrio ore redderent. Id quod ex hac eadem epiſt. XIV. 27. 28. colligi videtur. Ac fieri poteſt, ut hoc ipſum munus Romanus exercuerit. Cetera verba illa Actorum *in Syri interpretatione ſermonis* tantundem valent, quod *ex Syro ſermone*. Plebs enim Scythopolitana, quae Civitas eſt Galilaeae, Syriace ſciebat, alias linguas ignorabat.

AD I. COR. XII. 11.

Dividens ſingulis, prout vult] In Graeco eſt διαιρῶν ἰδίᾳ ἑκάστῳ *dividens peculiariter ſingulis*. At Afri legerunt ἴδια· ſic enim poſuerunt in profeſſione fidei apud Victorem Vitenſem III. 11. *Dividens propria unicuique, prout vult*.

AD I. COR. XII. 23.

Et quae putamus ignobiliora membra eſſe corporis, his honorem abundantiorem circundamus.] Gr. τούτοις τιμὴν περισσοτέραν περιτίθεμεν. *Honorem* h. e. *tegu-*

Digitized by Google

mentum ex Helleniſtica dialecto; notavi enim Gen. XX. 16. LXX. ſic poſuiſſe: ταῦτα ἔϛαι σοι εἰς τιμήν (heb. כסות *ceſuth* i. e. operimentum) τῶ προσώπω σω. Quin & in Graeco Prov. XII. 9. eadem, quae heic, phraſis occurrit. *Melior eſt pauper & ſufficiens ſibi, quam glorioſus & indigens pane.* Poſterius membrum Graece vertitur, ἢ τιμὴν ἑαυτῷ περιτιθεὶς, καὶ προσδεόμενος ἄρτου, *quam ſuperbo veſtitu ſe jactans* &c. Vide quae ibi notavimus. Haec ſic affert Ambroſ. in I. Offic. cap. 18. n. 78. *Quae videntur membra corporis infirmiora, NECESSARIORA ſunt* &c.

AD I. COR. XII. 26.

Sive gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra] Gr. εἴτε δοξάζεται . . . συγχαίρει πάντα τὰ μέλη. Quod apud Cypr. ep. 11. & 60. ſic reperitur: *ſi laetatur membrum unum, collaetantur & cetera membra.* Vbi videtur poſitum *laetatur*, ut ei reſpondeat *collaetantur*; cum ceteroqui δοξάζεται videatur eſſe *gloria* aut *honore afficitur*. Sed tamen apud Africanos Scriptores *gloriari* & *laetari* fuere ſynonyma. Victor Vitenſis V. 14. *Quare voluiſti ad modicum gloriari, & in aeternum perire?* Itaque cum in Afram Latinitatem pleraque de Graeco tranſfuſa norim, ſuſpicor & δοξάζεσθαι heic aliud non eſſe, quam *laetari*. Sed quidqùid hujus rei eſt: ſimilis eſt illa ῥῆσις Syracidis XXXVI. 6. δόξασον χεῖρα καὶ βραχίονα δεξιάν.

Congaudent omnia membra] Infra XIII. 6. *Congaudent autem veritati.* Epiſtolâ inter Cyprianicas 30. confeſſores ajunt: *Te quoque nobiſcum . . congaudere.* Quod ex Paullino Petrocorio lexica afferunt, eſt ducentis annis recentius: *Preſſit in abſentem congaudens oſcula dextram.* Luc. XV. 9. legebatur olim: *Congaudete mecum*: quemadmodum, ſi probe memini, in veteribus antiphonis legitur.

AD I. COR. XII. 31.

Aemulamini autem charisſmata meliora] Gr. Ζηλῶτε· Ζηλῶν autem medium eſt verbum; atque his libris modo in laude, modo in vitio ponitur, ac modo ad perſonas, modo ad res refertur. Sic etiam *aemulor* Latinis non raro ad res, quarum ſtudio tenemur, referri ſolet. Livius I. 18. *Juvenum aemulantium ſtudia coetus habuiſſe* Pythagoram dicit. *Zenonis inventorum aemuli* Stoici Ciceroni dicuntur.

AD I. COR. XIII. 4.

Non agit perperam] Gr. οὐ περπερεύεται. De cujus verbi ſignificatione nihil addo iis, quae tum ab H. Step. & Suicero in ſuis theſauris, tum a viris doctis in hunc locum ex Heſychio, Suida, Etymologico magno, Clemente Alex. Baſilio &c. adnotata fuere. Quod autem ad originem vocis attinet, non poſſum viris doctis aſſentiri, quorum plerique eam latino fonte cadere autumarunt, ea ratione adducti, quod apud latinorum vetuſtiſſimos non tantum *perperam*, ſed & *perperus* & *perperitudo*, reperitur: Quaſi vero non aeque apud veteres lexicographos non tantum περπερεύομαι, ſed & πέρπερος, & περπέρεια ſive περπερία, tanquam antiqua vocabula referantur: in pari autem cauſſa, Latinos a Graecis, quam hos ab illis, hauſiſſe potius exiſtimaverim. Accedit veterum lexicographorum auctoritas, quibus πέρπερος a περίφορος deducitur. Voces τεχνικὰς militares, νομικὰς, dignitatum, ac ſimilium, non paucas e Latinis Graecas feciſſe Grajos,

Digitized by Google

Grajos, nemo ignorat: ab his cum discesseris, haud facile reperias quodnam illi vocabulum e Latio arcessierint. Verum hoc me maxime movet, quod non tantum ea vox in derivativa vocabula propagatur, sed & in composita; id quod in latino verbo minime feciſſent. Reperitur certe apud Varinum καταπερπερεύομαι, quod is exponit χαριεντίζομαι. Ad haec vocabulum ῥωποπερπερηθρας jactatum in quendam futilem & vanum, teste Eustathio ad Il. N. & ἐμπερπερεύομαι legitur apud Cic. ad Att. I. 14. quem scriptorem vocem ἀνέκαθεν Latinam Graece potius, quam latine usurpare voluisse, nemo sibi persuaserit, qui Tullium norit. Atqui Grotius hîc Ciceronis locum omnino corruptum ait. Credo, illum voluisse dicere, in optimis exemplaribus non ἐνεπερπερευσάμην (quomodo a viris doctissimis emendatum, nunc in excusis legitur) sed ἐνεπεπερασάμην occurrere, testibus Victorio, Corrado, Bosio. Posterius hoc quia nihili esse putarunt, in ἐνεπερπερευσάμην Malaspina, Casaubonus, alii refinxerunt. Ego vero ἐνεπηρπερασάμην retinendum esse contendo, ut sit ab ἐμπερπεράομαι ejusdem significationis atque originis verbo. Reperi enim apud Varinum (cui certe habenda est gratia, quod non pauca ἑλληνικὰ posteris transmiserit, quae apud alios frustra quaesieris) περπερᾷ quod exponit προτρέπει· sed non dubito Varinum scripsisse προπετεῖ· nam & πέρπερος eidem lexicographo est προπετὴς (Philoxeni glossae habent: *Perperus* πέρπερος, προπετὴς) & περπερεύεται est προπετεῖται, (sicut a Chrysostomo & Theophylacto exponitur προπετεύεται) & vocem activam προπετεῖν idem Varinus in suam seriem recenset. Postremo quia Ciceronis locus Paulum mirifice illustrat; non tantum veram ei lectionem vindicasse, sed & huc adscripsisse proderit. *Ego autem ipse Dii boni! quo modo* ἐνεπερπερασάμην (h. e. me obstentavi, multus sui in declamando de rebus gestis meis) *novo auditori Pompejo? . . . Etenim haec erat* ὑπόθεσις, *de gravitate ordinis, de equestri concordia, de consensione Italiae, de immortuis reliquiis conjurationis &c.*

AD I. COR. XIII. 13.

Major autem horum est caritas] Gr. μείζων pro μεγίστη. Sic etiam Polycrates Ephesi Episcopus apud Eusebium V. 24. ἔτι δὲ κἀγὼ ὁ μικρότερος πάντων ὑμῶν Πολυκράτης.

AD I. COR. XIV. 3.

Exhortationem & consolationem] Vox παράκλησις haud raro idem quod παραίνεσις (vide H. St. in hac voce). Quare recte interpres reddit *Exhortationem*. Confer dicta ad Rom. XV. 4.

AD I. COR. XIV. 16.

Qui supplet locum idiotae] H. e. laici. In Glossis Cyrilli Ἰδιώτης est *Privatus*. Vt autem in saeculari πολιτείᾳ privati opponuntur dignitatibus, sic in Ecclesiastica laici quilibet, etsi ceteroqui honoribus saeculi clari, vocabantur *Privati*. Vide de hoc loquendi more dicta ad Kalend. marm. ad 29. Martii pag. 128. initio.

AD I. COR. XIV. 24.

Dijudicatur ab omnibus] Gr. ἀνακρίνεται, quod Afri in profes. fidei apud Victorem Vitensem III. 22. vertunt *examinatur*.

Digitized by Google

AD I. COR. XIV. 25.

Et ita cadens in faciem] Gr. οὕτω heic & alibi in N. F. temporis eſt adverbium. Hinc Afri in profeſſione fidei apud Victorem Vitenſem III. 22. verterunt: *Et tunc cadens in faciem* &c.

AD I. COR. XV. 1.

Evangelium quod praedicavi vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis] Illud *accepiſtis* Graece eſt παρελάβετε. Atqui παραλαμβάνειν tum heic, tum infra ℣. 3. & ad Phil. IV. 9. Col. IV. 17. & 1. Theſ. II. 13. & alibi apud Paulum praeter notam ſignificationem, videtur alteram μυστικωτέραν obtinuiſſe, ſacrorum peculiarem, quantum ex ethnicorum ſacris poſſumus intelligere. Nam παραλαμβάνειν τὰ μυστήρια trita eſt locutio, ubi de Eleuſiniis, Mithriacis &c. agitur. Ariſtophanis ſcholiaſtes: οἱ δὲ τὰ μυστήρια παραλαμβάνοντες, μύσθαι καλοῦνται &c. Porphyrius de abſtin. anim. παραλαμβάνων τὰ μιθριακά. Sed & Latinis *ſuſcipere*, *accipere*, *percipere ſacra* id dicebatur. Spartianus Elagabalo: *Matris etiam Deum ſacra accepit & tauroboliatus eſt*. Vetus inſcriptio: *Accepto taurobolio*. Altera inſcriptio: *Percepto criobolio taurobolioque*. Cicero in Vatinium: *Cum inaudita ac nefaria ſacra ſuſceperis*. Spartianus de Hadriano cap. 13. *Eleuſinia ſacra . . . ſuſcepit*.

AD I. COR. XV. 14.

Si . . Chriſtus non reſurrexit, inanis &c.] In eundem fere modum argumentatur Ignatius ad Trallenſes: Εἰ δὲ . . . λέγουσιν τὸ δοκεῖν πεπονθέναι αὐτὸν . . . ἐγὼ τί δέδεμαι; τί δὲ εὔχομαι θηριομαχῆσαι; δωρεὰν ἄρα ἀποθνήσκω. Vetus interpres: *Si autem . . dicunt ſecundum videri paſſum eſſe ipſum . . ego quid vinctus ſum? quid autem & oro cum beſtiis pugnare? gratis igitur morior*.

AD I. COR. XV. 33.

Corrumpunt bonos mores colloquia mala] Cyprianus ep. 55. ſic affert: *Corrumpunt ingenia bona confabulationes peſſimae*. Hoc ideo, quia ἦθος *indolem* ſignificat, ut Platonis illud ἤθει γενικωτέρῳ κεκρᾶσθαι, Cicero vertit *Ad virtutem major indoles*. Eodem ſpectant quae de ἦθος habet Quintilianus VI. 2. Similis locutio apud Strabonem lib. VII. pag. 301. ubi commercia maritima, διαφθείρειν τὰ ἤθη, καὶ ποικιλίαν ἀντὶ τῆς ἁπλοτήτος εἰσάγειν diſputat.

AD I. COR. XV. 34.

Evacuans omnem principatum & poteſtatem] Graeci philoſophi angelos ſive daemonia δυνάμεις ἀοράτους καὶ ἐπουρανίους itidem appellabant. Chalcidius in Platonis Timaeum pag. 97. *Poteſtatibus obſequium caeli praebentibus, etiam terrena curantibus: quae Poteſtates aetherei aëreique ſunt daemones, remoti a viſu noſtro, & ceteris ſenſibus*.

AD I. COR. XV. 39.

Non omnis caro, eadem caro: ſed alia quidem hominum, alia vero pecorum, alia volucrum, alia autem piſcium] Caro non tantum piſcibus heic & Num. XI. 21. 22. tribuitur, verum etiam pulpa olivarum σὰρξ Theophraſto dicitur, pomorum *caro* Plinio appellatur. Noſter heic, contra quam Graece hodie legitur, volucres piſcibus praepoſuit, meliora opinor nactus exemplaria; quis enim dubitat, quin volatilium caro piſcibus ſemper praelata fuerit? Tanto certe, quanto

pennata

Digitized by Google

pennata pecoribus concedebant: unde & quosdam jejuniorum diebus volucribus olim pastos fuisse Socrates tradidit. Hinc sane videntur carnium gradus quidam inter Hebraeos usu recepti fuisse; ut esurialibus diebus piscium, non item terrestrium animantium, esum sibi permiserint; qui mos ab Hebraeis deinde ad Christianos manarit. Nec enim Calmetum ad Num. XI. 21. alia omnia sentientem audio. Vide quae de jejuniis ad Matt. IV. 2. disseruimus.

AD I. COR. XV. 42. 43. 44.

Seminatur in corruptione . . . seminatur in ignobilitate . . . seminatur corpus animale] Vera & propria locutio; nam *seminari* est in utero concipi. Plaut. Amphit. I. 2. 19.

Alter decumo post mense nascetur puer,
Quam seminatus.

DISSERTATIO

AD I. CORINTHIOS XIV. 26.

CVM convenitis, unusquisque vestrum, psalmum habet? Doctrinam habet? &c. omnia ad aedificationem fiant.] Assentior iis qui singula hujus commatis membra cum interrogatione legunt Ex hoc porro Apostoli loco docemur, psallendi in Ecclesia disciplinam, ab Judaeis ceteroqui acceptam, jam tum initio viguisse. Sed dubito utrum ante Laodicenum Concilium Psalmi Davidici canerentur (*) an vero, quod potius est, cantica a fidelibus condita, iis nimirum qui hoc donum haberent. De his enim Paulus hic loquitur, non de Davidico Psalterio. Adhaec Therapeutae a Philone descripti (fuerint sane Hebraei, uti viris eruditis placet, ac per me licet; nam & ab Judaeis psalmodiam ad nos manasse modo monueram) novos a se Psalmos compositos in suis coetibus decantabant. Eusebius II. hist. 17. οὕτω πάλιν ἐξῆς περὶ τῶν νέως αὐτοῖς ποιεῖσθαι ψαλμῳδῶν, ὅτως γράφει . . . Ἀλλὰ καὶ ποιοῦσιν ἄσματα καὶ ὕμνους εἰς τὸν Θεὸν διὰ παντοίων μέτρων καὶ μελῶν, ῥυθμοῖς σεμνοτέροις ἀναγκαίως χαράττοντες. *Postmodum vero de novis Psalmis, qui ab iis Therapeutis componuntur, ita scribit Philo . . . Sed & cantica hymnosque in Dei laudem componunt omni metrorum genere, & gravitate rhythmorum.* Tum ad ejusdem capitis finem ex eodem Philone hauriens ait: τὰς τε λήγεσθαι εἰωθότας πρὸς ἡμῶν ὕμνους ἑορῶν· καὶ ὡς ἑνὸς μετὰ ῥυθμοῦ κοσμίως ἐπιψάλλοντος, οἱ λαικοὶ καθ' ἡσυχίαν ἀκροώμενοι, τῶν ὕμνων τὰ ἀκροτελεύτια συνεξηχοῦσιν. *Sed & canticorum genus, quod a nobis etiam recitari solet, Philo commemorat: & quo pacto, cum unus quispiam modulate ac decenter psalmum canere exorsus fuerit, ceteri cum silentio auscultantes, extremas dumtaxat hymnorum partes simul concinant.* In quem locum diximus nonnulla ad Ps. 135. ut intelligatur quid sint ἀκροτελεύτια. Haec de Therapeutis, de quibus, Judaeisne potius an Christianis accensendi sint, dubitatur. Jam de Christianis: Sozomenus VI. 25. de Apollinaristis: παρὰ τὰς νενομισμένας ἱερὰς ᾠδὰς ἔμμετρά τινα μελῴδια ψάλλοντες, παρ' αὐτῷ Ἀπολλιναρίῳ εὑρημένα &c. *Praeter sacros hymnos in Ecclesia cani solitos, cantica quaedam adstricta numeris psallentes, ab Apollinare excogitata.* Ac videtur illud νενομισμένας ἱερὰς ᾠδὰς ad psalmos Davidicos pertinere; nam illas vocat νενομισμένας ἱερὰς, Apollinaris aut ἔμμετρα & recens ab Apollinare inventa. Ergo Apollinaris aevo jam psalterium Davidicum in Ecclesiis canebatur: cum Apollinaristae de Apollinaris psalterio magnifice loquerentur, dixit Nanzianzenus

(*) Post Laodicenum Concilium Antiochiae Flavianus & Diodorus divisis bifariam choris psalmos Davidicos canendos sub Constantio Imp. tradiderunt, narrante Theodorito II. hist. 24. Verum hi alterum cantum instituerunt, nam ut Davidici hymni canerentur, prius obtinuerat. Et Theodorus Mopsuestenus apud Nicetam V. Thes. Orthod. fidei 30. inventum ipsum alterni cantus ad Syros refert auctores, quorum ἀντίφωνα Flavianus ac Diodorus ex Syro sermone in Graecum traduxerint in usum Antiochenae Ecclesiae; ut observat Valesius ad Socratis VI. 8.

Digitized by Google

anzenus Orat. 51. similia se quoque praestare posse: καὶ ἡμεῖς ψαλμολογήσομεν, καὶ πολλὰ γράψομεν καὶ μετρήσομεν: ut nemo de psalmorum Christianorum interitu expostulare possit, cum abunde ad specimen sufficiant Gregorii Nanz. ὑμνολογήματα, tum quae ex Ambrosio, Prudentio, & recentioribus, aetatem ferunt. Cujusmodi profecto & psalmi a Nepote compositi fuerant, de quibus Dionysius Alex. apud Eusebium VII. 24. καὶ τῆς πολλῆς ψαλμῳδίας, ἣ μέχρι νῦν πολλοὶ τῶν ἀδελφῶν εὐθυμοῦνται. *Et ob psalmodiam ab eo multiplicem institutam, quibus etiamnum multi ex fratribus delectantur.* Ex hoc genere privatorum psalmorum fuere S. Ephraemi, nec non Petri Edesseni hymni syriaca lingua conscripti, de quibus Gennadius cap. 74. de script. Eccl. *Petrus Edessenae Ecclesiae praesbyter . . more S. Ephraem Diaconi psalmos metro composuit.*

Hieracas Leontopolitanus auctor sectae Hieracitarum scripsit inter caetera Psalmos νεωτερικὰς h.e. *novitios*, teste Epiphanio haer. LXVII. qui Hieracam paulloante, quam ista scriberet (scripsit autem Epiphanius a. C. 375.) nonagenario majorem mortuum tradit.

Atque horum plerumque canticorum commune omnium argumentum fuisse videtur, ut Christo divinitatem assererent. Exstat de hoc apud Eusebium antiqui, sed incerti auctoris, qui adversus Artemonem Christi divinitatis hostem, stilum exacuit, testimonium in haec verba: ψαλμοὶ δὲ ὅσοι καὶ ᾠδαὶ ἀδελφῶν ἀπ' ἀρχῆς ὑπὸ πιστῶν γραφεῖσαι, τὸν Λόγον τοῦ Θεοῦ τὸν Χριστὸν ὑμνοῦσι θεολογοῦντες. *Psalmi quoque & Cantica fratrum jam ab initio a fidelibus elaborata, Christum Verbum Dei concelebrant, Divinitatem ei tribuendo.* Eusebius ipse IX. hist. 3. ubi de Ecclesiae pace & Ecclesiarum dedicationibus: καὶ εἷς ἐξ ἁπάντων θεολογίας ὕμνος. Valesius vertit: *Unus omnium concentus Divinitatem hymnis celebrantium.* Optime quidem. Verum in eo quod Langum reprehendit, interpretatum, *Divinitatem Verbi Dei* &c. immerito facit; ut ex recitato proxime testimonio licet intelligere. Certe θεολογεῖν τινα est illi divinitatem asserere: cui vero divinitatem vindicarent, nisi Christo? nam Patri supervacaneum videbatur. Atque hinc tritissimis Plinii verbis X. ep. 97. lucem perfundi crediderim, de Christianis scribentis: *Carmenque Christo, quasi Deo, dicere secum invicem.* Quae verba Tertullianus Apolog. c. 2. referens *ad canendum*, ait, *Christo & Deo*, sed refingendum *ut Deo*. Hinc etiam cur infensissimus divinitatis Christi hostis Samosatensis Paulus psalmorum concentum in Antiochena Ecclesia aboleverit, perspicue intelligitur, nimirum quod per eos Christo divinitatem attribui, ferre non posset. Hoc sane adversus illum accusationis caput pertexerunt Antiocheni patres in epistola synodica apud Eusebium VII. hist. 30. Ψαλμοὺς δὲ τοὺς μὲν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πάσας, ὡς δὴ νεωτέρους καὶ νεωτέρων ἀνδρῶν συγγράμματα· εἰς ἑαυτὸν δὲ ἐν μέσῃ τῇ ἐκκλησίᾳ, τῇ μεγάλῃ τοῦ Πάσχα ἡμέρᾳ ψαλμῳδεῖν γυναῖκας παρασκευάζων, ὧν καὶ ἀκούσας ἄν τις φρίξειεν. Valesius interpretatur: *Quin etiam psalmos in honorem Domini Jesu Christi cani solitos, quasi* (verterim potius *tanquam sane*) *novellos, & a recentioribus hominibus compositos, abolevit. Mulieres autem magno Paschae die in media Ecclesia psalmos quosdam canere ad sui ipsius laudem instituit; quod quidem audientibus horrorem merito incusserit.*

In quem sane locum sunt non pauca quae adnotem. Ac primum graviter errant quicunque (sunt vero non pauci) Paulum Samosatensem, ut Davidici psalterii hostem traduxere, quasi vero is CL canonicos psalmos, ut novitium opus, reprehenderit. Errant sane gravissime; nam quos psalmos ille insectabatur, vere recentes erant, a Christianis conditi atque uti deinceps dicetur, ἰδιωτικοί. Errori ansam praebuisse videtur interpretatio Latina (Rufini, Valesii) quae illud ὡς δὴ per particulam *quasi* reddidit, quod εἰρωνικὴν vim habere in speciem videbatur. Quare nos αὐτολεξεὶ *tanquam sane* expressimus. Tum & illud perspicitur, quid Samosatensem perpulerit, ut eam psalmodiam abrogaret, nempe quod eos psalmos dedita opera in id compositos intelligeret, ut Christo divinitatem, quam ipse non posset concoquere, vindicarent. Cum interim homo impudentissimus summisisset, qui se ipsum ferme Deo aequarent; & cum Christum ore blasphemo κάθοθεν h.e. de terra ortum contenderet; *Interim tamen*, inquiunt post pauca Antiocheni patres, *qui in ejus honorem psalmos canunt, . . . ipsum, quem impietatis doctorem habuerunt, Angelum esse dicunt de caelo delapsum*: οἱ δὲ εἰς αὐτὸν ψάλλοντες . . . ἄγγελον τὸν ἀπὸ βῆ διδάσκαλον ἑαυτῶν, ἐξ οὐρανοῦ κατεληλυθέναι λέγουσι. Vix equidem crediderim eo stultitiae Paulum processisse, ut juberet τοὺς ψάλλοντας se se de caelo lapsum depraedicare; sed cum semel hoc admisisset, ut psalmos in sui honorem cani sineret, psaltae illi ac psaltriae sollemne suum tenuerunt, ut de quo psallerent, ei divini quidpiam adscriberent: quando peculiare psalmorum in Christi honorem scriptorum, quibus tritas habebant aures, fuerat τὸ θεολογεῖν. Postremo quod Samosatensis Paulus mulierculas ad sibi psallendum summiserit; de sexu nihil novi fecit. Isidorus

ſidorus Peluſiota I. ep. 90. οἱ Ἀπόστολοι ψάλλειν ἐν ταῖς ἐκκλησίαις τὰς γυναῖκας συνιστῶς συνεχώρησαν· ἀλλ' ὡς πάντα εἰς τοὐναντίον ἐτράπη &c. . . χρὴ τοίνυν πάντως ταύτας καὶ τῆς ἐν ἐκκλησίᾳ ᾠδῆς. *Apoſtoli, ut mulieres in Eccleſia canerent ſapienti conſilio permiſerunt* (nimirum quod Judaeorum ſic uſus ferebat, uti patet ex cantico Mariae Virginis & Annae, & ex Maria illa quae mulierum choro praeibat Ex. XV. 21.) *verum ut omnia in deterius verti contingit . . . operae pretium eſt, eas a cantu deinceps in Eccleſia abſtinere.*

Atque haec priſca pſalmodia fuit, quo tempore priorum poëtarum novella exercitamenta decantari conſueviſſe jam, ſatis docuimus; de Davidico autem pſalterio altum, quod ſciam, ſilentium. Apud Euſ. IX. hiſt. 3. ubi de reddita Eccleſiae pace haud certum eſt per ψαλμωδίαν Davidicos pſalmos eſſe capiendos: καὶ θεοπρεπῆς, inquit, ἐκκλησίας θεσμοί, ὧν δὲ μὲν ψαλμῳδίαις καὶ ταῖς λοιπαῖς τῶν θεόθεν ἡμῖν παραδοθεισῶν φωνῶν ἀκροάσεσιν, ᾠδὴ δὲ . . . διανοίαις. Valeſius in notis prius ᾠδὴ ad laicos qui pſalmos canerent, ceterarumque ſcripturarum lectiones auſcultarent, pertinere ratus, poſterius vero ad miniſtros, vertit: *Auguſtique Eccleſiae ritus, hinc Pſalmos canentium & reliquas nobis divinitus traditas voces auſcultantium; illic . . . miniſteria* &c. Fallitur autem vir magnus. Vertendum fuerat, *hinc pſalmorum concentibus, ceteriſque ſcripturarum auſcultationibus.* Vtrumque laici auſcultabant, & pſalmorum (ἰδιωτικῶν opinor) concentus & ſcripturarum lectiones. Si Pſalmos ἰδιωτικοὺς ſive Canonicos Euſebius intellexiſſet, non λοιπαῖς dixiſſet, ſed λοιπῶν, Valeſius ergo hoc ſaltem peccavit, quod *reliquas . . . voces* in ſua interpretatione poſuit. Nec tamen pernegare auſim, quin una cum novellis illis, de quibus jamdiu loquimur, hymnis etiam illi CL ex Hebraeo ſermone verſi permiſcerentur. At vero Laodicena Synodus (quae poſt ann. 360. a viris doctis rejicitur) can. 59. vetuit *ne pſalmi idiotici in Eccleſia canerentur*: ὅτι οὐ δεῖ ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς λέγεσθαι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Quoſnam ἰδιωτικοὺς ψαλμοὺς Laodiceni patres intellexerunt? Zonaras & Balſamon, quos vide Salomonis pſeudigraphos pſalmos, & quicunque extra CL illorum numerum circumferrentur, ſunt interpretati. Agobardus lib. de ritu canendi pſalmos in Eccleſia, eodem recidit, dum ab imperitis hominibus compoſitos, nec a Spiritu Sancto dictatos vult intelligi. Hi quidem ex ſua aetate judicium fecerunt, qua nonniſi illi CL ac praeterea pſeudepigraphi nonnulli pſalmorum nomine cenſebantur, ceteri vero a Chriſtianis compoſiti *Hymni* dicebantur, quaſi inter pſalmorum hymnorumque vocabulum intereſſet. Quare haud ſcio an praeſtet quoſcunque a privatis hominibus elaboratos (idque ad illorum CL. diſcrimen) Laodiceno canone vetari. Verum hoc non videtur obſervatum; nam & poſt Laodicenam ſynodum hymnis, quos Chriſtiani condiderant, locus fuit. Omnino hic mihi tenebrae, & conſulendi qui de pſalmodia conſcripſerunt (**).

(**) Sigebertus in Chronico narrat Damaſcum Papam rogatu Hieronymi, ut Pſalterium in Gallicanis Eccleſiis decantaretur, inſtituiſſe. Vetus Catalogus Romanorum Pontificum exhibitus to. 1. menſis Aprilis ab Henſchenio & Papebrochio: *Hic* (Caeleſtinus I.) *fecit ut pſalmi centum quinquaginta deberent ante ſacrificium pſalli: quod ante non fiebat, niſi tantum epiſtola Pauli Apoſtoli, & Sanctum Evangelium, & ſic miſſae celebrabantur.* Paria habet Liber Pontificalis in Caeleſtino. Mutuatus id inſtitutum dicitur Caeleſtinus a S. Ambroſio, quia idem ab Orientalibus dudum acceperat. Verum dubium eſt, utrum ante id tempus Pſalmi in officiis canerentur; nam citata monumenta de Miſſa loquuntur.

Digitized by Google

II. AD CORINTHIOS.

AD II. COR. I. 3.

Deus totius consolationis] Gr. πάσης παρακλήσεως h. e. *omnis consolationis*, quemadmodum Afri verterunt in profess. fidei apud Victorem Vitensem III.20. Sed tamen *totus* pro *omnis* libentius usurpabant, quo aevo Latine translata sunt Biblia. Inscriptio Christiana agri Campani: *Hic est posita felicitas totius bonitatis femina*. Item Vopiscus: *Omnesque orbis partes in totam securitatem reductae sunt*. Ammianus quoque *totam felicitatem* dixit. Spartianus Hadriano cap. 4. *Secundo Cos. favore Plotinae factus, totam praesumtionem adoptionis emeruit*. Vide quae ibi Salmasius.

AD II. COR. II. 14. 15.

Odorem notitiae suae manifestat . . . Christi bonus odor &c.] Horum duorum commatum sensus est, praedicantis γνῶσιν seu doctrinam ex odore vitae φανερῶσθαι; ideo addit *Christi bonus odor sumus*. Hanc explanationem confirmat Ignatius epist. ad Magnesios. Ἁλίσθητε ἐν αὐτῷ, ἵνα μὴ διαφθαρῇ τις ἐν ὑμῖν, ἐπὶ ἀπὸ τῆς ὀσμῆς ἐλεγχθήσετε. Vetus interpres: *Salificemini in ipso* (Christo), *ut non corrumpatur aliquis in nobis, qui ab odore redarguemini*.

AD II. COR. II. 17.

Adulterantes Verbum Dei] Gr. καπηλεύοντες ad verbum quidem est *cauponantes* h.e. lucro prostituentes. Vt Ennius dixerat, *non cauponantes bellum*, quod Graecis est καπηλεύειν μάχην: eodemque modo καπηλεύειν εἰρήνην, τὰς δίκας, τὴν σοφίαν, τὰ παθήματα, &c. Verum καπηλεύοντες hoc loco si sensum rimeris, est *adulterantes*. Porphyrius apud Eusebium VI. hist. 19. τὴν ἐν τοῖς λόγοις ἕξιν ἐκαπήλευσε. Quod Rufinus vertit, *vitiavit atque corrupit*. Reperitur & κεκαπηλευμένος pro κεκιβδηλευμένος, & ἀκαπήλευτος γνώμη, *sincerus animus*, item ἐκκαπηλεύω & κατακαπηλεύω pro *adultero*. Omnino quod hoc loco καπηλεύοντες sit idem, quod νοθεύοντες, ex sequentibus cognoscitur, ἀλλ' ὡς ἐξ εἰλικρινείας ἐν Χριστῷ λαλοῦμεν. Consonant Patrum Graecorum interpretationes (quas videsis in Suiceri thesauro in καπηλεύω) praesertim Theodoreti in hunc Apostoli locum, ex quo & illud intelligitur, cur καπηλεύειν tantundem valeat, quod *adulterare*, ex eo nimirum quod κάπηλοι vina vitiare soleant aquam admiscentes. Notabilis & Ignatii ad Trallian. locus apud eundem Suicerum.

AD II. COR. IV. 7.

Habemus autem thesaurum istum in vasis fictilibus] Gr. ἤγουν (subdit Hieronymus vetus auctor in Φιλοπονία, quam Fabricius vol. VIII. bibl. Gr. inseruit; pag. 382. extrema) ἐν τοῖς πηλίνοις ἡμῶν σώμασι· *hoc est in luteis nostris corporibus*; quae & σκεύη 1. Thes. IV. 4. & alibi appellantur, & ὀστράκινα, habita nimirum primaevi πλάσματος ratione. Omnino enim hîc duplex allusio; in ἀλληγορυμένῳ nanque ad primaevam, uti dixi, hominis, formationem respicitur; at in ἀλληγορίᾳ ipsa ad morem antiquum condendae pecuniae. Quippe in vasis

Digitized by Google

vasis fictilibus, puta seriis, ollis (vide Plauti Aululariam) & quibuscunque operibus doliaribus condi thesauros, ac defodi consueviſſe, notius est quam ut exempla moris hujus sint conquirenda. Nec solum pecunia, sed & libri, & quidquid seriniis mandari soleret, hujusmodi testis committebantur: ac de libris aut instrumentis memini alibi dixisse. Omnino igitur παροιμιῶδες istud *thesaurus in vase fictili* pulchre Apostolus ad corpora nostra πήλινα transtulit, quibus animus praegnans Evangelica gratia includitur.

AD II. COR. IV. 8.

Aporiamur, sed non destituimur] Verbum est Graecum Latina formatione, quo vetus interpres utitur etiam Ecclesiastici XVIII. 6. Vtrobique autem Graece est ἀπορέομαι. Legitur etiam *aporior* in Isaia LIX. 16. Posterior Latinitas non paucas hujusmodi voces invexit; ut *chrysographare* in epistola Valeriani apud Vopiscum; *catamidiari* aut *catomidiari* apud Spartianum Hadriano cap. 18. *tauroboliari* apud eundem Spartianum Elagabalo &c.

AD II. COR. V. 1.

Si terrestris domus nostra hujus habitationis dissolvatur] Illud *habitationis* Graece est σκήνους, quod hîc μεταφορικῶς corpus significat, ut & 2. Pet. I. 13. 14. σκήνωμα parem significationem habet, & ut ibi notavimus, etiam apud Aëtium. Atque hujus quidem significationis exempla interpretes in hunc locum tibi suppeditabunt. Nos alia praeterea omissa huc comportabimus. Apud Platonem in Axiocho illud τὸ δὲ σκῆνος πρὸς κακῷ περιήρμοσεν ἡ Φύσις, interpretantur: *Hoc autem corpus, quod circundedit animo natura, ipsi animo damno est.* Eurysus Pythagoreus lib. de Fortuna datum homini ait τὸ σκῆνος τοῖς λοιποῖς ὅμοιον, *corpus ceteris animantibus simile.* Apollinis de Plotino oraculum apud Porphyrium in Plotini vita ψ. 33.

Νῦν δ' ὅτε μὲν σκῆνος μὲν ἐλύσαο, σῆμα δ' ἐλείψας
Ψυχῆς δαιμονίης . . .

Vbi ex Platonicorum disciplina non tantum σκῆνος sed & σῆμα h. e. *loculus, sepulchrum* pulchra adnominatione σῶμα dicitur. Ac nemo facile frequentius Eusebio, σκῆνος ea notione usurpavit. VII. hist. 16. Asturius dicitur ἄρας τὸ σκῆνος Marini Mart. sepeliviſſe. In III. de vit. Const. 47. de Helenae cadavere, καὶ τὸ σκῆνος δὲ τῆς μακαρίας &c. Adhaec in IV. ejusdem operis cap. 66. 67. 69. 70. 71. Constantini cadaver haud aliter, quam σκῆνος appellatur. Postremo Hesychius σκῆνος interpretatur σῶμα. Varinus (ex aliquo, opinor, vetere grammatico) adjecit & caussam: σκῆνος, ait, καὶ τὸ σῶμα (significat) παρὰ τὸ σκήνωμα καὶ σκηνὴν εἶναι τῆς ψυχῆς, οἷον οἰκητήριον.

Quod autem τῷ σκήνει heic διάλυσις, & 2. Pet. I. 14. ἀπόθεσις conjungitur, continuatio est metaphorae: nihil enim citius tabernaculo compingitur, aut dissolvitur: posterius hoc διάλυσις dicitur, aut, quia tigna refiguntur, ἀπόθεσις.

AD II. COR. V. 10.

Vt referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum, sive malum.] Ambros. ep. (34) ad Horontian. n. 5. *Pulchre ait, Propria corporis, ideſt quod susceptit regendum; ut si bene rexit, praemium referat . . si male supplicium.*

Digitized by Google

AD II. COR. V. 16.

Itaque nos ex hoc neminem novimus ſecundum carnem &c.] Explicat haec Ambroſ. ep. (39) ad Fauſtinam n. 5.

AD II. COR. VI. 16.

Qui autem conſenſus templo Dei cum idolis?] Gr. Τὶς δὲ συγκατάθεσις ναῷ Θεῦ μετὰ εἰδώλων; Similis phraſeologia apud Athenaeum occurrit lib. V. ubi negat Socratem, quem Plato ter militaſſe ſcribit, umquam fuiſſe militem. Τὶ γὰρ ἀσπίδι ξύνθημα καὶ βακτηρίᾳ; *Quis clypei conſenſus cum baculo?* Nam Socrati πλὴν τρίβωνος καὶ βακτηρίας οὐδὲν ἦν, *praeter pallium & baculum nihil erat.*

AD II. COR. VII. 8.

Quoniam etſi contriſtavi vos in epiſtola, non me poenitet &c.] T. Quintius apud Liv. III. 68. *His ego gratiora dictu alia eſſe ſcio: ſed me vera pro gratis loqui, etſi meum ingenium non moneret, neceſſitas cogit. Vellem equidem vobis placere, Quirites: ſed multo malo vos ſalvos eſſe, qualicunque erga me animo futuri eſtis.*

AD II. COR. VIII. 23.

Sive pro Tito, qui eſt ſocius &c. ſive fratres noſtri] Graece εἴτε ὑπὲρ Τίτου, κοινωνὸς ἐμὸς . . . εἴτε ἀδελφοὶ ἡμῶν. Multa in his libris σολοικοφανῆ, & ἄπτατα ſunt, quibus caſus recti ἀκλίτως uſurpantur. Vide Grotium ad Marci VI. 10. ubi plures Graecorum Scriptorum locos appoſite congerit. Poſſum autem & marmorum inſcriptiones Graecas Latinaſque quamplurimas adducere. Nego enim, quoties id occurrit, id ſemper quadratariorum inſcitiae tribuendum; praeſertim in clarorum virorum monumentis, aut quae publica auctoritate poſita fuere. Tale eſt illud Homericum Il. B. 350.

Φημὶ γὰρ ὄν κατανεῦσαι ὑπερμενέα Κρονίωνα, ...
Ἀστράπτων ἐπιδέξι', ἐναίσιμα σήματα φαίνων.
Nanque reor nutaſſe Jovem tum fulgure dextro,
Signaque prae ſe, nec non omnia fauſta, tuliſſe.

AD II. COR. IX. 6.

Hoc autem dico: qui parce ſeminat, parce & metet, & qui ſeminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet.] Gr. Τῦτο δὲ, ὁ σπείρων φειδομένως, φειδομένως καὶ θερίσει· καὶ ὁ σπείρων ἐπ' εὐλογίαις &c. Quod ſic poſſis interpretari: *Hoc autem illud eſt* (vetus dictum ſcilicet): *qui parce ſeminat* &c. Multo id evidentius eſſet, ſi litterulae additamento legeretur, Τῦτο δὲ τὸ Σπείρων &c. Exſiſtit autem pentameter non inelegans in verbis quae ſequuntur,

Σπείρων φειδομένως, φειδομένως θερίσει.

Nec inutiliter (ut ad priorem epiſtolam ſcripſimus) Paulus veterum poëtarum dicta uſurpabat; ex quibus ut orationem unam cum ſuis contexeret, etiam monoſyllabum καὶ majoris emphaſeos cauſſa addiderit; quod & aliis Scriptoribus profanis in uſu fuit, ut ibi diximus. Quod vero ſequitur. *Et qui ſeminat in benedictionibus* &c. ἀντίστοιχον eſt prioris ſententiae. Siquis, ſpreto pentametro, totum comma unius Judaei aretalogi eſſe malit; non repugnabo: nam Judaeorum

Digitized by Google

rum γνῶμαι ἀντιστοίχως plerunque procedunt; cujuſmodi in Salomonis proverbiis, & Eccleſiaſte, & in Sirachide plurima occurrunt.

AD II. COR. IX. 10.

Augebit incrementa frugum juſtitiae veſtrae] Gr. γενήματα δικαιοσύνης h.e. *proventus juſtitiae*. Γενήματα porro praeter cetera fetus agrorum ſignificant. Polybius lib. 3. στρατοπεδεύσας ἐν χώρᾳ πρὸς πάντα τὰ γενήματα διαφερούσῃ Ex. XXIII. & Eccleſiaſtici XLV. πρωτογενήματα ſunt primitiae; ſicuti γενήματα pro terrae fructibus in iiſdem Graecis interpretibus ſexcenties. Ergo inde factum, ut interpreti *frugum* vocabulum in mentem venerit, praeſertim cum ſementis ante facta eſſet mentio. Verum quid attinebat *incrementa frugum* vertere? An quod in ſuo codice legerat, ut ex Valeſianis lectionibus citatur, αὔξησιν τῶν γεννημάτων? Equidem hanc potius ſcripturam ex vulgata interpretatione interpolatam arbitror. Ceterum ab omnibus aliis MSS. abeſt iſtud αὔξησιν. *Incrementa* de ſuo admenſus videtur interpres, qui & ſuperiore commate de eleemoſyna agi videret, & heic quoque juſtitiam pro eleemoſyna poſitam ſciret. Incrementa autem liberalitatis notionem habebant eo ſaeculo, quo primum Latina eſt haec facta translatio. Vetus inſcriptio: INCREMENTA · PVERIS · CVRIAE · ET · SPARSIONEM · NVCVM · DENT · Vopiſcus in Probo: *Vt ejus dignitas incrementis adjuvetur*. Locutio inde nata videtur, quod liberalitates exercentibus bene precari atque acclamare ſolerent, ut earum rerum, quas largirentur, πολλαπλασιασμὸν experirentur. Eodem, ut puto, reſpexit interpres, ut ſignificaret, quidquid nos egentibus impertimus, id cum foenore in noſmet rediturum.

AD II. COR. X. 4.

Ad deſtructionem munitionum] Rejectum olim a criticis *deſtructionis* vocabulum, poſtea revocatum fuit, poſtquam animadverterunt Quintiliani X. 7. Suetonii Galba c. 12. uſu comprobari.

AD II. COR. XI. 1.

Vtinam ſuſtineretis modicum quid inſipientiae meae] Gr. ἀφροσύνης. Saepe hoc & ſequenti capite ἀφροσύνη cum καυχήσει ferme confunditur. Porro hunc locum imitatus videtur Dionyſius Alex. lib. contra Germanum apud Euſebium VII. hiſt. 11. Nam cum de ſe quaedam, quaſi gloriabundus, dicturus eſſet, praefatur ita: Εἰς ἀφροσύνην δὲ κινδυνεύω πολλὴν καὶ ἀναισθησίαν ὄντας ἐμπεσεῖν &c. *Equidem videor ne in dementiam ac ſtuporem labi videar, dum admirandam erga nos Dei providentiam referre cogor*. Ac poſt multa, ubi a ſe toleratas pro Chriſto aerumnas cum Germani factis contuliſſet, concludit: ἀλλὰ τῆς πολλῆς ἀφροσύνης, εἰς ἣν ἐμπίπτω διὰ Γέρμανον, ὑφίεμαι. *Verum a dementia, in quam me Germani cauſſa delapſum ſentio, tandem abſiſto*. Videſis Valeſii notas in Euſebium.

AD II. COR. XI. 16.

Vt & ego modicum quid glorier &c.] Quaedam de ſe ad fratrum aedificationem praedicaturus Apoſtolus, mirum quam multa praefatur, quam multa ex intervallo παρεντίθεται ad ejus rei invidiam amoliendam. Exſtat Plutarchi liber περὶ τοῦ ἑαυτὸν ἐπαινεῖν ἀεπιφθόνως. Cicero de haruſp. reſp. *Poteſt quiſquam vir*

Digitized by Google

in rebus magnis cum invidia versatus, satis graviter contra inimici contumeliam sine sua laude respondere? Verum quid haec frustra commemoro, quasi Apostolo cum exterorum sapientibus commune aliquid esse possit?

AD II. COR. XI. 29.

Quis infirmatur, & ego non infirmor?] Gr. τίς ἀσθενεῖ, καὶ οὐκ ἀσθενῶ; quod possis vertere; *Quis calamitate aliqua premitur, quin ego vicem ejus doleam?* Omnino enim prius ἀσθενεῖν non aliud heic, quam ταλαιπωρίαν *aerumnam* significat; nam apud Suidam ἀσθένεια exponitur ταλαιπωρία: posterius vero ἀσθενῶ valet heic συμπάσχω i. e. vicem alicujus doleo. Estque significatio petita ex Hebraeo I. Sam. XXII. 8. ubi pro eo quod Hieronymus Latine posuit, *Non est qui vicem meam doleat ex vobis*; in Hebraeo legitur: *Et non est aegrotans* (חלה *choleh*) *ex vobis pro me.*

AD II. COR. XII. 6.

Nam & si voluero gloriari, non ero insipiens] Quatenus sua praedicare liceat, Apostolus exemplo heic suo docuit; cum aliorum id utilitas expetit. Maximus Tyrius, qui dissertatione 37. gloriosior nonnullis videtur, hanc affert suae jactantiae causam: ὥστε ἐγώγε τέως μὲν καὶ πρὸς ἅπαντας ὑπὲρ τῶν ἡμετέρων σιγὴν ἔχων, καὶ μηδὲν σεμνὸν μηδὲ ὑπέραυχον μήτε ἰδίᾳ, μήτε εἰς κοινὸν εἰπὼν νῦν μοι δοκῶ ὑμῶν ἕνεκεν γαυρότατα ἂν καὶ μεγαλαυχότατα εἰπεῖν. *Mihi qui de rationibus nostris, & studio tacuerim, nihil grande, nihil jactabundum publice aut privatim dixerim, vestra nunc libet causa vel cum maxime gloriari & magnifica jactare.* Eo nempe Maximi ferme oratio pertinet, non esse eos philosophos magnopere sectandos,

Qui Curios laudant & bacchanalia vivunt.

Sed qui quae docent, moribus suis exprimant (ut in praecedentibus dixerat) id vero inculcari auribus sine nonnulla sui praedicatione vix poterat.

AD II. COR. XII. 7.

Angelus Satanae, qui me colaph.] In Barnabae epistola initio partis posteriotis, duae viae esse traduntur, una lucis, cui praesint Angeli Dei φωταγωγοὶ, altera tenebrarum, cui ἄγγελοι τῦ Σατανᾶ praesideant. De angelis Diaboli mentio Matt. XXV. 41. de angelis Draconis Apoc. XXII. 7. 9.

AD II. COR. XII. 16.

Ego vos non gravavi] Gr. ὐ κατεβάρησα ὑμᾶς. Hoc multis locis a Paulo inculcatum, etiam Ignatius usurpavit epist. ad Philadelph. Οὐκ ἔχει τις καυχήσασθαι, ὔτε λάθρα, ὔτε φανερῶς, ὅτι ἐβάρησά τινα ἐν μικρῷ, ἢ ἐν μεγάλῳ. Vetus interpres: *Non habet aliquis gloriari neque occulte neque manifeste, quoniam gravavi aliquem in parvo vel in magno.*

AD II. COR. XII. 21.

Et non egerunt poenitentiam super immunditia &c.] Gr. καὶ μὴ μετανοησάντων ἐπὶ τῇ ἀκαθαρσίᾳ &c. *Durior constructio* ista videtur H. St. in thes. At Helleniſtae verbum μετανοῶ passim cum praep. ἐπὶ, περὶ, ἀπὸ &c. jungunt, uti constat ex V. T. Graecis interpretibus, apud quos nihil frequentius quam μετανοεῖν ἐπὶ ταῖς κακίαις vel κακίᾳ. Vide Graecas Concordantias, & ad Act. VIII. 22. Scio quid H. Stephanum offenderit. Τὸ μετανοεῖν in scripturis ille interpre-

Digitized by Google

terpretatur *reſipiſcere*, ut nihil aliud quam vitae emendationem complectatur, abreptus nimirum partium ſtudio. At nobis μετάνοιαν internum animi dolorem cum reſipiſcentia junctum definientibus, mirifice locus hic favet, qui, non a quo quis reſipiſcat (ut eſt ἀπὸ τῆς κακίας Act. VIII. 22.) ſed de quo doleat, declarat. Similis eſt uſus verbi μετανοῶ ſequente ὅτι in Graecis interpretibus; Quamquam & μετανοεῖν ἀπὸ vel ἐκ in Actis & Apoc. eandem poteſt habere vim; has enim praepoſitiones non tantum *terminum a quo*, verum etiam cauſſam deſignare vel pueri ſciunt; ut idem ſit ἀπὸ τῆς κακίας, quod ἐπὶ τῇ κακίᾳ.

Ne iterum cum venero .. lugeam] Et quae ſequuntur: quae paullo aliter occurrunt apud Cyprianum epiſt. (52.) ad Antonianum: *Timeo ne forte veniens ad vos, lugeam multos ex iis qui ante peccaverunt, & non egerunt poenitentiam de immunditiis, quas fecerunt, & fornicationibus & libidinibus.*

AD II. COR. XIII. 5.

An non cognoſcitis vosmetipſos, quia Chriſtus Jeſus in vobis eſt?] Gr. ἢ οὐκ ἐπιγινώσκετε ἑαυτοὺς ὅτι &c. quod tantundem eſt ac: ἢ συνοίδατε ἑαυτοῖς, ἔχειν ἐν ἑαυτοῖς Ἰησοῦν Χριστόν. *An non conſcii vobis eſtis* &c. At Afri in profeſſione fidei apud Victorem Vitenſem III. 16. minus accurate in hunc modum: *An neſcitis, quia Jeſus Chriſtus eſt in nobis?*

DISSERTATIO

AD II. AD CORINTHIOS VIII. 19.

NON ſolum autem, ſed & ordinatus eſt ab Eccleſiis ſocius peregrinationis meae] Gr. χειροτονηθεὶς proprie & eleganter Noſter transtulit *Ordinatus* h.e. *electus*, *creatus*; id enim Graece χειροτονεῖν, Latine *ordinare* valet. Ex quo intelligitur, *ordinationem* apud vetuſtiſſimos Eccleſiae Scriptores non eſſe τὴν τελεσιουργίαν ſive conſecrationem, ſed proprie electionem; & *ordinare τὰς ἱερωσύνας* idem eſſe quod *creare*: Etſi quia poſtea obtinuit, ut χειροτονία non tantum de electione Clericorum, ſed & de conſecratione uſurparetur (exempla videſis in Suiceri theſauro) idem ordinationis vocabulo accidit (*). Sed prioribus ſaeculis *ordinatio* meram electionem notabat, quae plerunque clericorum & plebis ſuffragiis fiebat. Id verbum ex laicorum magiſtratuum creatione in Eccleſiae uſum tranſiit. Suetonius Veſpaſiano cap. XXIII. *Ipſum candidatum ad ſe vocavit, exactaque pecunia, quantam is cum ſuffragatore ſuo pepigerat, ſine mora ordinavit.* Idem Domitiano c. 4. *Ecquid ſciret, cur ſibi viſum eſſet ordinatione proxima Aegypto praeficere Metium Rufum.* Exempla hujus notionis plura reperies apud poſteriores Scriptores, ut Ammianum & hujuſmodi alios. In epiſt. Claud. Juliani ad Maximum & Balbinum in horum impp. vita cap. 17. *Vt ſe ordini profiteretur iratum.* Lampridius de Alexandro Sev. cap. 45. *Vbi aliquando voluiſſet . . . procuratores i. e. rationales ordinare, nomina eorum proponebat, hortans populum, ut ſi quis quid haberet criminis, probaret manifeſtis rebus; ſi non probaſſet, ſubiret poenam capitis: dice-*

(*) S. Hieronymus in Iſaiam: Χειροτονίαν i. e. *ordinationem Clericorum, quae non ſolum ad imprecationem vocis, ſed ad impoſitionem impletur manuum.* Auguſtinus epiſt. 137. *Manus ordinationis imponere.*

Digitized by Google

dicebatque grave esse, quum id Christiani & Judaei facerent in praedicandis Sacerdotibus, qui ordinandi sunt, non fieri in provinciarum rectoribus, quibus & fortunae hominum committerentur & capita. Lactantius de mortibus persecut. cap. 2. *Cum resurrexisset* (Christus) *die tertia, congregavit discipulos . . . ordinavitque eos, & instruxit ad praedicationem dogmatis & doctrinae suae*. Errat si quis Apostolos externis caeremoniis, uti nunc fit, a Christo consecratos episcopos Lactantii auctoritate pertenderit : nam τὸ ORDINAVIT Firmiani tantundem est, quod *elegit*, eosque sua missione donavit. Nam ex aliis patribus discimus, Apostolos nullo ordinationis sive consecrationis sacramento a Christo initiatos, tamen ejusdem sacramenti effectum sive potestatem ab eodem accepisse. Eod. lib. cap. 26. *Ordinabantur jam, censitores, qui Romam missi describerent plebem.* Hinc patet, errare magni nominis Theologos, qui sibi persuadent, *ordinationem* ab *ordine* dictam, quasi ex eo quis *ordinari* dicatur, quia ad *ordines* promovetur. Mihi secus videtur, ac neutram ab altero descendere. Nam *ordinatio* & *ordinare* prius mihi dici coeptum videtur, quam Ecclesiae gradus *ordines* dicerentur. Quarto demum aut quinto saeculo *ordines* pro variis Ecclesiae gradibus, sive pro Sacramento ordinis usurpari coeperunt. Zozimus Papa saeculo ineunte quinto, epist. ad Hesychium cap. 1. *Hinc passim numerosa popularitas . . . dum parochias extendi cupiunt, aut quibus aliud praestare non possunt, divinos ordines largiuntur*. At aevo Tertulliani *Ordo* Clerum significabat, ex eo appellatione deducta, quod Clerus esset Ecclesiae senatus, cujus respectu cetera Ecclesia *plebs* dicebatur; idque ad imitationem Coloniarum ac municipiorum, in quibus senatus *Ordo decurionum* aut simpliciter *Ordo* appellabatur (constat id ex sexcentis inscriptionibus, quibus ORDO i. e. decuriones a plebe distinguitur; ex Gloss. Gr. Lat. βουλευτήριον, *haec curia*, *Ordo*): ex quo factum ut apud Christianos aevi Tertullianei ac Cyprianici tantundem valeret *plebejus*, quod laicus, quorum συναγωγὴ *plebs* vocabatur, Clerus vero universus *Ordinis* appellatione cohonestabatur, quod revera esset Ecclesiae Senatus. Tertull. de Exhort. Castit. cap. 7. *Differentiam inter Ordinem & plebem constituit Ecclesiae auctoritas, & honor per ordinis consessum* (hoc est τὸ τῦ βουλευτηρίου συνέδριον) *sanctificatus: adeo ubi Ecclesiastici Ordinis non est consessus, & offers* (o laice) *& tinguis & sacerdos es tibi solus*. Scripsit haec Tertullianus jam haereticus, ut obiter tirones admoneam. Ibidem : *Vnius matrimonii esse debere, qui alleguntur in ordinem Sacerdotalem*. Non tantum Diaconi in tertio erant sacerdotio, uti loquitur Optatus; sed &ceterorum Clericorum suum erat ἱεράτευμα, i. e. cura sacrorum, quos adeo universos Septimius *Ordinem sacerdotalem* appellat. De idololatria cap. 7. *Adleguntur in ordinem Ecclesiasticum artifices idolorum. Prob scelus* ! Et extremo libro de exhort. castit. *Quanti igitur & quantae in Ecclesiasticis ordinibus* (i. e βουλευτηρίοις, seu Cleris; sicuti & Colonicos senatus *publicos ordines* dixerat lib. de cor. cap. 12.) *de continentia censentur*. De Monogamia cap. 12. *De Ecclesiasticis ordinibus* (h. e. Cleris) *agebatur, quales ordinari oporteret*. Leo epist. 9. de ordinationibus episcoporum. *Teneatur subscriptio clericorum honoratorum testimonium, ordinis consensus & plebis*. Heic ordo pro decurionibus ponitur; nam jam de clericis praecesserat.

Ex hactenus dictis intelligis, opinor, *ordinationis* & *ordinis* vocabula nihil habuisse commune, ac neutrum ab altero derivatum; ac sero factum, ut cum *Ordo* senatum Ecclesiae significaret, etiam varii gradus ejusdem senatus *ordines* nuncuparentur; unde & ordinis sacramentum appellari coeptum. *Ordinatio* autem (sicut & Graecis χειροτονία) non aliam initio Ecclesiae notionem subjectam habebat, quam apud profanos scriptores, nimirum *creationis* seu *electionis*: sed quia creatio & consecratio eodem simul actu peragebantur, sensim eo res adducta fuit, ut tam Latinum *ordinatio*, quam Graecum χειροτονία pro consecrationis munere saepe numero acciperentur.

Dixi *saepenumero* eo significatu ea accepta vocabula; nam & posterioribus saeculis utrunque pro sola creatione usurpari usuvenit: quod non animadversum in inextricabiles ambages viros eruditos conjecit. Hujus observationis paucis exemplis contentus ero. Nicaenae synodi prioris epistola ad Alexandrinos (to. 2. Labbeanae edit. pag. 250.) de Meletianis habet: *Illi vero qui ab eo* (Meletio) *in sacrum ordinem lecti sint, simul atque sanctiore ordinatione* (μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ) *confirmati fuerint . . . permittatur illis quidem honoribus frui, & sacris muneribus fungi*. Ac frustra queritur Suicerus in thes. in χειροτονία n. IV. dicendum fuisse μυστικωτέρᾳ χειροθεσίᾳ: quem vide si lubet. Nam & Socrates I. 9. & Theodoritus I. hist. Eccl. 9. iisdem plane verbis epistolam recitant. Nec audiendus Valesius ad dicta Socratis & Theodoriti loca, iteratam consecrationem heic agnoscens. Non enim de consecratione heic agitur, quam aliquando iteratam nunquam Valesius pervincet

Digitized by Google

eet (*) ſed de inſtitutione, ſive creatione. Suadet id vox καταστάντας (ſic enim epiſtola habet: τοὺς δὲ ὑπ' αὐτῶ (Μελετίου) καταστάντας) quae vox *creatos* non *conſecratos* ſignificat: ſuadet & vox βεβαιωθέντας (ſic enim pergit: μυστικωτέρᾳ χειροτονίᾳ βεβαιωθέντας, κοινωνῆσαι &c.) quae vox eo pertinet, ut nova inſtitutione confirmari eos oportuerit, non iterato conſecrari ſive χειροθετεῖσθαι. Impoſuit viris doctiſſimis adjuncta vox μυστικωτέρᾳ. At Nicaeni Patres iteratam illam inſtitutionem μυστικωτέραν appellant, ſive quod non ſine myſticis precibus perficiebatur, ſive quod rite per legitimos μύστας adminiſtrabatur.

Eodem pertinent illa, quibus Theophilus Alexandrinus canonem Nicaenum octavum exponit (vide to. 2. Conc. Labbei pag. 1801.) *Quoniam ergo Magna Synodus Nicaeae habita ſtatuit, ut ordinentur, qui accedunt juxta hanc formam* (de Catharis loquitur) *eos qui ad Eccleſiam accedent, ordina*. Non enim novam conſecrationem, ſed iteratam inſtitutionem intelligit.

Ac vereor, ut ſola vocum χειροτονίας & ordinationis ambiguitate detecta, multa in veteris Eccleſiae monumentis ἰνανταιοφανῆ diluantur. Canon Capuenſis in Concilio Carthaginenſi relatus de non iterandis ordinationibus haereticorum in eam partem eſt accipiendus, ut conſecrationem iterari vetet, inſtitutionem non vetet. Contra vero ſiqua ſunt alia Eccleſiaſtica monumenta, quae ordinationes ab haereticis, aut contra canones factas, ἀκύρους irritas eſſe oſtendunt, ea de creatione ſunt intelligenda, non de conſecratione. Quae quidem lis (de ordinationibus haereticorum aut contra canones factis quo ſenſu irritae fuerint) quae ſupremi ſubſellii theologos inter ſe commiſit, hac ſola obſervatione adhibita componi poterat. Ac ſuſpicor ex ejuſdem obſervationis ignoratione quoſdam aevi poſterioris epiſcopos maximas in Eccleſia tragoedias excitaſſe, dum interdum eorum conſecrationem caſſam eſſe pertenderent, quorum (quippe contra ſtatuta canonum ordinatorum) ordinatio quidem ſeu inſtitutio atque electio, irrita fuit, at τελισιτργία ſive initiatio irrita eſſe non poterat: id certe veteris Eccleſiae ſermo praeferebat, quoties χειροτονία aut ordinatio ἄκυρος dicebatur.

Jam vero quid celebri Leonis Magni loco faciemus, qui viris eruditis crucem fixit? Is epiſtola 2. (alias 92.) inquiſitione 1. inquirenti Ruſtico Epiſcopo Narbonenſi *de preſbytero vel diacono, qui ſe epiſcopos eſſe mentiti ſunt, & de his, quos ipſi clericos ordinarunt*, reſpondet in hunc modum: *Nulla ratio finit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a clericis ſunt electi, nec a plebibus ſunt expetiti, nec a provincialibus epiſcopis cum metropolitani judicio conſecrati. Unde cum ſaepe quaeſtio de male accepto honore naſcatur, quis ambigat, nequaquam iſtis eſſe tribuendum, quod non docetur fuiſſe collatum. Siqui autem Clerici ab iſtis pſeudo-epiſcopis in eis Eccleſiis ordinati ſunt, quae* (*quae* legendum, ut referatur ad *eis Eccleſiis*, non *qui* cum Queſnellio) *ad proprios epiſcopos pertinebant, & ordinatio eorum* (τὸ *eorum* jungendum eſt cum *ordinatio*, non cum *conſenſu*, ut ad *proprios epiſcopos* referatur) *conſenſu & judicio praeſidentium facta eſt, poteſt rata haberi: ita ut in ipſis Eccleſiis perſeverent. Aliter autem vana habenda eſt CREATIO, quae nec loco fundata eſt, nec autore munita*. quid enim? poteſtne rata haberi ordinatio a pſeudo-epiſcopo facta? Reſpondet Queſnellius, pſeudo epiſcopos illos, ſi de conſecratione agitur, veros epiſcopos fuiſſe, eoſdem tamen, quia contra ſtatuta canonum ordinatos, *pſeudo epiſcopos* veteris Eccleſiae ſermone appellari. De quo videſis auctorem ipſum in ſuis notationibus. Nec in eo equidem a Queſnellio magnopere diſſentio. Sed tamen ut concedamus, nunquam illos pſeudo-epiſcopos munus conſecrationis accepiſſe (quod certe prima fronte tum inquiſitionis tum & reſponſionis verba praeſeferunt) ut id, inquam, concedamus; quid inde periculi aut abſurdi pertimeſcetur? Cum poſſe clericorum illorum *ratam haberi ordinationem* Leo pronunciat, non conſecrationem intelligit, (quam a non epiſcopo collatam, omni effectu caſſam eſſe, nemo ambigit) ſed *creationem*; ſic enim ſubjicit: *aliter autem vana habenda eſt creatio*: ad quae verba Queſnellius non attendit. Rata quidem haberi poterat ordinatio ſive creatio, ſed ita ut a vero Epiſcopo manuum impoſitio poſtea exſpectanda eſſet.

AD GA-

(*) Verba ex libello precum Marcellini preſbyteri, quae ad Theodoriti l. 9. recitat Valeſius, eadem interpretatione donanda ſunt. *Et eos iterum ordinat* &c. h. e. nova inſtitutione legitima confirmat. Negat ibidem Valeſius, χειροτονίαν aliud ſignificare, quam ordinationem. Fateor. Sed de *ordinationis* notione vir eruditus parum ſollicitus, non animadvertit, genuinum ejus vocabuli ſignificatum eſſe creationis, non conſecrationis: haec poſterior ac translata, illa prior atque originaria vocis ſignificatio eſt.

Digitized by Google

AD GALATAS.

AD GAL. I. 6. 7. 8. 9.

Miror, quod sic cito transferimini &c.] Hinc ad usque ℣. 9. referuntur a Cypriano ep. 22. ac rursus ep. (63.) ad Caecilium in hunc modum: *Miror quod sic tam cito demutamini ab eo, qui vos vocavit ad gratiam, ad aliud Evangelium, quod non est aliud, nisi si sunt aliqui, qui vos conturbant, & volunt convertere Evangelium Christi. Sed licet aut nos, aut Angelus de caelo aliter annuntiem praeter quam quod adnuntiavimus vobis, anathema sit. Sicut praediximus, & nunc iterum dico: siquis vobis annuntiaverit praeterquam quod accepistis, anathema sit.*

Sic tam cito] Retinuit Hieronymus. Gr. οὕτω ταχέως *tantum*.

Demutamini] Gr. μετατίθεσθε. Hieronymus *transferimini*.

Ab eo qui vos vocavit] Sic etiam Hieronymus. Graeca tamen ἀπὸ τοῦ καλέσαντος &c. possunt aeque alteram interpretationem admittere *ab eo quod vos vocavit*.

Convertere Evangelium Christi] Retinuit Hieronymus τὸ *convertere*, cum potuisset Graecum διαστρέψαι interpretari *pervertere*. Sed tamen *converto* eodem significatu usurpavit Tertullianus I. ad Nat. 1. *Non utique eo bonum praejudicari quia plerosque pervertat . . inquis, Novi demutationem mentis in malam partem* &c. Sed tamen idem Tertullianus in IV. adv. Marc. ex hoc Pauli loco *pervertere Evangelium* dixit.

Sed licet aut nos, aut Angelus de Caelo aliter annuntiet, praeterquamquod annuntiavimus vobis &c.] Verbum εὐαγγελίζω per nudum *adnuntiandi* verbum expositum vides: id quod & in vulgata versione aliquoties observatum, ut Act. XIII. 32. & alibi. Idem ceteroqui Cyprianus eleganter alibi εὐαγγελίζω interpretatur *bene nuntio*. Tertulliano quia evangelizandi verbum insolens forte videbatur, ita illud in hoc Pauli loco usurpavit, ut statim expositionem adderet: *Etiam si angelus ex caelo aliter evangelizaverit, quam nos, seu praedicaverit vobis evangelium praeter id quod praedicavimus vobis: anathema sit.*

Sicut praediximus] Gr. ὡς προειρήκαμεν. *Praedicendi* verbum heic & apud Scriptores Latinos non tam vaticinari, quam praemonere saepe significat. Ter. Andr. I. 1. 19. *Hoc primum in hac re praedico tibi.* Vellejus I. 4. *Chalcidenses orti, ut praediximus, Atticis*, & saepe alibi.

Si quis vobis annuntiaverit &c.] Gr. ὑμᾶς εὐαγγελίζεται. Phrynichus, qui dictionum Atticarum eclogas pertexuit, dandi casui συντάττεσθαι hoc verbum monet. Quae observatio de casu personae vera est, non item rei: nam εὐαγγελίζεσθαι εὐτυχίας aut εὐτυχήματα dixere Attici. At in divinis libris multiplex est hujus verbi usus. 1. εὐαγγελίζειν & εὐαγγελίζεσθαι absolute h. e. evangelium praedicare. 2. modo cum dativo, modo cum accusativo (qui in passivo rectus evadit, ut πτωχοὶ εὐαγγελίζονται Mat. XI. 15.) personae. 3. cum accusativo rei. 4. cum accusativo rei, & dativo personae. Exempla sunt passim obvia. Porro non omittendum puto, quod in earum epistolarum, quae Phalaridi tribuuntur, prima, εὐγγαλίζομαι non laeti, ac jucundi sed tristis nuntii significationem habet: οὐκ ἀγγοῶ δὲ λύπας (inquit) εὐαγγελιζόμενος σοι

καὶ

καὶ δάκρυα. Vide dicta ad I. Sam. IV. 17. ubi מבשר *mebaſſer* is dicitur, qui triſtem nuntium afferebat.

AD GAL. II. 11.

Cum autem veniſſet Cephas Antiochiam, in faciem ei reſtiti &c.] Non importune hîc ingeritur Cephae factum, ejuſque reprehenſio. Nam mihi videntur Gallograeci hoc avidius ſeductoribus aures admoviſſe, quod inter cetera Moſaica inſtituta, quorum neceſſariam eſſe obſervationem illi pſeudoapoſtoli contendebant, animadvertiſſent quaedam a patriis ſuis moribus non diſſidere; cujuſmodi & certorum ciborum abſtinentia fuit. Nam Galatas porcina abſtinuiſſe, narrat Pauſanias Achaicis cap. 17. id quod cum aliis Hebraicis moribus ab Hebraeis ad Lydos (nam certe Lydorum cum Phoenicibus communionem affinitatemque & ipſe Lydus Artemidorus p. 161. agnoſcit: καὶ γὰρ εἶναί τινα Λυδοῖς προξενίαν πρὸς φοίνικας οἱ τὰ πάτρια ἡμῖν ἐξηγούμενοί φασιν) vicinoſque Lydorum Gallograecos, fluxiſſe crediderim. Etſi Pauſanias cit. loc. abſtinentiae cauſſam confert in aprum, Attis interfectorem. Ἐπεὶ δ' ἠύξητο (Ἄττης), μετῴκησεν ἐς Λυδίαν . . καὶ Λυδοῖς ὄργια ἐτέλει Μητρὸς, ἐς τοσοῦτο ἦκων παρ' αὐτῇ τιμῆς, ὡς Δία αὐτῇ νεμεσήσαντα, ὑν ἐπὶ τὰ ἔργα ἐπιπέμψαι τῶν Λυδῶν· ἐνταῦθα ἄλλοι τε τῶν Λυδῶν καὶ αὐτὸς Ἄττης ἀπέθανεν ὑπὸ τοῦ ὑός· καί τι ἑπόμενον τούτοις Γαλατῶν δρῶσιν οἱ Πεσινοῦντα ἔχοντες, ὑῶν οὐχ ἁπτόμενοι. *Cum jam* (Attes) *adoleviſſet, in Lydiam migravit, ibique Magnae Matris caeremonias tradidit: tanto vero in honore apud deam fuit, ut id Jupiter moleſte ferens, aprum in Lydorum ſegetes immiſerit, a quo & Lydorum complures, & ipſe Attes eſt interfectus. Fidem hujus rei faciunt Gallograeci Peſſinuntis incolae, qui ſue abſtinent.* Hinc Tertullianus de jejuniis cap. 14. *Galaticari* dixit de ſuperſtitioſa Judaicarum caeremoniarum obſervatione.

In faciem ei reſtiti] Gr. κατὰ πρόσωπον i. e. *in os*; quomodo legiſſe videtur Tertullianus, qui hanc locutionem uſurpavit lib. ad Scapulam de Severo loquens, qui Chriſtianos *non modo non laeſit, verum & teſtimonio exornavit, & populo furenti in os palam reſtitit.* Quin & verſio *in faciem*, eſt ex Africano ſtilo, ut alia plurima in verſione vetere. Scriptor Actorum SS. Perpetuae & Felic. cap. 16. *Cum a tribuno caſtigatius eo tractarentur, quia &c. in faciem reſpondit Perpetua & dixit: Quid utique non permittis refrigerare &c.* Κατὰ πρόσωπον autem nonnunquam nihil aliud, quam *coram* ſignificat, ut apud Diodorum Siculum, κατὰ πρόσωπον περὶ τῶν ἀναγκαίων κοινολογησόμενος, *coram* intelligit, non nuntios aut per epiſtolam. Heic autem ſignificantius eſt, ac tale, quale eſt illud Syneſii epiſt. 67. οἷς εἰ καὶ κατὰ πρόσωπον . . ἐπετίμησα, συγχωρήσει Θεός: *Quibus quod in os objurgaverim, condonabit Deus.* Et Euſebii IV. de vita Conſt. 48. de quodam narrat, qui Conſtantinum *in os beatum pronuntiare non eſt veritus*, εἰς αὐτοῦ πρόσωπον μακάριον αὐτὸν ἀπέφηνεν. Hinc & hujus loci interpretatio lucem foeneratur. Sunt tamen qui κατὰ πρόσωπον heic tantundem putant, quod μετὰ παῤῥησίας *libere*, aut *aperte & citra ambages*: eaque notione Euſebius VIII. hiſt. 1. εἰς πρόσωπον dixiſſe mihi videtur: οἱ τοῖς οἰκοίοις εἰς πρόσωπον ἐπὶ τῷ θείῳ παῤῥησιαζομένοις λόγῳ τε καὶ βίῳ συνεχώρουν &c. *Qui* (imperatores) *domeſticis ſuis libere & aperte Chriſtianam fidem vitamque profitentibus permiſerunt &c.*

Παραφράζεσθαι poteſt hic Pauli locus & in hunc modum: Non oblique illum taxans, ſed nominatim & ad eum ſermone directo. Sic γράφειν πρὸς πρόσωπον τινὶ eſt *litteras nominatim ad aliquem dare*. Patres Antiocheni Concilii in epiſtola Synodica apud Euſeb. VII. 30. de Dionyſio Alexandrino ajunt: οὐδὲ πρὸς πρόσωπον γράψας αὐτῷ (Paulo Samoſateno) ἀλλὰ τῇ παροικίᾳ πάσῃ. *Neque ad eum nominatim, ſed ad univerſam Antiochenam Eccleſiam litteras ſuas direxit*. Ejuſdem capitis initio dixerat Euſebius: διαχαράξαντες ἐπιστολὴν εἰς πρόσωπον τῶτε Ρωμαίων ἐπισκόπῳ &c. Et IX. hiſt. 2. ἐφοίτα δὲ καὶ εἰς πρόσωπον ἐπισκόποις βασιλέως γράμματα. *Ad ipſos quoque epiſcopos litterae ab imperatore nominatim perſcribebantur* Idem IX. hiſt. 4. initio· ἑνὸς εἰς πρόσωπον τὰ πάντα ἀρίστῳ καὶ θεοφιλῶς ἐπισκόπῳ· · · τοιόνδε παρέσχε λόγον. *Ad unum ex illis converſus* (ut optime vertit Valeſius) *facile omnium principem deoque acceptiſſimum epiſcopum . . . ita verba fecit*.

AD GAL. IV. 4.

Vbi venit plenitudo temporis] Gr. τὸ πλήρωμα τῦ χρόνυ, ſive, ut ad Eph. I. 10. πλήρωμα τῶν καιρῶν, non *complementum temporis*, uti vulgo interpretantur, hîc ſignificat, ſed, ut recte noſter, *plenitudinem temporis*. Id vero quid ſit, optime meo judicio ab Ezechiele Judaeo tragoedo in ἐξαγωγῇ (apud Clem. Alex. & Euſebium) exponitur ex perſona Moſis, de relicta a ſe regia, ut fratres inviſeret.

Επειδὴ πλήρης κόλπος ἡμερῶν παρῆν,
Εξῆλθον οἴκων βασιλικῶν.
Poſtquam dierum plenus affuit ſinus,
Egreſſus aedes regias ſum.

Quemadmodum ergo πληρῦσθαι Ariſtoteli VI. hiſt. anim. 24. femina dicitur, cum praegnans efficitur (Plinius VIII. 44. eadem natione *impleri* uſurpavit) ſic poſtquam ille temporis articulus affuit, quo quicquam eſt eventurum, quaſi conceptum jam foetum ex utero parturiens effundit. Πληρώματος vocabulo abuſi ſunt poſtea Gnoſtici ad ſua commenta.

AD GAL. IV. 25. 26.

25. *Sina enim mons . . . conjunctus eſt* (Gr. συστοιχεῖ h.e. pari jure eſt) *ei quae nunc eſt Jeruſalem, & ſervit cum filiis ſuis.*

26. *Illa autem quae ſurſum eſt Jeruſalem, libera eſt: quae eſt mater noſtra.*

Quo tempore haec Paulus ſcribebat, varia erant Civitatum privilegia, ut ἀσυλία, αὐτονομία &c. in primis autem ἐλευθερία, quae major erat, quam αὐτονομία. Hieroſolyma ceteraeque Judaeae civitates αὐτόνομοι quidem (nam Judaeos eo fine pependiſſe δίδραχμον, ut αὐτονομίᾳ fruerentur, Dio tradit lib. LX.) ſed non erant ἐλεύθεραι. Multas in orbe Romano fuiſſe civitates ob ſua merita ἐλευθερίᾳ donatas, ſcriptores paſſim & nummi docent. Nihil frequentius in nummis hujus generis inſcriptionibus: ut AMICOY · ΕΛΕΥΘΕΡΑC · ΕΤΟΥC · ΡΓΓ; unde etiam intelligitur a parta libertate annos computaſſe Amiſenos · Sic ΕΛΕΥΘ· ΡΟΔΙΩΝ &c. Sed & Tarſum, unde domo Paulus erat, *urbem liberam* Plinius appellat: quo fit veriſimilius, ad uſitatam tunc urbium ἐλευθερίαν hîc Apoſtolum alluſiſſe, quippe libera in civitate natum: Ergo terreſtris Jeruſalem ſerviebat

Digitized by Google

viebat cum filiis ſuis: Caeleſtis autem Jeruſalem ἐλευθέρα Paulo dicitur; quod privilegium magni fiebat, ab Judaeis in primis, quorum τὸ Φιλελεύθερον nemini latet. Haec eſt pulcherrima hujus loci alluſio: hic ſenſus grammaticalis & hiſtoricus, cui nititur ſenſus alter μυστικώτερος a Paulo potiſſimum intentus de duobus teſtamentis; Ad vetus enim foedus qui pertinent, ii cum terreſtri Jeruſalem matre ſua duriſſimam ſervitutem ſerviunt: qui ad novum, cum ſint caeleſtis Jeruſalem filii, pari cum matre ſua libertate donantur: *Qua libertate* (inquit Paulus infra) non terrenus aliquis, ſed caeleſtis imperator *Chriſtus nos liberavit.*

AD GAL. V. 6.

Fides quae per caritatem operatur] Hinc fides caritate formata eadem quae caritas; ac ſaepe unum pro altero ponitur. Conſtantinus or. ad SS. Coetum cap. 23. καὶ πίστιν εἰλικρινῆ, πρῶτον μὲν πρὸς Θεὸν, ἔπειτα δὲ καὶ πρὸς τὴν Φυσικὴν τῶν ἀνθρώπων κοινωνίαν. Valeſius in notis ἀγάπην eo loco pro πίστιν ſubſtituebat (nam caritas tum in Deum tum proximum fertur, non item fides) ſed non eſt neceſſe, cum ſaepe nos ex fide juſtificari divini ſcriptores dicant, quod eſt caritatis peculiare, h.e. ea fide, quam caritas animat atque informat.

AD GAL. V. 17.

Caro enim concupiſcit adverſus ſpiritum, ſpiritus autem adverſus carnem] Gr. ἐπιθυμεῖ hoc loco ſignificat *inſidiatur, pugnat* &c. horum unum domare alterum ſatagit: unum alterum ſollicitat. De ἐπιθυμέω vide dicta ad Marci X. 19.

AD GAL. VI. 1.

Vos, qui ſpirituales eſtis &c.] Gr. ὑμεῖς οἱ πνευματικοί. Idem πνευματικῶ vocabulum eademque notione occurrit 1. ad Cor. XIV. 37. Apud Fleetwood in ſylloge inſcript. pag. 343. num. 1. ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΤΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟC ΙΑΤΡΟC ΧΡΙCΤΙΑΝΟC ΚΑΙ ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΟC. Non dubito, quin ut apud Apoſtolum heic, ſic in allata inſcriptione πνευματικὸς ſit is, quem nos vulgo hodie *Patrem ſpiritualem*, ſive *directorem ſpiritualem* appellamus: hodieque Graeci presbyterum eum, qui confeſſiones auriculares excipit, πνευματικὸν appellant, teſte Suicero. At quemadmodum olim director is Πνευματικὸς dicebatur, ſic & qui dirigebatur, υἱὸς πνευματικὸς, ut apud eundem Fleetwood pag. 421. num. 4. Θεωδώρῳ . . . ΠΝΕΥΜΑΤΙΚΩ υἱῷ.

Vos qui ſpirituales eſtis, hujuſmodi inſtruite . . conſiderans te ipſum, ne & tu tenteris. Alter alterius onera portate &c.] Vt illud *conſiderans te ipſum* ceteris plurativi numeri cohaereat, ſupplendum eſt *unuſquiſque* aut aliud partitivum. Graece: σκοπῶν (ſup. ὑμῶν ἕκαστος) σεαυτὸν, μὴ καὶ σὺ πειρασθῇς. Apte verſio vetus, quam uſurpat Cyprianus epiſt. (52) ad Antonianum: *In contemplatione habentes unuſquiſque, ne & vos tentemini: alterutrum onera ſuſtinete* &c.

Vos qui ſpirituales eſtis &c.] Vt a Chriſto Chriſtianos, ſic a Spiritu Sancto *ſpiritales* appellatos ſe Africana Eccleſia V. ſaeculo ſentiebat. Sic enim in profeſſione fidei a Catholicis Epiſcopis Hunerito Regi oblata (quam Victor Vitenſis lib. 3. ſuae hiſtoriae inſeruit) legitur cap. 22. *Nam ſicut a nomine Dei Patris HOMINES DEI appellantur, ut Helias homo Dei dictus eſt, ut Moyſes ho-*

Digitized by Google

mo Dei appellatus est; sic a Christo CHRISTIANI nuncupamur, sic etiam a Spiritu SPIRITALES appellamur.

AD GAL. VI. 10.

Operemur bonum ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei] In hoc *operari bonum* quid sibi vult ? ἐργάζεσθαι εἴς τινα heic & Matt. XXVI. 10. & praesertim 3. Joh. 5. (in quem locum multa de hoc significatu diximus) est *largiri alicui*. Id ex eodem hoc cap. ψ. 6. constat: Κοινωνείτω δὲ ὁ κατηχούμενος τὸν λόγον τῷ κατηχοῦντι ἐν πᾶσιν ἀγαθοῖς · h.e. Catechumenus in communionem admittatur omnium bonorum catechistae. Ergo *operari in domesticos fidei*, est iisdem *largiri*. Vide omnino ad III. Joh. 5.

Maxime autem ad domesticos fidei] h. e. fidei cultores seu professores. Quid οἰκείους (*domesticos*) vocet, ostendit Eusebius, qui e contrario scriptores gentiles ἀνοικείους τῆς πίστεως, *alienos a fide*, vocat in V. hist. 5. ubi de pluvia precibus Melitinae legionis impetrata loquitur. Αλλὰ τοῖς μὲν ἔξωθεν ἱστορικοῖς ἅτε τῆς πίστεως ἀνοικείοις, τέθειται μὲν τὸ παράδοξον · ὃ μὴν καὶ ταῖς τῶν ἡμετέρων εὐχαῖς τοῦτο ὡμολογήθη γεγονέναι · *Sed gentilium scriptores, utpote fidei expertes, hoc quidem miraculum in suos commentarios retulerunt, non tamen id nostrorum precibus accidisse fatentur*. Quos porro heic ἀνοικείους πίστεως, eosdem (in oratione de aedificatione Ecclesiae Tyri, quam X. hist. Eccl. 4. inseruit) ἀλλοτρίους τῆς πίστεως, *alienos a fide* nuncupavit; ut non sit dubium, quin hoc Pauli loco Eusebius οἰκεῖον opponi ἀλλοτρίῳ putaverit. Vtitur hac Pauli locutione & Pontius (*) in vita Cypriani, & alii plures. Ad summam sicuti ubi οἰκεῖος quis alterius hominis dicitur, tunc aut proprie *domesticus* aut translate *amicus* aut *familiaris* sive *necessarius* reddi id potest; sic ubi ad facultates resque incorporeas refertur, tunc id sive *cultorem* sive *professorem* interpretabimur. Strabo I. pag. 13. *Sine quibus* (ἄνευ ἂν εἴη γεωγραφίας οἰκεῖος) *geographiae cultor esse non poterit*. Plutarchus: Βίου πρᾴου καὶ καθεστῶτος οἰκεῖον, *vitae placidae & quietae sectatorem, professorem*. In actis S. Aquilinae Mart. apud Bollandistas die 13. Junii sect. 15. conqueritur proconsul, se nequiviisse Aquilinam (οἰκείαν κατασῆσαι τῆς ἀληθινῆς γνώσεως τῶν ἀηττήτων θεῶν) *verae invictorum deorum scientiae domesticam* (h.e. cultricem) *efficere*. Quae verba omnino ex antiquioribus bonae frugis actis in ea, quae nunc circumferuntur, multis locis adulterata, manarunt.

AD EPHESIOS.

AD EPHES. II. 2.

In quibus aliquando ambulastis secundum saeculum mundi hujus] Gr. κατὰ τὸν αἰῶνα τοῦ κόσμου τούτου h. e. *secundum cursum mundi hujus*. Αἰὼν omnes hebraici

Olam

(*) Pontius in vita Cypriani cap. 10. *Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum est apud omnes, non ad solos domesticos fidei. Fiebat plus aliquid, quam de Tobiae incomparabili pietate signatum est . . . Necatos ille a rege & projectos sui tantum generis colligebat*. Socrates lib. 1. c. 23. τὸν εἰρήνην οἱ οἰκεῖοι τῆς Ἐκκλησίας ἐτήρησαν.

Digitized by Google

Olam significationes apud Judaeos graecissantes induit. *Olam* autem primario *saeculum*, secundario vero significatu *mundum*, sive potius *mundi cursum*, ac quasi *saeculum* notat; ut hinc vides, ubi plena occurrit locutio αἰὼν κόσμου. Ergo iis locis ubi αἰὼν (sive apud Judaeos *Olam*) pro mundo sumitur, ellipsis est genitivi κόσμου. De quo vide fusius disputata ad Sap. VI. 26. ad finem.

AD EPHES. V. 3.

Fornicatio autem & omnis immunditia, aut avaritia, nec nominetur in vobis] Gr. μηδὲ ὀνομαζέσθω ἐν ὑμῖν: h. e. nihil tale de vobis audiatur, ut I. ad Cor. V. 1. *talis fornicatio*, ἥτις οὐδὲ ἐν τοῖς ἔθνεσιν ὀνομάζεται. Atque haud scio, an etiam ὀνομάζεσθαι de cogitatu intelligi possit. Vtut est; certe in S. Hermae fragmentis ex Doctrina Pseudo-Athanasii ad Antiochum Ducem apud Montfauconium Mandato IV. sic legitur: Καὶ μὴ ἀναβαινέτω ἐπὶ τὴν καρδίαν σου περὶ τῆς γυναικὸς ἀλλοτρίας, ἢ περὶ πορνείας τινὸς, ἢ περὶ τοιούτων ΟΝΟΜΑΤΩΝ.... ἄπεχε ἀπὸ τῆς ἐνθυμήσεως ταύτης. Cicero pro C. Rabirio: *Carnifex & obductio capitis, & nomen ipsum crucis, absit non modo a corpore civium Romanorum, sed etiam a cogitatione, oculis, auribus. Harum enim omnium rerum non solum eventus atque perpessio, sed etiam cognitio atque exspectatio, mentio ipsa denique, indigna cive Romano atque homine libero est.*

Nec nominetur in vobis] Vetus apud Judaeos institutum quo, quae maxime aversarentur, prorsus non nominarent, aut detorto in malam partem vocabulo, uterentur, ut Bethaven, Beelzebub &c. Itaque etiam apud Hom. Od. XIX. 260. & XXIII. 19. Ilium κακοίλιον ὄχ ὀνομαστήν Penelope appellat.

AD EPHES. V. 5.

Hoc enim scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus, quod est idolorum servitus, non habet hereditatem in regno Christi & Dei.] Illud ὅ ἐστιν εἰδωλολάτρης, (quod Latinus interpres vertit *quod est idolorum servitus*) non ad πλεονέκτην tantum esse referendum, sed & ad *fornicatorem* & *immundum*, & ratio ipsa docet; nec aliter intellexit S. Cyprianus epist. (52.) ad Antonianum, ubi de Novatianis haec habet. *Nec sibi in hoc novi haeretici blandiantur, quod se dicant idololatris non communicare, quando sint apud illos & adulteri & fraudatores, qui teneantur idololatriae crimine secundum Apostolum dicentem. Hoc enim scitote intelligentes, quia omnis fornicator aut immundus, aut fraudator, quod est idololatria, non habet hereditatem in regno Christi & Dei. Et iterum: Mortificate itaque membra vestra, quae in terra sunt, exponentes fornicationem, immunditiam, & concupiscentiam malam, & cupiditatem, QVAE SVNT idolorum servitus; propter quae venit ira Dei.* Deinde S. Martyr moechos juxta ac πλεονέκτας, idololatras esse contendit, propterea quia illi in membris suis templum Dei violant, hi autem & quicumque peccatum faciunt, daemoniis & idolis serviunt: ac statim infert, siquos religio impedit, quominus cum idololatris communicent, eos ne cum moechis quidem & fraudatoribus communicare debuisse. *Cum constet*, ait, *de Apostolica probatione, moechos, & fraudatores, quibus illi communicant, idololatras esse.* Falluntur ergo, qui idololatriae crimen ex Apostoli mente heic & ad Col. III. 5. in solos πλεονέκτας conferunt. Baluzii ἀβλεψίαν porro non moror, qui cum Cyprianus totus in eo sit, ut moechos non minus quam fraudatores,

res, idololatrarum loco habendos ex Apoſtolo doceat, is not. 78. in eam epiſt. mirifice annotet: *Fraudatores* i.e. *idololatras*, tum notationi ſuaviſſimae rationem multo ſane lepidiorem ſubnectat. Atqui *fraudatores* non alii ſunt, quam quos πλεονέκτας Apoſtolus, Vulgatus *avaros* appellat, quos tamen cum *moechis*, *immundis* &c. idololatrarum loco haberi Paulus jubet. Sed fallitur quiſquis praeter moroſam leviſſimarum lectionum farraginem futileſque in Papam obtrectationes, ſani quidquam in iſto annotatore invenire ſe poſſe ſperet.

AD EPHES. V. 11.

Et nolite communicare operibus infructuoſis tenebrarum, magis autem redarguite] Hoc loco utebatur Socrates V. hiſt. Eccleſ. 19. ad aſſerendam judiciorum Eccleſiaſticorum in diſciplina poenitentiae neceſſitatem, quae Nectarius de medio ſuſtulerat. Rem quemadmodum geſta ſit, Socrates loco citato narrat.

AD EPHES. V. 32.

Ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia] Gr. εἰς Χριστὸν καὶ τὴν ἐκκλησίαν. Et accuſandi caſu habet Cyprianus epiſt. 48. . . . *Et erunt duo in carnem unam* (εἰς σάρκα μίαν). *Sacramentum iſtud magnum eſt, ego autem dico in Chriſtum & in Eccleſiam.*

AD EPHES. VI. 5. 6. 7. 8. 9.

Servi obedite Dominis &c.] Imitatur haec Barnabae epiſtola, cujus par. 2. cap. 1. legitur: Ὑποταγήσῃ Κυρίῳ· κυρίοις ὡς τύπῳ Θεοῦ ἐν αἰσχύνῃ καὶ φόβῳ· ὃ μὴ ἐπιτάξῃς παιδίσκῃ, ἢ δήλῳ σε ἐν πικρίᾳ, τοῖς ἐπὶ τὸν αὐτὸν ἐλπίζουσι· μήποτε ὃ φοφηθήσῃ τὸν ἐπ' ἀμφοτέροις Θεόν· ὅτι ἦλθεν οὐκ ἐπὶ πρόσωπον καλέσαι, ἀλλ' ἐφ' οὓς τὸ Πνεῦμα ἡτοίμασε. Vetus interpres: „ Subjectus es Domino; do„ minis ut Dei imagini in verecundia & timore. Ne imperes ancillae aut ſer„ vo tuo in amarulentia animi, his videlicet qui timent eum: nequando con„ tingat, ut non timeas eum, qui ſuper utrumque eſt Deus. Non enim venit „ vocare ſecundum perſonam, ſed ſuper quos Spiritus praeparavit.

AD EPHES. VI. 9.

Et vos domini eadem facite illis remittentes minas: ſcientes quia & illorum, & veſter Dominus eſt in caelis.] Quantam veteres duritiem in ſervos exercerent, nemo ignorat. Vel vide quae Potterus I. Archaeologiae 10. in unum locum ejus rei ſpecimina collegit. At Chriſtiani longe ſecus, qui Chriſti & Apoſtolorum monitis edocti, ſummam eis humanitatem clementiamque praeſtantes, his artibus lucrari eos Chriſto ſatagebant.

AD EPHES. VI. 11.

Induite vos armaturam Dei] Gr. πανοπλίαν, h. e. juſta arma. Ea vero quae ſint, infra ſigillatim enumerat a ℣. 14. ad 17. Saepe dixiſſe memini, veteres verſiones inſtar eſſe gloſſariorum: itaque in gloſſ. Graec. Lat. πανοπλία redditur *armatura*. Alias hujus vocabuli ſignificationes ortas ſequentibus ſaeculis quaere apud Valeſium ad Ammian. XIV. 11. & alibi.

AD EPHES. VI. 12.

Sed adverſus principes & poteſtates, adverſus mundi rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiae, in caeleſtibus.] Graece· Ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ

Digitized by Google

ματικὰ τῆς πομπίας ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. Simile est illud Sap. XIII. 2. πυρτάνεις κόσμου θεοὺς ἐνόμισαν. Antiqua ista fuere apud Judaeos Helleniſtas vocabula, a quibus illa Orphici, Pythagorici, Platonici, & quibuſcumque aliquem cum Judaeis uſum fuiſſe conſtat, hauſerunt. Auctor allegoriarum in Heſiodi Theogoniam pag. 267. ubi Planetarum vires in haec inferiora expoſuiſſet, ait: Ἔνθεν τοι καὶ ΚΟΣΜΟΚΡΑΤΟΡΑΣ . . . καὶ ἀστράρχας καὶ δεσπότας κόσμου, καὶ πιστοὺς φύλακας, καὶ ρυζωτῆρας πυρόεντας . . . προσαγορεύει ὁ Ὀρφεὺς ἐν τοῖς θυμίοις ἀρώμασι· σύγγραμμα δὲ τοῦτο Ορφαϊκῶν. Quae Δαίμοσι Judaei nomina tribuebant, ea Orphici ad planetas, quibus illi ſpiritus praeſidere putabantur, tranſtulerunt. Hinc Nanzianzenus κοσμοκράτορα ſine alio additamento daemonem appellavit: hos κοσμοκράτορας Tertullianus & Hilarius *mundipotentes* latine interpretati, vocarunt.

Adverſus ſpiritualia nequitiae in caeleſtibus] Cyprianus ep. 56. affert *ſpiritus malitiæ*; legit enim, ut opinor, πνεύματα non πνευματικά.

AD EPHES. VI. 13.

Propterea accipite armaturam Dei] Cyprianus ep. 56. affert ſic: *tota arma Dei*, quod reſpondet voci Graecae πανοπλίαν. At quo tempore verſio, qua utimur, confecta fuit, *armatura* tantundem Latinis auribus, quod Graecis πανοπλία valebat. Teſtes gloſſae veteres, quae Cyrilli nomen praeferunt, in quibus πανοπλία *armatura* vertitur. *Armatura gravis* quae fuerit, & quae *levis*, vide Vegetium, & quicumque de Rom. militia ſcripſerunt. Aliae ſunt praeterea *armaturae* ſignificationes, quas videſis apud Valeſium ad Ammianum. Ceterum Luc. XI. 22. πανοπλίαν Noſter *univerſa arma* eſt interpretatus.

Vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare] Gr. καὶ ἅπαντα κατεργασάμενοι, quod παθητικῶς Noſter accepit: at Cyprianus active ep. 56. *Vt cum omnia perfeceretis, ſtetis accincti lumbos veſtros* &c. Ex quibus etiam patet, Cyprianum hujus verſiculi finem cum ſequentis initio conjunxiſſe.

AD EPHES. VI. 15.

Et calceati pedes in praeparatione Evangelii pacis] Non inepte pro *calceati* verti potuiſſet *caligati*; quandoquidem in eo eſt heic Apoſtolus, ut ſingulas πανοπλίας partes recenſeat: caligae autem militare calceamentum fuit, non pedes tantum ſed & ſuras ex parte obtegens.

Ceterum quid calceamentis cum evangelio pacis commune fuit? Confer cum iis quae leguntur ad Rom. X. 15. ubi ex Iſaia affertur: *quam ſpecioſi pedes evangelizantium pacem, evangelizantium bona*. Porro enim uterque Pauli locus comparatus dat intelligere, fuiſſe hoc in Hebraico more poſitum, ut *nuntii pacis*, uti ſcriptura vocat, quique laeta nuntiarent, pulchris calceis induti incederent; contra vero qui dura nuntiarent, non tantum *veſte conſciſſa*, & *pulvere conſperſi* (uti habes 2. Sam. 1. 2.) ſed & nudis pedibus (nam & nudipedalia apud eum populum ad luctum pertinebant, uti ex Davidis inceſſu 2. Sam. XV. 30. conſtat) ingrederentur.

AD EPHES. VI. 16.

Omnia tela nequiſſimi ignea extinguere] Gr. βέλη πεπυρωμένα ſunt faces, malleoli, & cetera incendiaria tela, ad quae alludit heic Paulus. Adverſus tela illa quaſdam adhibebant cautiones, quo ſtatim excepta extinguerentur. Eandem vim tribuit heic ſcuto fidei Apoſtolus.

AD

Digitized by Google

AD EPHES. VI. 17.

Et galeam salutis assumite] Gr. περικεφαλαίαν. Cyprianus ep. 56. allata a se prius Apostoli verba sic περιφράζει: *Accipiamus quoque ad tegumentum capitis galeam salutarem, ut muniantur aures, ne audiant edicta feralia; muniantur oculi, ne videant detestanda simulacra; muniatur frons, ut signum Dei incolume servetur; muniatur os, ut Dominum suum Christum victrix lingua fateatur.* An eo haec spectant, ut fuerit apud antiquos περικεφαλαίας aliquod genus, quod non caput solum, sed & faciem ambiret, relictis tantum ad videndum, ducendumque spiritum foraminibus? Sed nimirum oratores non sunt κατ' ἀκρίβειαν interpretandi.

AD PHILIPPENSES.

AD PHILIP. I. 1.

Cum episcopis, & diaconibus] Hos Christiana inscriptio apud Muratorium pag. 1874. 5. *Ministratores* vocat: SECVNDINO MINISTRATORI CHRESTIANO. Sicuti & Plinius *Ministras* nuncupat eas, quae Diaconissae dicebantur in Epist. ad Trajanum X. 97. *Necessarium duxi ex duabus ancillis, quae MINISTRAE dicebantur, quid esset veri & per tormenta quaerere.*

AD PHILIP. II. 17.

Sed etsi immolor supra sacrificium & obsequium fidei vestrae] Gr. σπένδομαι translatum a libationibus sacrificio praeviis. Itaque rectius verti liceret, *libor super sacrificio* &c. Vide dicta ad 2. Tim. IV. 6.

AD PHILIP. III. 5.

Hebraeus ex Hebraeis] Hoc sibi honori ducebant etiam Bacchi mystae, ut ex mysta, non profano, patre nati dicerentur. In inscriptione apud Spon. pag. 353. reperta Smyrnae ad templum Bacchi τῦ βριτέως recensentur quidam πεπληρωκότες τὰ ΙΣΕΛΥΣΙΑ (εἰσελύσια πλησῦν, nisi fallor, non aliud erat, quam festum illud, quo novi mystae ad mysteria introducebantur) & inter ceteros Αρτεμίδωρος Αρτέμας (lege Αρτέμα i. e. Artemae filius) πατρομύστης, Απολλώνιος . . . πατρομύστης. Magnum his videbatur, dici πατρόθεν μύστας.

Hebraeus ex Hebraeis] Sic etiam apud Murator. to. 4. Inscript. pag. 1964. 6. ΠΙΣΤΟΣ ΕΚ ΠΙΣΤΩΝ ΖΩΣΙΜΟΣ ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙΜΑΙ &c.

AD PHILIP. III. 20.

Nostra autem conversatio in caelis est] Gr. πολίτευμα, quod optime exponitur *Conversatio*. At Ambrosius ita hunc locum deprompsit in III. Hexaëm. n. 51. *Nostra autem conversio in caelis est*. Nec menda codicibus Ambrosianis meo judicio insidet; nam istud *conversio* tum contextum Ambrosianum juvat, tum etiam loco Apostoli non inconveniens Ambrosio videbatur; sequitur enim *Vnde exspectamus* &c. Eo, inquit, nos converti oportet, unde Salvatorem exspectamus. Tamen, ut dicam quod sentio, Ambrosio memoriter hunc locum citanti id

Digitized by Google

id fraudi fuit, quod nec Graecum textum ob oculos habuerit, & τὸ *Conversatio* pro synonymo *Conversionis* heic certissime habuit: uti constat ex Excidii Hieros. historia, quae Egesippi nomen praefert, quam tamen Ambrosio tribuendam in Kal. marm. Neapol. ad 29. Junii, planissime demonstravimus. Ergo in IV. Excid. 18. de lacu Asphaltite loquens, sic scripsit: *Lucernam accensam ferunt aquis supernatare sine ulla CONVERSATIONE, extincto demergi lumine.* In Seneca quoque *Conversatio* pro conversione in MSS. & editis legitur: cui lectioni improvide quidam intenderunt litem. Eo enim ventum est, ut cujus rationem se reddere posse desperent, id protinus tollatur e medio. Nisi vero sic malumus aevo Ambrosii *conversationem* & *conversionem* ita fuisse omnino synonyma, ut & *conversatio* pro τροφῇ (*conversione*) acciperetur, & vicissim *conversio* pro πολιτεύματι (*conversatione*); par enim utriusque vocabuli atque notionis ratio est.

AD PHILIP. IV. 1.

Fratres mei carissimi & desideratissimi] Graece est sine superlativo, ἀγαπητοὶ καὶ ἐπιπόθητοι. Sed quia celebris erat, aevo saltem Cypriani (cujus epistolae ea ferme salutatione concluduntur: *Opto vos, fratres carissimi ac desideratissimi, semper bene valere*) ῥῆσις ista; eo heic superlativa usurpata existimo. In editione Cypriani Baluziana (de ceteris editionibus nihil habeo dicere) semper *desiderantissimi legitur;* quomodo in MSS. codicibus *totiens quotiens* scribitur: sive quod lineola quae supra longas syllabas interdum notabatur, a posterioribus librariis pro N habita fuit, sive quod ea vera scribendi consuetudo fuerit. Inscriptio epistolae Severi ad Albinum apud Capitolinum in Albini vita cap. 7. *Imp. Severus Aug. Claudio Albino Caesari, fratri amantissimo & desideratissimo* (an desiderantissimo?) *salutem.* Sed & *Desiderantissimus* est apud Sponium pag. 61. 208. & 334. Apud Grut. 1116. 6. DESIDERANTISSIMAE · FEMINAE.

AD PHILIP. IV. 18.

Odorem suavitatis, hostiam acceptam, placentem Deo.] Methaphora sumta a sacrificiis, quae signo aliquo acceptabat Deus. Δέξασθαι θυσίαν id LXX. Hebraea locutione dixerunt; unde θυσίαν δεκτὴν habet hîc Paulus. Quanquam & vetustior Graecia non alio modo loquebatur. Hom. Il. B. 420.

Ἀλλ' ὅγε δέκτο μὲν ἱρὰ &c.
Sacra quidem accepit Saturnius &c.

AD COLOSSENSES.

AD COL. I. 26.

Mysterium, quod absconditum fuit a saeculis & generationibus; nunc autem manifestatum est sanctis ejus.] Praeclare & eleganter Ignatius epist. ad Ephesios, ubi dixisset, principi hujus saeculi latuisse virginitatem Mariae partum ejusdem, & mortem Domini, subdit: Τρία μυστήρια κραυγῆς ἅτινα ἐν ἡσυχίᾳ Θεοῦ ἐπράχθη &c. Vetus interpres: *Tria misteria clamoris, quae in silentio Dei operata sunt.* Deinde de eorundem mysteriorum manifestatione loquitur.

Digitized by Google

AD COL. II. 8.

Videte ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam.] Gr. μὴ τις ὑμᾶς ἔσται (μὴ cum futuro junxit more Hebraeorum, quibus בן *phen* cum futuro conſtruitur) ὁ συλαγωγῶν διὰ τῆς φιλοσοφίας καὶ κενῆς ἀπάτης. Cyprianus epiſt. (52.) ad Antonianum ait: *Et cum Apoſtolus dicat: Videte nequis vos depraedetur per philoſophiam & inanem fallaciam; vitanda ſunt a nobis, quae non de Dei clementia veniunt, ſed de PHILOSOPHIAE DVRIORIS praeſumtione deſcendunt.* Quid *philoſophiae durioris* vocabulo S. Martyr intelligit? Apud Patres quidem Graecos φιλοσοφίας nomine ſaepe Chriſtiana religio deſignatur; ex quo factum, ut Theodoritus I. hiſt. Eccleſ. 23. dixerit τὶς Γύριος τῆς θυράθεν φιλοσοφίας μετέχων, eo adjuncto paganicam philoſophiam a Chriſtiana religione diſtinguens. Sed & non raro φιλοσοφία apud eoſdem Graecos Patres vitae auſterae ſtudium (uti heic Cyprianus accepit) notat: unde apud Iſid. Peluſ. I. epiſt. 116. ἄκρα φιλοσοφία cujuſdam monachi perinde dicitur, ut ἄκρα πολιτεία vel διηκριβωμένη (quanquam πολιτεία etiam abſolute abſtinentiam notat apud Euſebium V. 13. ex Rufini interpretatione; aut alibi apud Suicerum quancunque corporis vexationem) eodem ſignificatu apud Chryſoſtomum: Ergo vel Cyprianus, uti dixi, in Apoſtoli textu φιλοσοφίας nomine onus Moſaicorum praeceptorum intelligit, quod qui judaizabant, tunc temporis ſatagebant imponere (quam quidem intelligentiam a mente Apoſtoli minime alienam puto) aut ſaltem, quod Patres conſuevere, ad rem ſuam Apoſtoli locum accommodavit.

Idem Cyprianus etiam *depraedetur* αὐτολεξεὶ vertit, quod Graece eſt συλαγωγῶν. At Tertullianus ſignificantius *circumveniat*; quippe quod & corporis & animi depraedationem aeque notare eſt aptum. Noſter *decipiat*.

AD COL. II. 17.

Quae ſunt umbra futurorum] Gr. σκιὰ τῶν μελλόντων h. e. σκιαγραφία adumbratio, ſimplex nomen pro compoſito, uti ſaepe apud Helleniſtas (etſi Sap. XV. 4. σκιογράφων ſive σκιαγράφων vocabulum occurrit) & eodem quo heic, ſignificatu σκιὰ ad Heb. VIII. 5. & X. 1. reperitur. Fortaſſis his locis omnibus σκιὰ uſurpatur pro צלמא, quae vox e Chaldaico ſermone profecta, apud Thalmudicos tum umbram, tum ſaepius etiam figuram umbratilem ſive adumbrationem corporis, quae in aqua aut ſpeculo exhibetur. Vt autem σκιὰ pro σκιαγραφία uſurpatam exiſtimem, nonnihil etiam Syneſius facit, qui in homilia brevi pag. 130. Novum Vetuſque Inſtrumentum inter ſe conferens, unum eundemque ſpiritum per Prophetas & per Apoſtolos locutum tradit; ſed ita, ut pictoris inſtar, primum quae vellet, leviter adumbraſſe, poſt eadem accurate deſcripſiſſe & elaboraſſe: Ἓν γὰρ ἔπνευσε Πνεῦμα καὶ εἰς Προφήτην καὶ εἰς Ἀπόστολον· καὶ κατὰ τὺς ἀγαθὺς ζωγράφυς· πάλαι μὲν ἐσκιαγράφησεν, ἔπειτα μέντοι ἀκριβῶσε τὰ μέλη τῆς γνώσεως.

AD COL. II. 18.

Nemo vos ſeducat] Gr. καταβραβευέτω. De cujus ſignificatione verbi certant interpretes. Senſum ſecutus eſt Latinus. Sed proprietatem verbi ſi ſequare, poſſis interpretari: *Nemo vobis praemia certaminis intercipiat*, ſive *palmam intervertat*. Βραβεύω quid ſit, nemo ignorat (de quo vide dicta ad Sap. X. 12.)

Digitized by Google

12.) est autem *praemium dare certaminis*, aut *ejusdem esse arbitrum, moderatorem, judicem*; ita ut sit etiam judiciale verbum, quod & hîc maxime convenit, cum praecesserit ℣. 16. Μὴ οὖν τις ὑμᾶς κρινέτω. Quare & καταβραβεύω est *perverso judicio aliquem praemio defraudare*. Nota est in compositione vis τῦ κατὰ in deteriorem partem; ac de hoc eodem verbo fidem faciet Demosthenes contra Midiam: Ἐπιτάμεθα Στράτωνα ὑπὸ Μειδίᾳ καταβραβευθέντα, καὶ ΠΑΡΑ ΠΑΝΤΑ ΤΑ ΔΙΚΑΙΑ ἀτιμωθέντα. Vbi καταβραβεύειν quid sit, ex subjectis potest intelligi. Item ab Antiochenis Patribus apud Eusеb. VII. hist. 30. Paulus Samos. accusatur, ut καταβραβεύων τὲς ἀδικυμένυς, Valesius interpretatur: *Dum injuria affectos decepit*: Sed plus est aliquid in καταβραβεύω, ut uno verbo *decipio* exponi possit. Verterim potius *perverso judicio supplantare*, quippe cum Paulus ille, *Ducenarius* judex infra fuisse dicatur. Integrum locum adscribere proderit; Paulum ibi accusant Antiocheni Patres, *quod ad incredibilem opulentiam perveniisset per iniquitates & sacrilegia, fratrumque concussiones*, καταβραβεύων τὲς ἀδικυμένυς καὶ ὑπισχνύμενος βοηθήσειν, μισθῦ ψευδόμενος δὲ καὶ τύτυς, καὶ μάτην καρπύμενος τὴν τῶν ἐν πράγμασιν ὄντων ἑτοιμότητα πρὸς τὸ διδόναι ὑπὲρ ἀπαλλαγῆς τῶν ἐνοχλύντων. Vides Paulum cumulatis scelеribus, quos sub spe βαρθείας depraedatus fuerat, iisdem perverso judicio ultro injuriam intulisse.

AD COL. III. 5.

Mortificate ergo membra vestra, quae sunt super terram, fornicationem, immunditiam, libidinem, concupiscentiam malam & avaritiam, quae est simulacrorum servitus: propter quae &c.] Paullo aliter Cyprianus epist. (52.) ad Antonianum affert hunc locum: *Mortificate itaque membra vestra, quae in terra sunt, exponentes* (hoc admetitur de suo; valetque *deponentes*: translatum a mercibus, ubi exponuntur) *fornicationem, immunditiam, & concupiscentiam malam, & cupiditatem, quae sunt idolorum servitus, propter quae venit ira Dei*. Bene autem numero multitudinis reddidit, *quae sunt idol. serv.* quia illud ἥτις ἐστὶν εἰδωλολατρεία non ad πλεονεξίαν tantum, sed & ad ea quae praecedunt omnia, referendum erat; uti ad Ephes. V. 5. notavimus: vide ibi dicta.

AD COL. III. 9. 10. 12.

Expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis: Et induentes novum . . , Induite vos ergo . . . benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam] Nihil hisce libris usitatius, quam ut de virtutibus vitiisque, aeque ut de vestimentis, quibus induimur exuimurve, sit sermo. A quo non abhorret illud Platonicum dictum, quod laudat Simplicius, comm. in Epictetum pag. 106. edit. Graecol. Heinsianae: Ἔσχατος χιτῶν τῶν παθῶν ἡ φιλοτιμία. Ambitione postrema passionum, veluti tunica, exuimur.

AD COL. III. 15.

Et pax Dei exultet in cordibus vestris] Gr. βραβευέτω. De hoc verbo supra cap. II. 18. diximus, & ad librum Sapientiae. Doctiores Critici interpretantur *moderetur*. Ac suppetunt passim apud optimos scriptores hujus notionis exempla, sed ferme cum accusandi casu, & activa prorsus significatione. Hîc autem cum neutrius verbi vim habeat, verti malim: *regnet in cordibus vestris*. Satis idoneum hujus significationis testem affero Judaeum, scriptorem Ezechielem in dramatico

Digitized by Google

poëmate, quod ἐξαγωγὴν inscripsit. Ibi oblatum Mosi secundum quietem somnium de throno celsissimo quodam, cui ipse insederit diademate redimitus, Raguel in hunc modum interpretatur ℣. 86.

Ἄραγε μέγαν τιν' ἐξαναστήσεις θρόνον,
Καὐτὸς βραβεύσεις, καὶ καθηγήσῃ βροτῶν.

Non moror interpretem, qui priore versu *evertes* pro ἐξαναστήσεις reddidit, tum versu altero pro βραβεύσεις *praemium auferes*: utrunque ad loci sententiam importunissime. Verte si lubet:

Itaque excitabis maximum quendam thronum:
Regnabis ipse, erisque dux mortalium.

Hanc Pauli sententiam in mente habuit Imp. Constantinus, cum Nicaenae synodi patres ad concordiam oratione sua cohortatus ait: μίαν τε κοινὴν βραβεύσαν (ἴδοιμι) τοῖς πᾶσιν εἰρηνικὴν συμφωνίαν, ut est apud Euseb. III. de vita Const. 13. h. e. *unamque in vobis omnibus regnare pacem atque concordiam videam*. Adde hoc etiam, *regnandi* verbum *paci* optime convenire. Eusebius X. hist. cap. ult. ubi de victoria Constantini & Crispi, hos ait orbem universum *suae paci* subjecisse, ὑπὸ τὴν αὐτῶν ἄγοντες εἰρήνην. Senecae lib. de Clementia, Neronem loquentem facit in hunc modum: *Haec tot millia gladiorum, quae pax mea comprimit, ad nutum meum stringentur*. Hinc & nummorum inscriptio PAX. AVG.

Quod sequitur, *in uno corpore*: saepe σῶμα, & in latinis marmorum inscriptionibus CORPVS, πολιτικὸν σύστημα significat, eoque plane significatu τὸ τῶν Χριστιανῶν σῶμα haud semel in Constantini constitutione reperitur apud Euseb. X. hist. 5. hîc tamen magis est, ut mysticum corpus significetur, cujus Christus est caput, fideles singuli membra.

I. ET. II. AD THESSALONICENSES.

AD I. AD THES. IV. 4.

Vt sciat unusquisque vestrum vas suum possidere in sanctif.] Non assentior iis, qui *vas* heic positum putant pro eo, quo sexus distinguitur: etsi ceteroqui non inficior, tritam eam esse hujus vocabuli significationem. Omnino heic pro corpore humano ponitur: ut & Barnabae extrema ferme epistola: ὡς ἔτι τὸ καλὸν σκεῦός ἐστι μεθ' ὑμῶν, μὴ ἐκλείπητε μηδενὶ αὐτῶν &c. Antiqua versio: (dum adhuc) *pulcrum hoc vas vobiscum est, in nullo horum* (praeceptorum) *deficite*. Eadem significatione כלי *cheli* videtur usurpatum I. Sam. XX. 5. Eusebius or. de laudib. Constantini cap. 14. de Verbi etiam post incarnationem immensitate loquens: ὐδ' ὧδε μὲν, ἔνθα ἦν ἀνθρώπειον σκεῦος, τὰς διατριβὰς ποιούμενος, ἐν ἑτέροις δὲ εἶναι τῶ παντὸς κεχωλυμένος. *Nec ibi quidem, ubi humanum ipsius vasculum versabatur, consistens, alibi vero adesse non valens.*

AD I. AD THES. IV. 15.

In jussu & in voce Archangeli] Est & in Judae epistola *Michael Archangelus*. Hanc vocem a Christianis haustam posteriores Platonici in suos commentarios infuderunt. Apud Proclum lib. 1. in Timaeum pag. 47. quae de Archan-

Digitized by Google

changelis eorumque ordine Porphyrius docet, ea τῆς βαρβάρου φιλοσοφίας ἑλληνικὴν κλοπὴν redolent. Vnde Proclus ipse hoc philosophandi genus ab Jamblicho reprehensum tradit, quod nusquam Plato de Archangelis vel nomine tenus, meminerit: additque οὐδὲ φιλόσοφος ὁ τρόπος ἕτος τῆς θεωρίας, ἀλλὰ βαρβαρικῆς ἀλαζονείας μεστός. Nam Christianos philosophis barbaros audiisse nemo nescit, qui sciat Johannem Apostolum *barbarum* Amelio appellatum, Porphyrium vero apud Eusebium, βάρβαρον τόλμημα, Christianae vitae institutum, nuncupasse.

AD I. AD THES. V. 21.

Omnia autem probate, quod bonum est tenete] Videtur heic alluſum ad celebre aliquod Eclecticorum (quam sectam haud ita pridem Potamon Alexandrinus, qui sub Augusto an Tiberio floruit, condiderat) pronuntiatum: nec hoc mirum quando Tharsus, Strabone teste, omnium philosophorum scholis frequens erat, haud minus Athenis ipsis; quominus mirandum, si Paulus nonnunquam ad Philosophorum effata aut instituta alluserit.

AD II. AD THES. I. 4. 5.

Ita ut & nos ipsi in vobis gloriemur in Ecclesiis Dei, pro patientia vestra & fide, & in omnibus persecutionibus vestris, & tribulationibus, quas sustinetis in exemplum justi judicii Dei]. Haec ultima Graece sic habent, αἷς ἀνέχεσθε ἔνδειγμα (alicubi εἰς ἔνδειγμα, quod secutus est Vulgatus) τῆς δικαίας κρίσεως τοῦ Θεοῦ. Quae tamen, etiam sine particula εἰς, eumdem sensum reddent, si illud ἔνδειγμα per appositionem accipiatur. Sed tamen aliter & quidem recte, vetus interpres apud Tertullianum ita interpretatur, ut intelligantur justi in hujus vitae pressuris exspectare exhibitionem judicii Dei. Locus Tertulliani exstat in Scorpiaco initio cap. 13. in haec verba. *Thessalonicensibus gaudens* (Paulus) *Vti, inquit, gloriemur in vobis . . . in omnibus persecutionibus & pressuris, quibus* (h. e. in quibus) *sustinetis ostentamen* (h. e. uti recte exponit Rigaltius, *expectatis exhibitionem*) *justi judicii Dei.* Et quae mox in Apostolo sequuntur, id magis confirmant. Quod *ostentamen* sive *ostentatio* exhibitionem & repraesentationem alicubi significet, ostendimus (ad Kalend. Marmor. ad XI. Jun.) ex Marcellino & Faustino in fine praefationis libelli precum.

AD II. AD THES. II. 1.

Per adventum Domini nostri Jesu Christi, & nostrae congregationis in ipsum] Gr. ὑπὲρ τῆς παρουσίας τοῦ Κυρίου . . . καὶ ἡμῶν ἐπισυναγωγῆς ἐπ' αὐτόν. Haud multum referre arbitror, utrum cum vulgato interprete in altero membro illud ὑπὲρ παρουσίας suppleas in hunc modum: καὶ ὑπὲρ παρουσίας συναγωγῆς &c. an vero particulam tantum ὑπὲρ, sic vertens *& per congregationem* &c. Illud magis refer. cognoscere, quid inter ἐπισυναγωγὴν & συναγωγὴν intersit. Hoc enim congregationem sive coetum, illud autem aggregationem, qua se quis alicui parti adjungit, notat. Itaque verti potuisset: *& per nostram conversionem ad eum.* Etsi hoc discrimen non est perpetuum, nam & LXX. non raro τὸ ἐπισυνάγειν est mere συνάγειν, & auctori Machabaici alterius II. 7. ἐπισυναγωγὴ tantundem est, quod συναγωγή. Sed tamen quam attuli differentiam, alii servarunt: Dionysius Alexandrinus

drinus in priore de promiſſionibus libro apud Euſebium VII. hiſt. 24. ὅτε τῆς ἡμετέρας ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τῆς πρὸς αὐτὸν ἐπισυναγωγῆς καὶ ὁμοιώσεως. *Nec de reſurrectione noſtra, qua Chriſto adjungemur & aſſimilabimur*. Euſebius ipſe VIII. hiſt. 1. πῶς δ' ἂν τις διαγράψειε τὰς μυριάνδρους ἐκείνας ἐπισυναγωγάς; *Quis vero jam innumerabiles illas hominum converſiones deſcripſerit?* In quem locum vide Valeſium. Dionyſius Corinthior. epiſcopus apud Euſebium IV. 23. διὰ τῆς αὐτῆς σπουδῆς ἐπισυναχθέντων. Nam ἐπισυνάγεσθαι idem videtur, quod Act. II. 41. & alibi, προστίθεσθαι.

AD II. AD THESS. II. 10.

Eo quod caritatem veritatis non receperunt] Cyprianus ep. 55. ſic affert: *Dilectum veritatis non habuerunt*. Verſu ſequenti pro *conſenſerunt iniquitati*; Cyprianus 12. *ſibi placent in injuſtitia*, proxime ad Graecam proprietatem: ἐν τῇ ἀδικίᾳ.

AD II. AD THES. II. 14.

Tenete traditiones, quas didiciſtis ſive per ſermonem ſive per epiſtolam noſtram] Quaſi ſi dixiſſet ſive per ἄγραφον ſive per ἐνδιάθηκον λόγον. Heſychius: Ἐνδιάθηκος λόγος, πᾶς ἔγγραφος. Ergo aliquis Heſychio fuit ſermo, qui ſcripto non conſtaret, quae eſt traditio: heic enim omnino quod ſaepiſſime ſolet, Heſychius χριστιανίζει. Id cum non animadvertiſſet H. Stephanus: *Forſan*, inquit, *quia teſtamenta ſcriptis mandari ſolent*. Atqui ἐνδιάθηκος Chriſtianum eſt vocabulum, quo Euſebius III. hiſt. 3. utitur ad Canonicos ſcripturae, quam διαθήκην appellamus, libros ſignificandos. Ergo apud Heſychium ἐνδιάθηκος λόγος, eſt qui ſcripto conſtat, eoque differt ab ἀγράφῳ ſeu *tradito verbo* h. e. traditionibus.

I. ET II. AD TIMOTHEVM.

AD I. AD TIM. I. 9.

Lex juſto non eſt poſita, ſed injuſtis &c.] Κεῖται eſt bene Graecum, quod non inſcite Latinus vertit *Poſita eſt*. Neque enim Strigelio aſſentior, qui neſcio quam *urgendi*, *cogendi*, *terrendi* ſignificationem in ea locutione agnoſcit ex Euripide in Hecuba: Νόμος δ' ἐν ὑμῖν . . . κεῖται &c. Neque enim aliud apud nobilem tragoedum & alios, eſt κεῖται νόμος, quam *lata eſt*. Demoſthenes Timocratea veterem legem recitans: Τῶν δὲ νόμων τῶν κειμένων μὴ ἐξεῖναι λῦσαι μηδένα. Poſt paucea: ἐὰν δέ τις λύσας τινὰ τῶν νόμων τῶν κειμένων &c. Inde νόμος κεῖσθαι videtur dictum, quod leges in aes inciſae proponerentur, aut vero in aerario *reponerentur*, nam κεῖσθαι eſt *reponi*, ut Il. 4. ξυνήια κείμενα πολλά. Ergo νόμος κείμενος proprie eſt *lex ſcripta*, quatenus diſtinguitur ab ἀγράφῳ νόμῳ. Thucydides lib. 2. καὶ τῶν νόμων καὶ μάλιστα αὐτῶν, ὅσοι τε ἐπ' ὠφελείᾳ τῶν ἀδικουμένων κεῖνται, καὶ ὅσοι ἄγραφοι ὄντες &c. Vbi vides νόμους κειμένους ſcriptos ab ἀγράφοις diſtingui. Non inepte ergo heic vertas licet: *Lex* (illa ſcil. Moſis ſcripta) *juſto non eſt ſcripta*.

Simul quod tum heic tum alias ſaepiſſime eis libris νόμος ſingulari numero pro

Digitized by Google

pro univerſis legibus Moſaicis ponitur, id quidem etſi ab Hebraico תורה *thorah*, quod eadem notione uſurpatur, fluxit; tamen exemplis ab antiquiore Graecia petitis non caret. Tale eſt hoc, quod in Attica lege apud Demoſth. or. in Neaeram legitur, ubi vetantur aſcititii cives fieri Archontes, ſacerdoteſve, at horum filii ſinuntur, ἐὰν ὦσιν ἐκ γυναικὸς ἀστῆς καὶ ἐγγυητῆς KATA TON NOMON, *modo ex matre cive & ſecundum leges deſponſata ſuſcepti fuerint*. Ariſtoteles I. Rhet. 25. Μὴ συντίθεσθαι παρὰ τὸν νόμον. *Adverſus leges ne paciſcitor*. Item in lege Attica apud Demoſth. in Steph. de falſo teſt. 2. μαρτυρεῖ παρὰ τὸν νόμον: *praeterquam legibus licet* teſtimonium dicit. Apud eundem in Midiana: ὅσοι δ' ἂν γράφωνται γραφὰς ἰδίας κατὰ τὸν νόμον.

AD I. AD. TIM. I. 10.

Forn. Maſc. concubitores] Barnabas epiſt. par. 2. cap. 1. ὁ πορνεύσειν· ὁ μοιχεύσεις· ὁ παιδοφθορεύσεις·

Si quid aliud ſanae doctrinae adverſatur] Gr. τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ. Sic etiam ad Tit. I. 9. At poſtea ὑγιαίνουσαν abſolute uſurparunt. Vide dicta infra IV. 1.

AD I. AD TIM. I. 19.

Circa fidem naufragaverunt] Reperitur hoc verbum ex antiquis in Petronii fragm. Tragur. *Omnes naves naufragarunt*. Ceterum poſteriore aetate paſſim in uſu fuit. Sidonius IV. 21. *quo plus induſtrius quiſque aequor frequentat, hoc minus naufragat*. Tertullianus de idololat. c. XI. *qua* (cupiditate) *quidam irretiti circa fidem naufragium ſunt paſſi*, & lib. de pudic. cap. 13. *Vnde & naufragos eos* (Hymenaeum & Alexandrum) *juxta fidem pronuntiavit*, Paulus ſcilicet.

AD I. AD TIM. II. 4.

Qui omnes homines vult ſalvos fieri & ad agnitionem veritatis venire] Magna lis eſt, quo ſenſu Deus velit omnes σωθῆναι. Praeter aliorum ſententias, Valeſius ad Euſeb. III. de vita Conſtant. 21. putat τὸ σωθῆναι heic idem eſſe, quod ſalutaris doctrinae notitiam percipere. Eoque ſenſu ſe meminit reperiſſe id verbum apud Proclum comm. in Timaeum. Vtinam reperiatur is locus.

AD I. AD TIM. II. 7.

In quo poſitus ſum ego praedicator & apoſtolus] Gr. κήρυξ καὶ ἀπόστολος: quae ſunt ferme ſynonyma. Conjunxit autem, ut unum altero illuſtrius faceret. Apoſtoli quid ſibi vellent, Judaei Helleniſtae ſciebant; Graecis minus notum eo ſenſu atque uſitatum id vocabulum fuit. Conjunxit ergo Graecorum cauſſa vocem alteram, quae apud Graecos tantundem valeret, quod Judaeis שלוחין *ſchelichin*, ἀπόστολοι. Κήρυκος quidem heroicis temporibus multa fuere munia, quae vide ſis apud H. St. in theſ. & Feithium II. antiq. Homer. 5. Verum his omiſſis, poſterioribus temporibus duae maxime fuere partes, ut & praeconem & caduceatorem ſignificaret ea vox. Et utraque notio in Apoſtolos convenit. Huic tamen loco videtur mihi poſterior ſignificatio convenientior. Ceterum ſicuti ſynonymis heic utitur Paulus κήρυξ καὶ ἀπόστολος, ſic pari συνωνυμίᾳ κήρυκα καὶ πρέσβεις Demoſthenes or. pro cor. & epiſtola Philippi conjunxit.

In quo poſitus ſum ego praedicator & Apoſtolus.] Gr ἐτέθην ἐγὼ κήρυξ καὶ Ἀπό-

Ἀπόστολος. Quod totidem verbis repetitur in altera ad Tim. I. 11.

AD I. AD TIM. II. 8.

Volo ergo, viros orare in omni loco, levantes manus puras] Quid ſit levantis manus geſtus, quis corporis habitus, indicat antiquus auctor ſex librorum de Sacramentis inter Ambroſii opera, lib VI. num. 18. *Quid eſt, levantes puras manus? Nam quid debes in oratione tua CRVCEM DOMINI gentibus demonſtrare?* Qui locus hanc habet vim. Quia *Levare manus* erat brachia ſic extendere, ut ſimul cum trunco crucis formam exhiberent, ex eo concludit auctor, hoc dictum Apoſtoli non debere κατὰ τὸ ῥητόν (*ſecundum litteram*) accipi (alioqui ſequeretur, debere nos palam profanis gentilibus crucem Domini oſtentare) ſed κατὰ τὸ νοητόν. Pergit enim: *Eſt tamen quomodo poſſis orare, nec FIGVRAM* (crucis) *demonſtres, ſed actus tuos leves. Si vis operari orationem tuam, leva puras manus per innocentiam.* Quando autem hic Antiſtes vetat inter orandum brachia in crucis formam levare, id ad illud *In omni loco* h. e. propalam eſt referendum. Nam ceteroqui in ſuis cubiculis, imo & in eccleſiis, ubi clam paganis eſſent, familiaris hic geſtus orantium erat, quantum quidem ex antiquis iconibus poteſt intelligi. Dixi de ſententia veteris hujus Sacramentorum Scriptoris. At Ambroſius I. de virgin. n. 7. S. Hagnen eo nomine laudat, quod coram perſecutoribus manus, quo dictum eſt modo, tetenderit. *Vel ſi ad aras invita raperetur, tendere Chriſto inter ignes manus, atque in ipſis ſacrilegis focis tropaeum Domini ſignare victoris. Signandi* verbum, ſicuti & Graecis σφαγίζω peculiare crucem quocumque modo exprimentium erat.

AD I. AD TIM. III. 2.

Vnius uxoris virum] Hos Latini *virginios* appellabant, quod ex pluribus inſcriptionibus apud Fabrettum patet.

AD I. AD TIM. III. 4. 5.

Filios habentem ſubditos cum omni caſtitate. Si quis &c.] Ob eam cauſſam canon Carthaginenſis XXXVI. in codice Dionyſii (qui pertinet ad Synodum Carthaginenſem anni 397. Caeſario & Attico Coſſ.) ſtatuit: *Vt Epiſcopi, Preſbyteri, & Diaconi non ordinentur priuſquam omnes, qui ſunt in ſuis aedibus, Chriſtianos Catholicos fecerint.* In quem Canonem notat Zonaras: *Quiſquis enim domeſticos ſuos erudire . . . . non poteſt aut negligit, quo pacto aliis erudiendis ille ſufficit?*

AD I. AD TIM. III. 6.

Non neophytum] Apud Grut. XXXI. 9. Romana legitur inſcriptio *Soli, Serapi, Jovi, Libero Patri &c.* dicata, qua in inſcriptione & hoc legitur D. VALERI · NEOPHITVS · Vtrum, ſicut pleraque ex Chriſtianorum baptiſmo ad ſacra taurobolii manarunt, ſic & haec vox νεόφυτος? An eſt potius ibi Valerii cognomen? Suidas: Νεόφυτος, ὄνομα κύριον. Nam appellative nonniſi neutro genere dicebatur. Idem Suidas: Νεόφυτον τὸ νεωστὶ φυτευθέν. Nec ex Polluce lib. I. c. 12. ſeg. 231. evincitur adjectivum νεόφυτος, quod H. St. in theſ. & Grotius hîc, crediderunt. Omnino autem, cum LXX. ſaepe hoc vocabulo ſubſtantive neutro genere utantur, exiſtimo eadem forma uſum & Paulum. Νεόφυτον ergo eſt *novella plantatio*, ut in Pſ. exponit interpres, ſive ut alibi, *novella*. Apud Eccleſiaſticos tamen Scriptores, quod putarent heic νεόφυτον adjective

Digitized by Google

ctive Paulum usurpasse, & νεόφυτος πίστις (quod dixit Chrysost. in inscriptionem Actor. Apost.) & alia hujusmodi reperiuntur. Chrysostomus in hunc Pauli locum ait: ὁ τὸν νεώτερον ἐνταῦθα λέγει, ἀλλὰ τὸν νεοκατήχητον. Et ad Isaiae cap. 3. rationem hanc affert: Φυτεῦσαι γὰρ τὸ κατηχῆσαί φησι καὶ διδάξαι, ὥσπερ ὅταν λέγῃ, ἐγὼ ἐφύτευσα. Hinc Varinus accepit: Νεόφυτος, ὁ νεοκατήχητος. At Theophylactus heic νεοβάπτιστον exponit.

AD I. AD TIM. IV. 1.

Quia in novissimis temporibus discedent quidam a fide] Gr. ἀποστήσονταί τινες τῆς πίστεως. At in Alexandri Alexandrini epistola contra Arium, quam Socrates lib. 1. c. 6. inseruit, exhibetur hic locus alio modo, sic: ἀποστήσονταί τινες τῆς ὑγιαινούσης. Valesius vertit *deficient quidem a sana fide*. Praestat vertere *a sana doctrina*; nam Alexander omnino prae oculis habuit I. Tim. I. 10. ubi legitur τῇ ὑγιαινούσῃ διδασκαλίᾳ ἀντίκειται. Sic etiam ad Tit. I. 9. ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τῇ ὑγιαινούσῃ. Hinc postea factum, ut κατ' ἔλλειψιν tacita διδασκαλίᾳ, usurparent absolute ὑγιαίνουσαν.

AD I. AD TIM. IV. 13.

Attende lectioni, exhortationi & doctrinae] Locutio usurpata ab Aur. Victore apud Capitolinum Macrino cap. 4. ubi ait Macrinum, *ut infamiam damnationis tegeret, lectioni operam dedisse, egisse causulas, declamasse* &c.

AD I. AD. TIM. IV. 14.

Cum impositione manuum presbyterii] H. e. Episcoporum, qui sunt primi ordinis presbyteri. Quid sit πρεσβυτέριον, docet ex Graecis Patribus Suicerus in thes. Πρεσβυτέριον autem sic ex πρεσβύτερος factum, ut ex γέρων γερουσία. Veteres quoque latini Patres eodem sensu usurparunt: ex quo primitus in Latina versione id vocabulum positum intelligas. Cornelius ad Cyprianum (epist. inter Cyprianicas 46.) *Omni igitur actu ad me perlato, placuit contrahi presbyterium*, h. e. presbyterorum cogi concilium. Ex Judaeis in Ecclesiam manavit ea vox; quippe in historia Passionis Luc. XXII. 66. legitur: συνήχθη τὸ πρεσβυτέριον τῦ λαῦ. Apud profanos, quod sciam, non legitur.

AD I. AD TIM. V. 3.

Viduas honora, quae vere viduae sunt] Alluditur ad notionem τῆς χήρας: *Vere viduas* h. e. μεμονωμένας, *desolatas*, uti dicitur infra ℣. 5. Idque ita esse capiendum, ex eo potest intelligi, quod ab eo ordine virgines non arcebantur: & hae ipsae tamen *viduae* appellabantur, ex majore parte accepto nomine: unde illud est, quod apud Ignatium M. memini legere: παρθένους τὰς καλουμένας χήρας. Tertullianus lib. de Virg. velandis cap. 9. *Plane scio alicubi virginem in viduatu ab annis nondum viginti collocatam* (notabis hanc locutionem *in viduatu collocare* h. e. in viduarum ordinem allegere) *cui si quid refrigerii debuerat Episcopus, aliter utique salvo respectu disciplinae praestare potuisset, ne tale nunc miraculum, ne dixerim monstrum, in Ecclesia denotaretur: virgo vidua, hoc quidem portentosior, quod, nec qua vidua, caput texit; utrunque se negans, & virginem, quae vidua deputetur, & viduam, quae virgo dicatur. Sed ea auctoritate ibi sedet intecta, qua & virgo.* Et quidem, scribente Apostolo, jam inoleverat mos, ut virgines

Digitized by Google

inter viduas adlegerentur, ac *viduae* dicerentur. Id quia non probat Apoſtolus, hinc jubet honorari tantum eas, *quae vere viduae* eſſent, non etiam quae dicerentur.

AD I. AD TIM. V. 6.

Quae in delictis eſt, vivens mortua eſt] Apud Pythagoreos ſiqui forte delicti ſui cauſſa e ſchola ejiciebantur, iis ſepulchra veluti mortuis ponebantur. S. Clemens Alex. in V. ſtrom. tradit, Hipparchum, quod Pythagorica evulgaſſet, ἐξελαθῆναι τῆς διατριβῆς, καὶ τάφην ἐπ' αὐτῷ γενέσθαι οἷα νεκρῷ. Sic & Perilao Thurio, & Cyloni Sybaritae monumenta fecere. Jamblichus cap. 17. Δυσκίνητος εἴ τις, ἢ δυσπαραχολούθητος εὑρίσκετο, τάφην δή τινα τῷ τοιούτῳ καὶ μνημεῖον ἐν τῇ διατριβῇ χώσαντες (καθὰ καὶ Περιλάῳ τῷ θυρίῳ λέγεται καὶ Κύλωνι τῷ Συβαριτῶν ἐξάρχῳ ἀπογνωσθεῖσιν ὑπ' αὐτῶν) ἐξήλαυνον τῆ ὁμαχοίᾳ.

AD I. AD TIM. V. 9.

Vidua eligatur non minus ſexaginta annorum, quae fuerit unius viri uxor.] Tertullianus lib. de virg. velandis cap. 9. utrumque innuit: *Ad quam ſedem* (Graece dixeris θρόνον h. e. ordinem viduarum, de his enim loquitur) *praeter annos ſexaginta non tantum univirae, ideſt nuptae, aliquando eliguntur, ſed & matres & quidem educatrices filiorum* &c. Ex quibus verbis hoc etiam aucupamur, Tertullianum *univiras* accepiſſe non tantum eas, quae uni marito copulatae fuerint, qui poſtea obierit, verum & nuptas, ſed ſecubantes. Et quidem locus hic verti potuerat: *Vidua eligatur annos non minus ſexaginta nata, unius viri uxor.* Graece ſic: Χήρα καταλεγέσθω μὴ ἔλαττον ἐτῶν ἑξήκοντα γεγουῖα, ἑνὸς ἀνδρὸς γυή. Vulgo diſtinguunt poſt ἑξήκοντα, ut γεγουῖα ad ſequentia referatur. Sed ut vulgarem diſtinctionem tueri poſſis, ſcribendum fuerat ἑλάττων feminino genere. Nec video, cum conjugati, ſed tamen ab uxoribus ſecubantes, ad ſacros ordines evehi potuerint, quid impedimento fuerint, quominus idem conjugibus licuerit. At, inquis, cur ergo viduae dicebantur? quia, inquam, is ordo magnam partem ex viduis proprie dictis coaleſcebat: unde factum, ut & virgines & uxores ſejuncto toro ad eum ordinem promotae, viduae nihilominus dicerentur.

Ex his porro quae heic de viduis tradit Apoſtolus, invictum meo judicio argumentum de ſacrorum miniſtrorum coelibatu duci poteſt. Viduarum ordinem ſacrorum miniſtrorum ordini fuiſſe κατάλληλον, & ex aequo reſpondentem, nemo non videt. In πρεσβυτίδων autem collegium non cooptabantur, niſi aut virgines aut univirae viduae, aut univirae ſecubantes. Credibile ne eſt, in ſacris miniſtris minus fuiſſe requiſitum, ut non tantum caelibes, aut qui ab uxoribus ſecubarent, ſed & qui in conjugalibus officiis permanerent, ad hierarchicos ordines promoverentur? Vt ergo viduam univiram jubet eſſe heic Paulus, eodem ſenſu Epiſcopum *unius uxoris virum*. Omnino virginum infrequentia Apoſtolicis temporibus in cauſſa fuit, ut ſatis haberent Apoſtoli, ſi ex viduis aut ſecubantibus hierarchas, & diaconiſſas aut πρεσβύτιδας plerunque conſtituerent.

Ceterum quod heic in feminarum ſacerdotio requirit Apoſtolus, idem olim & apud gentiles uſurpabatur. *Antiqui* (ait Servius ad Virg. IV. 19.) *repellebant a ſacerdotio bis nuptas*. Etſi obſcena numina longe alius generis miniſtris gaudebant. Minutius Felix: *Alia ſacra coronat univira, alia multivira; & magno religione conquiritur, quae plura poſſit adulteria numerare.*

Vnius viri uxor] Hanc Latini *univiram* & *univiriam*, (utroque enim modo in

Digitized by Google

in marmoribus & libris ſcribitur.) dicebant. Trebellius Pollio in Tito, quem XXX. tyrannis adjecit, *Quam* (Calphurniam) *majores noſtri univiriam ſacerdotem inter ſacratiſſimas feminas adorarunt*. Tertull. exhort. ad caſt. multus eſt in univirarum apud ethnicos praerogativis; ubi & illud, quod huc maxime pertinet: *Certe & flaminica nonniſi univiria eſt, quae & flaminis lex eſt. Vnicubam* quoque appellarunt. Gloſſae Iſidori: *Vnicuba, unius viri uxor.*

Quae fuerit unius viri uxor] Sicut diaconi hac ead. epiſt. III. 12. non poterant eſſe niſi *unius uxoris viri*; ſic & diaconiſſa heic. Nam & diaconatus genus ſacerdotii fuit. Apud gentiles flaminicae univirae eſſe debebant ex Tertulliano. Idem confirmat lapis Gratianop. apud Reineſ. V. 39. *Hilariae · Quintillae · flaminicae · · · conjugi · Kariſſ · quae · vixit · mecum · ex · virginitate* &c.

AD I. AD TIM. V. 10.

Si tribulationem patientibus ſubminiſtravit] Gr. εἰ θλιβομένοις ἐπήρκησεν. Apud Ariſtophanem legitur θλιβόμενος eadem, qua hic, ſignificatione. Vt viduarum, ſic & θλιβομένων peculiarem olim curam ſuſcepit Eccleſia. Reperitur ea vox apud Cornelium epiſt. ad Fabium Antiochenum apud Euſeb. VI. hiſt 43. ſcribentem in Eccleſia Romana numerari Presbyteros 44. diaconos 7. totidem ſubdiaconos, Acoluthos 42. Exorciſtas & lectores cum ſubdiaconis 52. poſtremo viduas cum afflictis (χήρας σὺν θλιβομένοις) plus quam mille & quingentas. Et in Epiſtola Cleri Romani ad Clerum Carthaginenſem: *Sive viduae, ſive Thlibomeni, qui ſe exhibere non poſſunt, ſive hi qui in carceribus ſunt, ſive excluſi a ſedibus ſuis, utique habere debent, qui eis miniſtrent.* Male antea legebatur *Clydomeni* aut *Clinomeni:* Valeſius ad modo indicatum Euſebii locum reſtituit *Thlibomeni*, quando & Rufinus *indigentes* verterat. Eoſdem ibidem notat Valeſius vocari a Cypriano epiſt. 4. pauperes & indigentes qui laborant. Ex his vides τῶν θλιβομένων aeque ac viduarum fuiſſe peculiares greges ac veluti ordines. Chryſoſtomus hom. 67. in Matt. ait Eccleſiam Antiochenam haud valde divitem, aluiſſe tamen aetate ſua pluſquam tria millia viduarum ac virginum, praeter hoſpites, leproſos, vinctos, & clericos, quibus veſtes & cibaria ſuppeditabat.

AD I. ad TIM. V. 17.

Presbyteri duplici honore digni habeantur] Apud Graecos γέρας pro utroque ponitur, & pro honore & praemio. At Helleniſtae etiam τιμὴν & τιμάω utraque ſignificatione donarunt, uti patet ex Sirac. XXXVIII. 1. & heic & paſſim in N. T. In Gloſſis veteribus: Τιμὴ, τὸ ἐπὶ συνηγορίᾳ διδόμενον, *Honorarium.* Cicero quoque non raro *honorem* ea notione uſurpavit. Verr. III. *Ei poſtea praemia tamen liberaliter tribuit . . . habuit honorem ut proditori, non, ut amico, fidem.* Et pro Sex. Roſc. Amer. *Nonne ſatis fuit his gratias agi? Denique, ut perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi?* Infra: *Quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus eſt, laudo.* Atque hoc quidem Pauli loco τιμὴ victum proprie ſignificat, & eſt a militari annona ſumtum, quam Graeci ὀψώνια, Latini tum multis vocabulis, tum etiam *honores* appellabant. In Diadumeni concione apud Lampridium cap. 2. legitur: *Tantundem promitto, honoribus, ut venerandus Macrinus pater praeſens promiſit, duplicatis.* Quos honores Diadumenus, eos Macrinus ibidem allocutione ſua *promotiones geminatas* appellaverat. Sed *promtiones* eſſe ſcribendum, demonſtravi ad ipſum Lampridium.

Digitized by Google

AD I. TIM. V. 23.

Modico vino utere propter ſtomachum] Aelianus II. Var. hiſt. 37. legem Zaleuci refert (cujus & Athenaeus lib. X. pag. 429. meminit) de vino extra medici praeſcriptum non bibendo.

AD I. TIM. V. 24.

Quorundam hominum peccata manifeſta ſunt, praecedentia ad judicium, quoſdam autem & ſubſequuntur] Haec ſic explicat Ambroſ. in I. Apologia David num. 24. *Omnia noſtra quaſi in trutina ponderantur: ſi bonis igitur factis peccata praeponderant, praecedunt ad judicium* (κρίσις eſt *damnatio* & ignis aeternus, ut dixi ad acta S. Patric.) *vergunt enim peccata quaſi in profundum; vergunt quae manifeſta ſunt vel pondere atque acerbitate vel multitudine*. Et plura in eamdem ſententiam.

AD I. TIM. VI. 13.

Praecipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia &c.] Afri in profeſs. fidei apud Victorem Vitenſem lib. 3. c. 12. poſuerunt: *Teſtor in conſpectu Dei* &c. Quid ſecuti ? Nam certe παραγγέλλω proprie eſt *denuntio, edico, praecipio*, ut vel e veteribus Gloſſis patet. An S. Eugenius Carthaginenſis, cui iſtud opus tribuit Gennadius, e penu memoriae multa hauſit ?

AD I. TIM. VI. 15.

Et ſolus potens, rex regum & Dominus dominantium] Si mei arbitrii res ſit, minimam diſtinctionem poſt *potens* auferas per me licebit; nam illud *ſolus* ad totum quod ſequitur *potens rex regum & Dominus dominantium* libenter referrem. Hoc titulo, qui ſaepe in V. T. & Apoc. Deo tribuitur, utitur etiam Artaxerxes 1. Eſdr. VII. 12. & paſſim reges orientales apud ſcriptores. Hinc M. Antonius IIIvir teſte Dione lib. 48. poſt devictam Armeniam, Cleopatram *Reginam regum*, & Ptolemaeum cognomento Caeſarionem *Regem regum* appellari juſſit. In denario ejuſdem M. Antonii legitur: CLEOPATRAE REGINAE REGVM FILIORVM REGVM.

Cum ergo paſſim hunc titulum reges ambitioſe affectarent, merito addidit Apoſtolus *ſolus*. Soli enim Deo convenit illud Horatii de Jove: *Regum timendorum in proprios greges, Reges in ipſos imperium eſt Jovis*.

Rex regum & Dominus dominantium] Diodorus lib. 1. pag. 35. Βασιλεὺς βασιλέων, καὶ δεσπότης δεσπότων Σεσόωσις. Rex regum & Dominorum Seſoſtris. Occupatum a Druſio hîc.

AD I. TIM. VI. 16.

Qui ſolus habet immortalitatem] Solus ex ſua habet αὐταρχείᾳ, at mentes interim Dei hoc dono habent. Alia mens Alexandro Aphrodiſienſi fuit, qui in V. Topic. pag. 178. totidem verbis Deum ſolum habere immortalitatem ſcripſit, ſed ita ut in 2. Top. & alibi, animas eſſe immortales & a corpore ſeparabiles aperte neget, profeſſus Ariſtotelis in eo ſe ſententiam tradere.

AD II. TIM. I. 14.

Per Spiritum Sanctum, qui habitat in nobis] Habitandi vocabulum facile Spiritui Sancto applicatur; ut ad Epheſ. II. 22. *Coaedificamini habitaculum Dei in Spiritu*. Et *Templum Spiritus Sancti* pluries appellamur. Nimirum aſſueverant,

Digitized by Google

rant, opinor, Judaei vocabulo שכינה *ſcecinah*, *habitatio*, qua voce ad Spiritum Sanctum notandum uſi exiſtimantur.

AD II. TIM. II. 4.

Nemo militans Deo implicat ſe negotiis ſaecularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.] Sic ferme etiam Cyprianus ep. 66. *Nemo militans Deo obligat ſe moleſtiis ſaecularibus, ut poſſit placere ei, cui ſe probavit.* Sed in Graeco Pauli textu abeſt illud *Deo*, ut ſit ſimilitudo, cujus, ut ſaepe fit, omittitur ἀπόδοσις. At veteres de ἀποδόσει ſolliciti, tum *Deo* addiderunt, tum illud βίᾳ πραγματείαις (quod in generali ſententia quaelibet alia praeter militiam negotia deſignat) in ſequiorem partem acceperunt, ut ſaepe ceteroqui his libris βίος pro *ſaeculo* poni tur.

AD II. TIM. II. 24.

Docibilem] Gr. διδακτικὸν. Activa notione *Docibilis*, ut *Aſpernabilis* (apud Capitolinum de Maximo, qui & Pupienus, cap. 6. *moribus aſpernabilis*,) i. e. aſpernator. Sic *Opinabilis*, qui opinatur, *exſpectabilis*, qui exſpectat, apud poſteriores Latinos.

AD II. TIM. III. 8.

Quemadmodum autem Jannes & Mambre] Apulejus in apologia, Moſem & Jannem celebribus magis annumerat. *Ego ille ſim Carinondas, vel Damigeron, vel is Moſes, vel Jannes, vel Apollonius, vel ipſe Dardanus, vel quicunque poſt Zoroaſtrem, vel Hoſtanem inter magos celebratus eſt.*

AD II. TIM. IV. 3.

Prurientes auribus] Labuntur indocti, dum hoc ad Magiſtros referunt, accuſandi caſu, & tranſitivam ſignificationem pruriendi verbo accommodant. Graece recto caſu legitur κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν: quod optime vertit interpres, & αὐτολεξεί. Sed ſenſum nemo melius Heſychio grammatico expreſſit, Κνηθόμενοι τὴν ἀκοὴν, inquit, ζητοῦντές τι ἀκοῦσαι καθ' ἡδονήν. Quo loco, ſicut & pleriſque aliis, ſe Chriſtianum aut ſaltem in Scripturis verſatum, Heſychius prodit, etſi Pauli nomine tacito: ſicuti in Suida quid ſit ἐπιούσιος ἄρτος legitur, non citato Evangelio. Niſi forte ex trito apud gentiles adagio id adduxerit Heſychius: uti nos Juliani apoſtatae locus ab aliis jampridem notatus docet epiſt. 51., ubi Alexandrinis ἀκοὰς κνηστιώσας tribuit, appoſite ad Alexandrinorum nova auſcultandi libidinem notandam. Simile eſt illud Ariſtidis, quod apud Varinum Favorinum legi: τὰ ὦτα γαργαλίζουσι, quod neſcio utrum de metaphorica hac aurium prurigine, (cui reſpondet *ſcalpere aures* a nonnullis ſcriptoribus de adulatoribus dictum) an vero de propria ſit capiendum. Nam fuit nota veteribus vera quaedam aurium moroſa prurigo ſeu verminatio, cui morbo auriſcalpium admovebant. Martialis XIV. 23. in epigrammate, cujus lemma *Auriſcalpium*.

Si tibi moroſa prurigine verminat auris,
Arma damus tantis apta libidinibus.

Quale porro veterum auriſcalpium fuerit? Scio tamen pennas ſive plumas ad explendum hujuſcemodi pruritum vulgo olim uſurpatum fuiſſe. Lucianus de ſaltat.

Digitized by Google

tat. ὅμοια πεποιθὼς τοῖς τὰ ὦτα πτερῷ κνωμένοις. Idem de calumn. οἶδα γοῦν τινας ἔτως ἡδέως γαργαλιζομένους τὰ ὦτα ὑπὸ τῶν διαβολῶν, ὥσπερ τοὺς πτεροῖς κνωμένους. Quae Luciani loca Pauli ſententiam non parum illuſtrant: ſicut & illud quod in libello precum Marcellini & Fauſtini, Damaſus Papa *auriſcalpium Matronarum* dicitur (ab adverſariis ſanctiſſimi pontificis ſcilicet) quaſi qui ſuam eloquentiam ad illarum aures deliniendas componeret.

Egregia porro hoc loco Pauli habetur Gnoſticorum aliorumque veterum haereticorum vaticinatio, qui fabuloſis narrationibus erant, quaſi quodam auriſcalpio, prurientes frigeſcentium Chriſtianorum aures ſcalpturi.

AD II. TIM. IV. 6.

Ego enim jam delibor] Gr. ἤδη σπένδομαι. Eadem locutio ad Phil. II. 17. ſed aliquanto diverſa ſignificatione, ibi enim σπένδεσθαι ἐπὶ τῇ θυσίᾳ καὶ λειτουργίᾳ τῆς πίστεως ὑμῶν ſumtum eſt a conſuetis Hebraeorum Graecorumque libationibus, ſacrificium praecedentibus: heic autem σπένδομαι poſitum videtur pro κατασπένδομαι, ſimplex pro compoſito, Hebraeorum more, qui carent compoſitione. Itaque ibi ad Phil. II. 17. pro *immolor* (quod Vulgatus habet) verterim *libor*: heic autem pro *delibor* repoſuerim *devoveor*. Nam κατασπένδειν ἑαυτὸν Graecis dicitur, quod Latinis eſt *ſe devovere* aut *devoveri*. Strabo lib. III. pag. 165. Hiſpanorum in more poſitum ſcribit, τὸ κατασπένδειν αὐτοὺς, οἷς ἂν προσθῶνται, ὥστε ἀποθνήσκειν αὐτοὺς ὑπὲρ ἐκείνων: *devovere ſe pro iis, quorum amicitiam amplectuntur, ita ut mortem pro iis oppetant*. Plutarchus Sertorio de iiſdem Hiſpanis: Ἔθος δ' ὄντος Ἰβηρικὸν, τοὺς περὶ τὸν ἄρχοντα τεταγμένους συναποθνήσκειν αὐτῷ πεσόντι, καὶ τοῦτο τῶν ἐκεῖ βαρβάρων ΚΑΤΑΣΠΕΙΣΙΝ ὀνομαζόντων, τοῖς μὲν ἄλλοις ἡγεμόσιν ὀλίγοι τῶν ὑπασπιστῶν καὶ τῶν ἑταίρων, Σερτωρίῳ δὲ πολλαὶ μυριάδες ἀνθρώπων ΚΑΤΕΣΠΕΙΚΟΤΩΝ ἑαυτοὺς κατηκολούθουν. Quod ait Plutarchus, hoc Barbaros illos κατάσπεισιν appellare, intelligendum eſt de voce Punica ſive Celtiberica, quae tantundem valeret, quod Graecis κατάσπεισις.

An potius uſitatas libationes ſacrificio praevias ſpectat Apoſtolus? Id ſi eſt: recte Vulgatus interpres *delibor* potius, quam *libor* interpretatur, quod & praecedentibus & ſequentibus belle cohaeret. Te vero, inquit, Timothee de laboribus omne genus ſuſcipiendis cogitare oportet: nam ad me quod attinet, parum jam mihi vitae ſupereſt, quotidieque delibatur aliquid de meis viribus, ſuntque haec veluti libamina, immolationem mei praecedentia.

AD. II. TIM. IV. 13.

Penulam, quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum & libros, maxime autem membranas] In Graeco loci hujus τὰ βιβλία eſt. Atque equidem Tomo I. hujus Spicilegii in Praefat. pag. V. cum voci *Bibliorum* (*Librorum*) per antonomaſiam antiquitatem ſuam arrogarem, hunc locum de Scripturae libris intellexi. *Membranas* autem ἀγράπτους h. e. mundas hîc accipe, ad ſcribendas epiſtolas & quidvis aliud uſui futuras.

AD

Digitized by Google

AD TITVM.

AD TIT. I. 11.

Docentes quae non oportet, turpis lucri gratia] De Gnoſticis loquitur, qui non aliis ſuas naenias inſuſurrabant, quam iis. *Qui etiam grandes mercedes pro talibus myſteriis praeſtare poſſunt*; ut habet Irenaeus I. 1. De iiſdem Apoſtolus alibi: *Aeſtimantes quaeſtum eſſe pietatem*. De quo vide doctiſſimum Auliſium in Scholis Alex. cap. 32.

AD TIT. I. 12.

Dixit quidam ex illis proprius ipſorum propheta] Prophetarum nomen non in Judaica Chriſtianaque dumtaxat, ſed & in profana gentilium religione uſurpatum fuit. Poſſem ſexcenta huc exempla conferre: ſed iis omiſſis (quae ſiquis volet in ſubjectam notationem (*) conjecta reperiet) illud quidem certe non praetermittendum, ſicut in Aegypto Jovis Ammonis, ſic in Creta Jovis prophetas fuiſſe, e quorum numero Epimenides iſte fuerit. Exſtant de Jovis in Creta Prophetis verſus Euripidei, quos affert Porphyrius in IV. de abſtin. pag. 416. & ſeq. Hujus Epimenidis hiſtoriam cognoſcere licet ex Maximo Tyrio diatriba XXVIII. ubi tradit Epimenidem in antro Jovis permultos annos obdormiviſſe, quo modo κατ' ὄραμα ibi divina conſulentibus pandebantur. Jovis hujus Cretenſis templum, cujus Epimenides prophetes fuit, in Ida poſitum erat, uti teſtatur Max. Tyr. diſſert. XXII. & Laërtius.

Cretenſes ſemper mendaces &c.] Gr. Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται &c. Hexameter iſte eſt initium alicujus ex Epimenidis χρησμοῖς. Oracula non alio verſu fundebantur: quo factum, ut, teſte Iſidoro I. orig. 38. verſus heroicos ante Homerum *Pythios* appellarent, ſive ob eam quam dixi cauſſam; ſive quod carmen heroicum Pythio oraculo debere nos ſcripſit Plinius VII. 57. Nec refert, quod hexametri

(*) De gentilium, praeſertim Aegyptiorum prophetis, eorumque duce Archipropheta, nulli non loquuntur veterum libri. Sonchidis Sacerdotis ſapientiſſimi, & archiprophetae Aegyptii Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride meminit. Idem lib. de Genio Socratis de Chonuphi propheta narrat, qui aeneam tabellam, litteris ſcriptam incognitis, in Alcmenae ſepulcro repertam, explicuerit. Aegyptiorum prophetarum non rara eſt apud Clementem Alex. mentio. Proclus ex Crantore refert, Platonem ab Aegyptiis prophetis furti reum peractum, quod quae ἐν στήλαις ἔτι σωζομέναις legerentur, ſua feciſſet. Hermetis libros hieroglyphicis ſcriptos characteribus, Bityn prophetam Ammoni regi fuiſſe interpretatum, narrat Jamblichus de myſteriis ſect. VIII. cap. 5. Alexander Paphius apud Euſtach. ad Od. μ. nutricem Homero aſſignat prophetidem quandam Hori Sacerdotis filiam: τροφὸν δὲ αὐτῷ προφῆτίν τινα θυγατέρα Ὥρου ἱερέως Ἰσιδος. Sed quo piaculo praeteribitur Ὠλὴν θ' ὃς γένετο πρῶτος Φοίβοιο προφάτας: *Iſque, propheta fuit qui primus Appollinis, Olen.* Vt eſt apud Pauſan. in Phocicis. Taceo Plemonoëm, Bacidem, Amphilytum, Glanidem, Prylin, Lycum, Mopſum, alios, quorum vaticinia vetuſtiſſimi ſcriptores laudant. Muſaei & Orphei χρησμῳδίας Plato Protagora laudat, utrunque χρησμολόγον credidit antiquitas: etſi utriuſque χρησμὰς critici ad Onomacritum, ob eam cauſſam a Piſiſtrato ejectum Athenis, auctorem referebant. Fuit & Euclous vetuſtiſſimus χρησμολόγος apud Suidam: cujus χρησμὰς haud ſemel Pauſanias Phocicis laudat. Χρησμολόγον autem & prophetam duo fuiſſe ejuſdem rei vocabula, ex Luciani Scholiaſte intelligitur to. 1. p. 3. qui de Epimenide propheta notat: ὁ Ἐπιμενίδης Κρὴς ἦν χρησμολόγος, ὅ καὶ τὸ, Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, λέγιον.

Vide praeterea quae affert H. St. in voce Προφήτης. & Ariſtidis προφάτας καὶ ἱερεῖς indicatos in Fabricii indice to. 4. bibl. Gr. pag. 406.

Digitized by Google

tri carminis inventionem ad Plemonoën, Pauſanias Boeoticis ad Olenem auctorem refert; nam quicunque χρησμολόγοι, iidem & Pythii fuere. Nec ex tot veterum χρησμοῖς aliter quam per hexametros facile ullum inveneris.

Cretenſes ſemper mendaces] Gr. Κρῆτες ἀεὶ ψευσταὶ. Cretenſium mendacia in proverbio celebrabantur (nam & Callimachus eodem hemiſtichio utitur & Ovidius & alii, eum populum eo nomine accuſant) hac de cauſſa, quam tradit Athenodorus Eretrienſis a Ptolemaeo Hephaeſtione allegatus apud Photium cod. 190. Nam cum Medea de formae praeſtantia cum Thetide contenderet; Idomeneo Cretenſi hujus certaminis arbitrium permiſſum fuit. A quo Medea Thetidi poſtpoſita, irata dixit Κρῆτες ἀεὶ ψευσταὶ; eum exſecrata ne unquam verum diceret, qui in hoc judicio mentitus eſſet: a quo tempore manſit, ut Cretenſes ψευσταὶ haberentur. Cujus rei fides ſit penes auctorem.

AD TIT. III. 10.

Hereticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita] Cyprianus non videtur legiſſe in ſuo codice illud δευτέραν; nam ſic affert ep. 55. *poſt unam correptionem evita, ſciens quia perverſus eſt hujuſmodi, & peccat & eſt a ſemetipſo damnatus.*

AD TIT. III. 12.

Cum miſero ad te Arteman] Ἀρτεμᾶς contractius dicebatur pro Ἀρτέμων, ſicuti ſunt illa *Demas*, *Lucas*, & alia innumera aliter a Syris, quam a Graecis uſurpata. Celebris fuit divinitatis Chriſti hoſtis Artemon quidam, qui apud Euſebium in V. hiſt. 28. paſſim Ἀρτέμων ſcribitur: at in epiſtola ſynodica concilii Antiocheni (utpote in Syria) apud Euſeb. VII. 30. idem Ἀρτεμᾶς contracte dicitur; ubi Paulum Samoſatenſem traducunt, uti ἐμπομπεύοντα τῇ μιαρᾷ αἱρέσει τῇ Ἀρτεμᾶ, *ad exſecrandam Artemae haereſim tranſgreſſum*. Et infra de eodem Samoſateno: τῷ δὲ Ἀρτεμᾷ ὅτος ἐπιστελλέτω, καὶ οἱ τὰ Ἀρτεμᾶ φρονοῦντες, τούτῳ κοινωνείτωσαν. *Paulus vero ad Artemam communicatorias det litteras, ſi lubet, & qui Artemam ſectantur, cum eo communicent.* Ad haec Artemonem illum Theodoritus II. haeret. fab. 4. a nonnullis Arteman appellari dixit. Et certe Arteman appellat Methodius in convivio decem virginum & Felix III. epiſt. ad Petrum Fullonem. Fallitur ergo Grotius heic, qui Artemae nomen contractum putat ex Artemidoro.

AD

AD PHILEMONEM.

AD PHILEM. v. 10.

Obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo] De Philemonis (*) Onesimo Graeci die XV. Febr. at Latini postridie agunt. Sed de ejus Ephesino Episcopatu Basilii Menologium ceterique eorum libri tacent: tacent & antiquiores Martyrologi. Nam Beda genuinus sic orditur diem XVI. Febr. *S. Onesimi Apostoli*. Nec aliud, quam unicum *Apostoli* titulum Rosveidanum Martyrologium ei tribuit. Vandelbertus etiam & Rabanus de ejus episcopatu silent. Ac primi omnium Ado & Vsuardus ita ejus elogium pertexuerunt, ut videatur Philemonis Onesimus a Paulo & Episcopus ordinatus, & Ephesi (circ. an. LXIV.) ab eodem Paulo relictus, quando scilicet Romam martyrium consummaturus perrexit. Id vero clarius ab aliis secutis Martyrologis affirmatum fuit. Ac postremo Romanum Martyrologium disertissime id testatur, sic ordiens diem XVI. Februarii. *Natalis B. Onesimi, de quo S. Paulus Apostolus ad Philemonem scribit: quem etiam post S. Timotheum Ephesiorum Episcopum ordinavit, praedicationisque verbum illi commisit. Hic vinctus Romam perductus, ac pro fide Christi lapidatus, primo ibidem sepultus fuit; inde ad locum ubi fuerat Episcopus ordinatus, corpus ejus delatum est.* Habes heic *martyrem* & *Ephesi Episcopum*. Atqui Ephesino Onesimi illius, qui Philemonis servus fuit, episcopatui non aliud ansam praebuit, quam Ignatii in Epist. ad Ephesios *Onesimi* cujusdam Ephesini Episcopi mentio. Ceterum (ait Tillemontius ad S. Pauli vitam Not. 70.) temporum ratio vetat, Philemonis Onesimum eumdem fuisse ac Ephesinum ab Ignatio laudatum; quum Philemonis servus circ. an. LXI. Paulo se adjunxerit, Ephesini autem Onesimi meminerit Ignatius an. CVII. Verum non video, quid impediat, quominus quis, etiamsi fuerit tricenario major, ab an. LXI. ad CVII. vitam prorogare potuerit. Adhaec (pergit Tillemontius) Cedrenus & Nicephorus Philemonis Onesimum sub Domitiano martyrium consecutum testantur, h. e. facile decem ante Ephesinum annis. Atqui nec Cedrenus nec Nicephorus rei tam antiquae testes satis idonei esse possunt. His igitur argumentis non satis permoveor, ut duos fuisse credam: at illud dumtaxat unum suadere id plane videtur, quod auctor Constitutionum VII. 46. sine ullis ambagibus Philemonis servum *Beroeae in Macedonia Episcopum* factum prodidit: Βεροίας δὲ τῆς κατὰ Μακεδονίαν Ὀνήσιμος ὁ Φιλήμονος. Ergo quarto saeculo (nec enim serius illae Constitutiones prodierunt) Onesimus Philemonis Beroeae sedisse putabatur, diversus adeo ab Ephesino Onesimo. Hinc merito jam ante Tillemontium Vsserius itemque Cotelerius duos fuisse Onesimos contenderunt; quos male antea Grotius ad Epist. ad Philem. in unum coëgerat.

Illud supervacaneum est monere, hunc, de quo loquimur, Philemonis famulum miris a Paulo laudibus cumulari, de quo tota est Epistola ad Philemonem tota Pauli manu perscripta (vide vers. 19.) uti moris est, ubi ad in-

(*) Tota haec de Onesimo commentatio transfusa huc est e Kalend. marm. Neap. pag. 95.

Digitized by Google

timos familiares deque intimo familiari ſcribitur: in qua etiam in *Oneſimi* nomine pulchre (**) ludit Apoſtolus.

AD PHILEM. v. 12.

Tu autem illum, ut mea viſcera, ſuſcipe] Σπλάγχνα Graeci, *Viſcera* Latini interdum filios, aut quos filiorum loco diligerent, nuncupabant. Artemidorus I. 26. οἱ παῖδες σπλάγχνα λέγονται. Statius Theb. VII. 751. *Sua credite matri Viſcera.* Lactantius in VI. Inſtit. c. 20. eos reprehendens, qui filios exponunt, *Qui*, inquit, *Viſcera ſua in praedam canibus objiciunt.* De eo, qui ut filius amatur, eſt illud apud Philoſtratum in Hippodromo cap. 3. ejuſdem Hippodromi dictum: οὐκ ἐπαποδύσομαι τοῖς ἐμαυτοῦ σπλάγχνοις, *Adverſus mea viſcera me non componam ad pugnam.*

AD HEBRAEOS.

AD HEBR. I. 3.

Et figura ſubſtantiae ejus] Gr. τῆς ὑποστάσεως. Negat Grotius heic ὑπόστασιν notione philoſophica uſurpari. Cui non aſſentior. Videtur Paulus (vel ex iis quae Strabo lib. XIV. pag. 463. de Tarſenſibus praedicat, *tantum iis hominibus philoſophiae diſciplinarumque* τῶν ἐγκυκλίων *ſtudium* fuiſſe, *ut Athenas & Alexandriam aliaque loca ea laude florentia, ſuperarint*) Videtur, inquam, Paulus Philoſophis auſcultandis admoviſſe aures, ac noſſe, quid Platonicis ὑπόστασις valeret. Nam profecto Irenaeus grammaticus apud Socratem III. 7. probe animadvertit, ὑπόστασιν, ſicubi apud probos Scriptores reperitur, modo inſidias modo aliud ſignificare, apud Philoſophos autem recentiores (nam ab antiquis eam vocem non uſurpatam contendit, in quo fallitur) ἀντὶ τῆς οὐσίας pro ſubſtantia accipi ſolere. Eodem prorſus ſignificatu heic Apoſtolus uſurpavit, aut certe pro eſſentia Patris charactere hypoſtatico inſignita, h. e. pro perſona Patris. Omnino autem tum notione philoſophica heic ſumitur ὑπόστασις· tum vero hinc patet, non inaudita Paulo fuiſſe τὰ ἐξωτικὰ μαθήματα.

AD HEBR. I. 4.

Tanto melior angelis effectus] Gr. τοσούτῳ κρείττων &c. Apud Scriptores Graecos ὁ κρείττων unum eſt ex Divinis nominibus.

AD HEBR. I. 14.

Qui hereditatem capient ſalutis?] Victor Vitenſis lib. V. in hunc modum: *Qui hereditatem capeſſuri ſunt aeternae ſalutis.* At αἰωνίου abeſt ab editis & MSS.

AD

(**) Duplex eſt ea alluſio, ſemel verſu II. *Qui tibi aliquando inutilis fuit* (Gr. ἄχρηστον. quod verbo tenus *inutilem* ſignificat, ſed heic etiam *damnoſum* notat: in veteribus Gloſ. Ἄχρηστος eſt *Incommodus*, h. e. Moleſtus: & apud Italos *Diſutile* de viro pernicioſo uſurpatur) *nunc autem & mihi & tibi utilis.* Nam *Oneſimus* Graece *utilem* notat.

Rurſus autem verſu 20. ſic ſcripſit Apoſtolus: *Ita frater: ego te fruar in Domino.* Pro *Ego te fruar*, Graece eſt ἐγώ σου ὀναίμην (in quo verbo pulchra eſt ad Oneſimi *nomen* alluſio) h. e. *hunc ex te fructum capiam*: ex te inquam, qui *teipſum mihi debes*, uti proxime dixerat. Quando igitur tu σύνδουλος meus es, cupio & χρήσαι te meum eſſe; & in hoc facto te mihi ὀνήσιμον (*Oneſimon* i. e. *utilem*) praeſtare.

Digitized by Google

AD HEBR. II. 10.

Decebat . . . auctorem ſalutis eorum per paſſionem conſummare] Gr. τελειῶσαι h. e. *conſummare*. Verum heic ſub voce activa id verbum ſignificationem paſſivam habet; ſicuti καθέστηκα exponitur *Conſtitutus ſum*, & ſexcenta alia. Merito Ambroſius in I. Offic. 10. ſic affert hunc locum, *Ducem ſalutis eorum per paſſionem conſummari*.

AD HEBR. VI. 4. 6.

Impoſſibile eſt enim eos qui ſemel ſunt illuminati . . . & prolapſi ſunt, rurſus renovari ad poenitentiam.] De baptiſmo non iterando recte haec intelligit Ambroſius in II. de Poenit. cap. 2. & alii poſt Ambroſium. Locutio ipſa *renovari ad poenitentiam* eſt pulcra baptiſmatis περίφρασις. Baptiſmus enim *Renovatio* dicitur, & quidem *Renovatio* (εἰς μετάνοιαν) *in poenitentiam*. Quo loco εἰς eſt loco τῷ ἐν: haec autem particula reſpondet Hebraico praefixo ב *Be*, quod ſaepe idem valet ac διὰ *Per*, μετὰ *cum*. Itaque non incommode heic verti poſſit *Renovari* ſive *Baptizari per poenitentiam*, aut *cum poenitentia*. Quod Εἰς eam vim habeat, docent loca quaedam ex N. T. Jam vero ne poenitentiae quidem labores a baptiſmo alienos fuiſſe, docent exempla, quae paſſim in Comm. ad Kal. marmor. Neap. attulimus tum ad Acta SS. Jo: & Pauli, tum alibi. Poſtremo quia Chriſtianos in Chriſti mortem baptizari ſaepe monet Apoſtolus, idcirco addit *Rurſus crucifigentes in ſibimetipſis filium Dei &c.*

AD HEBR. VII. 3.

Sine patre, ſine matre, ſine genealogia] Gr. ἀπάτωρ, ἀμήτωρ, ἀγενεαλόγητος. Cujus nempe genealogiam ſcriptura non pertexuit. Vt feſtum Athenis fuit Απατούρια dictum, quaſi Απατόρια, ex eo, quia per id tempus liberi in civium numerum referrentur, quaſi ſi ante eum diem ἀπάτορες civili aeſtimatione haberentur.

AD HEBR. VII. 22.

Sponſor factus eſt Jeſus.] Gr. ἔγγυος. Porro ἀλληλέγγυοι lex Baſilii imp. fuit, qua opulenti jubebantur ſolvere inopum penſiones: de qua lege vide Cedrenum pag. 706. 723. 479.

AD HEBR. IX. 18.

Vnde nec primum quidem ſine ſanguine dedicatum eſt] Gr. ἐγκεκαίνοσται. Errant qui *dedicatum* aut *conſecratum*, *ſanctum*, aut *roboratum* interpretantur, aut aliter omnino quam *initiatum*, vulgo *encaeniatum*. Vel vide quae nos copioſe diatr. de Dedicationibus. Idem hic ſcriptor infra X. 20. ἐνεκαίνισεν ὁδὸν de Chriſto dixit, ubi Latinus *initiavit* h. e. *primus ingreſſus eſt*; ſive quod idem eſt *dedicavit*.

AD HEB. IX. 28.

Ad multorum exhaurienda peccata] Certum eſt heic ἀναφέρω idem eſſe quod ἀποφέρω (quam notionem apud profanos fruſtra reperias) quod & 1. Pet. II. 24. reperitur, & in Graeca Iſaiae verſione LIII. 11. 12. Vide dicta tum locis citatis, tum potiſſimum ad Matt. VIII. 17.

Digitized by Google

AD HEBR. XI. 1.

Eſt autem fides ſperandarum ſubſtantia rerum, argumentum non apparentium] Eoque fides a ſcientia differt, vel ethnico judice Simplicio Commentario in Epicteti Enchiridion (pag. 257. edit. Graecol. Heinſianae : vide locum) ubi de oraculis diſputans, oraculum fidem facere, non ſcientiam, tradit.

AD HEBR. XIII. 3.

Et laborantium, tanquam & ipſi . . . . .] Gr. τῶν κακουχουμένων. S. Cyprianus epiſt. 36. *circa laborantes* curam praecipit, eadem, qua heic, notione uſurpato vocabulo.

SPICILEGIVM

OBSERVATIONVM LITTERALIVM

IN CETERAS EPISTOLAS CANONICAS ET APOCALYPSIN.

JACOBI.

AD. JAC. I. 8.

VIR duplex animo inconſtans eſt in omnibus viis ſuis] Illud *duplex animo* Gr. eſt δίψυχος, quod non illam verſipellem animi duplicitatem notat, ſed ancipitem animo ſignificat, qui proxime διακρινόμενος appellatur, qui animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc; quales Athenaeo lib. 1. ſunt Corcyraei οἱ δίχα θυμὸν ἔχοντες. Ex δίψυχος eſt διψυχέω verbum Barnabae uſurpatum epiſtolae par. 2. cap. 1. ὁ μὴ διψυχήσῃς, πότερον ἔσται, ἢ ὁ. Vetus interpres: *Ne haeſita, utrum futurum ſit, an non.* Inde illa inconſtantia, quam in talibus taxat Jacobus. Idem Barnabas poſt nonnulla ait: οὐκ ἔσῃ δίγνωμος. Verſio vetus: *Non eris inconſtans animo*: δίγνωμος Suidae eſt ὁ ἐπαμφοτερίζων τῇ γνώμῃ, cui nondum ſtat ſententia. In Conſtitutionibus Apoſt. cap. XII. leguntur haec, quae quia tum Jacobi, tum Barnabae locum illuſtrant, non gravabor adſcribere. Μὴ γίνου δίψυχος ἐν προσευχῇ σου (nam & de oratione agit Jacobus) εἰ ἔσται, ἢ οὐ· λέγει γὰρ ὁ Κύριος ἐμοὶ Πέτρῳ ἐπὶ τῆς θαλάσσης, ὀλιγόπιστε εἰς τί ἐδίστασας. *Ne fluctues animo in precatione tua, utrum voti compos futurus ſis, nec ne: dicit enim Dominus mihi Petro in mari, modicae fidei quare dubitaſti.*

AD JAC. I. 20.

Ira enim viri, juſtitiam Dei non operatur] Vel ubi quis juſte iraſcitur; ipſa tamen

tamen irae perturbatio mala est, nisi forte quam ad severitatem praeferendam οἱ ἄρχοντες, mente interim serenata, ipsi in sese excitare videntur. Est & alius hujus loci intellectus; nempe judicem verbi caussa, etiam cum juste punit, tamen ab irae perturbatione abesse oportere, alioqui esse pertimescendum, ne justitiae fines transiliat. Proculus lib. de decem dubitationibus circa providentiam (cujus libri excerpta nobis attulit Frabicius vol. VIII. bibl. Gr.) dubitatione VIII. Non bonus, inquit, poenarum dispensator ira praeceps. Quod & exemplis confirmat. Plato servum verberaturus, flagellum aliquandiu sublime tenens, caussamque interrogatus, respondit punire se sui ipsius *praeimpetuantem* (uti vetus habet versio) iram. Archytas ad servos, qui in agro jussa non fecerant, poenamque exspectabant, bene valete, ait, quia irascor. Theano ad servam: Si non essem, inquit, irata, utique te verberarem.

AD JAC. II. 1.

Fratres mei, nolite in personarum acceptione habere &c.] Livius III. 36. de Decemvirorum injusto dominatu praeter caetera hoc affert: *Abstinebatur Patribus, in humiliores libidinose crudeliterque consulebatur: hominum non caussarum tuti erant; ut apud quos gratia vim aequi haberet.*

AD JAC. II. 7.

Nonne ipsi blasphemant bonum nomen] Imitatur illud Lev. XXIV. 11. *Cumque blasphemasset nomen, & male dixisset ei*; vide ibi dicta.

AD JAC. III. 6.

Lingua ignis est, universitas iniquitatis.] His quae toto hoc capite de lingua Jacobus elegantissime disserit, addam breve hoc Barnabae praeceptum epistolae par. 2. cap. 1. ἐκ ἔσῃ πρόγλωσσος· παγὶς γὰρ στόμα θανάτου. Vetus interpres: *Ne sis praeceps in lingua: os enim laqueus est mortis.* Προγλωσσὶς significat linguae extremam partem acutam. Hinc πρόγλωσσος eleganter Barnabae significat virum linguae praecipitis & effrenatae.

AD JAC. V. 5.

Epulati estis super terram, & in luxuriis enutristis corda vestra] Illud *In luxuriis* respondet Graeco verbo ἐσπαταλήσατε. Nam Graece sic legitur: Ἐτρυφήσατε ἐπὶ τῆς γῆς, καὶ ἐσπαταλήσατε· ἐθρέψατε τὰς καρδίας ὑμῶν &c. Tametsi σπαταλάω non quodcunque genus deliciarum aut luxuriarum significat, sed ciborum lautitias: quare illud *Epulati estis* rectius ad ἐσπαταλήσατε referri possit. Σπατάλη Suidae est τροφὴ, sive, ut alii legunt τρυφὴ: Et ex exemplo quod affert, planum est epulas significari. Epigr. lib. 2. *In gulosos* σπατάλη & κατασπαταλᾶν usurpatur. Synonyma sunt ex H. St. σπαταλῶ & ὀψοφαγῶ. Postremo in epistola Barnabae cap. VIII. non alia, quam dixi, significatione ponitur: οἵτινες ὅμοιοι εἰσι χοίροις· ὅταν γὰρ σπαταλῶσιν, ἐπιλανθάνονται τὸν Κύριον ἑαυτῶν, ὅταν δὲ ὑστερηθῶσιν, ἐπιγινώσκουσι τὸν Κύριον· καὶ ὁ χοῖρος ὅταν τρώγῃ, οὐκ οἶδε τὸν κύριον, ὅταν δὲ πεινάσῃ, κραυγάζει, καὶ λαβὼν πάλιν σιωπᾷ. Ergo videtur Interpres trajecisse vocabula, ita ut τῷ *Epulati estis* respondeat ἐσπαταλήσατε, *In luxuriis* vero ad ἐτρυφήσατε referatur.

PE-

PETRI.

AD I. PETRI I. 13.

Propter quod ſuccincti lumbos mentis veſtrae] H. e. *Semicinctio ſuccincti*; hoc enim praecingi operae ſolent. De *Semicinctio* alibi dixiſſe memini. Hoc in Italia vulgo dicimus *Anteſino*.

Sobrii perfecte ſperate in eam, quae offertur vobis, gratiam] Gr. Νήφοντες τελείως ἐλπίσατε &c. Sed equidem ὑποτίγμην non ante, ſed poſt τελείως, adhibuerim. Ac *Perfecte ſobrii* ita hic dicuntur, ut apud ex-Joſippum (vulgo vocant *Hegeſippum*) lib. 1. ex 1. Hieroſ. de Hyrcano *Pulchre ſobrius*. Ceterum quid in his & ſimilibus locutionibus ſit νήφων & latine *ſobrius*, vide quae notavit Valeſius ad Ammiani XV. 4.

AD I. PET. I. 17.

Incolatus veſtri tempore] Gr. παροικία tum hîc tum Pſ. 119. 5. eſt temporaria habitatio, qualis eſt peregrinorum. Hinc Luc. XXIV. 18. παροικεῖ ἐν Ιερουσαλὴμ eſt *peregrinari in Jeruſalem*. Noſter tum heic tum in citato Pſalmo, *incolatum* vertit, non male: nam id quoque *incolatus* ſignificat in vetere inſcriptione ex Hadriani aetate apud Reineſium VII. 32. *Omnia civitatum commercia, omnia per oppida incolatum evitant*. Vtitur ea voce & altera inſcriptio apud Gruterum 432. 7. & Modeſtinus, de quo vocabulo Cellarius curis poſter.

AD I. PET. II. 2.

Sicut modo geniti infantes &c.] Notum eſt ex Joh. III. 3. 10. quem effectum Judaei proſelytorum baptiſmo tribuebant, eundem potiore jure baptiſmo a ſe inſtituto vindicaſſe Chriſtum, ut per illud lavacrum renati veluti repueraſcerent. Eo alludit epiſtola Barnabae cap. V. Ἐπεὶ οὖν ἀναkαινίσας ἡμᾶς ἐν τῇ ἀφέσει τῶν ἁμαρτιῶν, ἐποίησεν ἡμᾶς ἄλλον τύπον, ὡς παιδίον, ἔχειν τὴν ψυχὴν, ὡς ἂν καὶ ἀναπλασσόμενος αὐτὸς ἡμᾶς. *Renovatos nos*, Auctor ille ait, *per remiſſionem peccatorum* (id etiam nomen baptiſmo fuit) *tanquam repueraſcere, animaſque alio charactere inſignitas habere, tanquam ſi per baptiſmum a Deo refingamur*. Praeſtabit &, quae deinceps adnectit, cognoſcere. Nam idcirco introduci nos ait in terram lacte & melle manantem; nimirum quia pueri melle primum, mox & lacte paſcendi ſunt. Is enim mos veterum fuit ex medicorum praeſcripto (quorum verba apud Iſ. Voſſium in eum Barnabae locum reperies) recens natos melle aliquandiu, mox lacte paſcere. Hinc notiſſimus primaevae Eccleſiae ritus, ut recens baptizatis, tanquam infantibus, mel & lac propinarent.

Jam vero quid ſibi vult lac λογικὸν? Omnino τὸ τῦ λόγυ γάλα intelligit h. e. doctrinae lac. Sic Euſebius III. de vita Conſt. 51. Conſtantini epiſtolam complecti ait λογικωτέραν διδασκαλίαν, quod ſoleret Imperator in epiſtolis ſuis conciones doctrinae Evangelicae plenas contexere.

AD I. PET. II. 5.

Domus ſpiritualis] Non tantum Hebraeis בית *baith*, ſed & apud Graecos οἶκος templum non raro ſignificat; eaque eſt hujus loci notio.

Sa-

Digitized by Google

Sacerdotium ſanctum] Graece eſt ἱεράτευμα, quod proprie τὴν περὶ τὸν Θεὸν ἐπιμέλειαν ex Ariſtotele ſignificat. Abſtractum pro concreto, ut & infra ℣. 9. locutione nimirum LXXvirali, quae Ex. XIX. 6. reperitur, ubi ἱεράτευμα reſpondet Hebraico כהנים *cohanim* h. e. *Sacerdotes*. Simili loco Apoc. I. 6. abutitur Tertullianus, ut laicos nihilo minus Sacerdotes faciat. Vide ibi dicta. Omnino apud veteres Chriſtianos latius patebat Sacerdotii notio, quam nunc fit, quando eo jam devenimus, ut ſolos Presbyteros Sacerdotii nomine contineamus. At olim & Epiſcopi & presbyteri & diaconi praecipui tres erant Sacerdotii gradus. Hinc de diaconis Cyprianus epiſt. 14. ait: *Presbyteris & Diaconibus non defuit ſacerdotii vigor*. Diaconos Optatus in tertio ſacerdotio conſtitutos ait. Ac ne ceteri quidem Clerici hujus vocabuli ambitu excluſi videntur; quando nunc quoque quaecunque beneficia ſive presbyteralia ſive minorum Clericorum, *Sacerdotia* appellantur.

At Petrus longius progreſſus, Chriſtianos univerſos ejus notione vocabuli complectitur: Merito. Nam & apud ethnicos ἱερωσύνη non erat ſacrificorum peculiaris, ſed quibuscumque νεωκόροις, cultoribus, quibuſcunque Dei alicujus cultui deditis, communis erat: quod prorſum eſſet ex inſcriptionibus & auctoribus demonſtrare. Itaque gentilium ἱερέων comparatione Chriſtiani omnes appellari Sacerdotes jure poterant. Nam ſi Epheſus univerſa Dianae νεώκορος erat Act. XIX. 35. Si urbes innumerae IEPAI in nummis & lapidibus ob cultum alicujus Dei inſcribuntur: quo pacto non Chriſtianorum genus univerſum Sacerdotii jure gloriabitur?

AD I. PET. II. 9.

Vt virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit in admirabile lumen ſuum.] Gr. ὅπως τὰς ἀρετὰς ἐξαγγείλητε &c. Plurale ἀρεταὶ eadem notione heic uſurpatur, qua in Graeco Iſaiae XLII. 8. XLIII. 21. LXIII. 7. Praeſertim Iſ. XLII. 12. ubi cum ἀπαγγέλλω jungitur. Etſi vero citatis Iſaiae locis Hebraice eſt תהלה *theillah*; & ipſum *thehillah* (ut & הוד *hod* alibi ſaepe) non *laudem*, ſed laudum τὸ ὑποκείμενον ibi ſignificat. Vt uno verbo dicam ἀρεταὶ tum heic tum & apud Iſaiam, ſunt αἱ θεῖαι δυνάμεις. Didici hoc tum ex Heſychio, egregio illo biblicarum vocum interprete, in cujus lexico legitur: Ἀρετὴ, θεία δύναμις: tum potiſſimum ex celebri Graeca tabella, quam olim in templo Aeſculapii ſtetiſſe volunt, apud Gruterum LXXI. 1. Ejus tabellae epigraphen ab aliquo ſive Judaeo ſive Chriſtiano, poſtea παραβάτῃ, concinnatam fuiſſe quivis mecum ſtatim clamabit, qui vel primam ejus periocham legerit, quae talis eſt. Ταύταις ταῖς ἡμέραις Γαΐῳ τινὶ τυφλῷ ἐχρημάτισεν ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ ἱερὸν βῆμα καὶ προσκυνῆσαι· EICA (reſcribe EITA) ἀπὸ τῆς δεξιᾶς ἐλθεῖν ἐπὶ τὸ ἀριστερὸν· καὶ θεῖναι τὰς πέντε δακτύλους ἐπάνω τοῦ βήματος καὶ ἆραι τὴν χεῖρα καὶ ἐπιθεῖναι ἐπὶ τοὺς ἰδίους ὀφθαλμούς, καὶ ὀρθὸν ἀνέβλεψε, τοῦ δήμου παρεστῶτος καὶ συνχαιρμένου, ὅτι ZOCAI (corrig. ΤΟΣΑΙ) ΑΡΕΤΑΙ ἐγένοντο ἐπὶ τοῦ σεβαστοῦ ἡμῶν Αντωνείνου. *Hiſce diebus Cajo cuidam oraculum edidit: veniret ad ſacrum altare, & adoraret: deinde a dextra ad laevam partem veniret, & ſuos quinque digitos altari imponeret: levaretque manum, eamque ſuis oculis admoveret. Et recte vidit, adſtante populo, & gratulante, quod tantae VIRTVTES* (i. e. miracula) *fierent ſub Aug. noſtro Antonino.* Reliquarum curationum narrationes aeque hebraiſmis ſcatent.

AD

AD I. PET. II. 13.

Subjecti igitur estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi &c.] Gr. Κτίσιν heic eadem ratione rectores Petrus appellat, qua Siracides κτίζειν pro *constituo* saepe usurpavit, interprete Caesarienſi Eusebio apud Socratem II. hist. eccl. 21. Τῷ ἔκτισεν ἐνταῦθα (h. e. in eo Siracidis loco Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ) ἀντὶ τοῦ κατέταξεν ἢ κατέστησεν εἰρημένῳ· διαῤῥήδην δὲ τοὺς ἐν ἀνθρώποις ἄρχοντας καὶ ἡγεμόνας, κτίσιν ὠνόμασεν ὁ εἰπὼν ἀπόστολος· Ὑποτάγητε δὴ πάσῃ ἀνθρωπίνῃ κτίσει διὰ τὸν Κύριον, εἴτε βασιλεῖ ὡς ὑπερέχοντι, εἴτε ἡγεμόσιν, ὡς δι' αὐτοῦ πεμπομένοις. *Adeo ut verbum hoc* ἔκτισεν *positum sit hoc loco pro constituit. Certe Apostolus Petrus principes & rectores qui hominibus praesunt, diserte creaturam appellat his verbis: subjecti estote omni humanae creaturae propter Deum, sive regi &c.*

AD I. PET. II. 18.

Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis, sed etiam dyscolis] Hoc ipsum Petri epistolae comma sic, ut in Graecis exemplaribus legitur, inscriptum reperitur in basi ahenei fortunae simulacri apud Carolum Caesarem Malvasiam in marmoribus Felsineis pag. 48. in hunc modum,

ΟΙ ΟΙΚΕΤΑΙ ΥΠΟΤΑΣΣΟΜΕΝΟΙ ΕΝ ΠΑΝΤΙ ΦΟΒΩ
ΤΟΙΣ ΔΕΣΠΟΤΑΙΣ ΟΥ ΜΟΝΟΝ ΤΟΙΣ
ΑΓΑΘΟΙΣ ΚΑΙ ΕΠΙΕΙΚΕΣΙΝ ΑΛΛΑ
ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΚΟΛΙΟΙΣ

Ac nihil prorsus de ea inscriptione admonet Malvasia. Itaque ne quis sibi illudi patiatur, sciat eam inscriptionem recens insculptam fuisse tum, cum veteri simulacro recentem basim suppoſuerunt. Certe in characteribus nullum antiquitatis vestigium. Scimus sub Romanis Imperatoribus sigma lunatum fuisse ad formam Latini C, non ad Scythici arcus, ut olim effingebatur in hunc modum Σ. Nec minus inepta ac nova est altera inscriptio, quae priori Fortunae signo pag. 47. subscribitur: ΒΟΥΠΑΛΟΣ ΣΜΙΡΝΑΙΟΙΣ· ΑΓΑΛΜΑ ΕΡΓΑΖΟΜΕΝΟΣ ΤΥΧΗΣ ΠΡΩΤΟΝ ΕΠΟΙΗΣΕΝ. Vbi ΠΡΩΤΟΝ *prius Fortunae signum* inscribitur, quia alterum mox detectum fuit. Nugae.

Si de operis hujus apud Malvasiam antiquitate constet; videtur ad Alexandri Severi tempora referendum, de quo narrat Lampridius cap. 51. Christianum illud praeceptum sumptum ex Matt. VII. 12. & ex Lucae cap. VI. QVOD TIBI FIERI NON VIS, ALTERI NE FECERIS, adeo dilexisse, *ut & in palatio, & in publicis operibus praescribi juberet.*

AD I. PET. II. 24.

Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum] Gr. ἀνήνεγκεν h. e. *abstulit* ut eadem notione ad Heb. IX. 28. (vide ibi dicta & ad Mat. VIII. 17.) abstulit autem in se recipiendo.

AD I. PET. III. 19. 20.

His qui in carcere erant, spiritibus praedicavit. Qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, quum fabricaretur arca.] De Noachi concionibus, quibus illi increduli fuerunt, mentio est apud Tert. lib. de cultu feminar. cap. 3. ubi *Noë in praedicationis delegatione successisse Henocho*

Digitized by Google

nocho tradit. Nec id porro ethnicis latuisse video. Suidas in *Nannacus* (qui sane cum Anaco Stephani male confunditur, quum diversa de iis traduntur: & fort. Anacus Stephani est Henochus Mosaicus, at Nannacum Suidae esse Noachum pro certo habeo) Νάνναχος παλαιὸς ἀνὴρ πρὸ τῦ Δευκαλίωνος . . . ὃς προειδὼς τὸν μέλλοντα κατακλυσμὸν, συναγαγὼν πάντας εἰς τὸ ἱερὸν, μετὰ δακρύων ἱκέτευσε· καὶ παροιμία, ἀπὸ Νανάκυ· ἐπὶ τῶν σφοδρὰ παλαιῶν. *Nannacus vir priscus ante Deucalionem . . . qui futurum diluvium praescius, omnibus in templum congregatis, cum lacrymis supplicavit. Et proverbium, a Nannaco: de rebus oppido vetustis.*

AD I. PET. IV. 12. 13. 14.

Charissimi, nolite peregrinari in fervore &c.] Hinc usque ad ℣. 14. haud paullo aliter afferuntur a Cypriano epist. 56. sed ita ut in nonnullis Graeco textui convenientiora sint Cyprianica, quae sunt talia: *Carissimi nolite mirari ardorem accidentem vobis, qui ad tentationem vestram fit; nec excidatis, tanquam novum aliquid vobis contingat; sed quotiescunque communicatis Christi passionibus, per omnia gaudete, ut & in revelatione facta claritatis ejus gaudentes exultetis. Si improperatur vobis in nomine Christi, beati estis, quia majestatis & virtutis Domini nomen in vobis requiescit, quod quidem secundum illos blasphematur, secundum nos autem honoratur.*

Nolite peregrinari] Gr. Μὴ ξενίζεσθε, quod & *peregrinari* & *mirari* significat; ac merito apud Cyprianum *nolite mirari*, ut & apud Nostrum supra ℣. 4. ad quem locum vide, quae viri docti enotarunt.

AD I. PET. IV. 15.

Nemo autem vestrum patiatur ut homicida, aut fur, aut maledicus, aut alienorum appetitor. Si autem ut Christianus, non erubescat; glorificet autem Deum in isto nomine] Idem reipsa accidisse, testatur Tertull. Apologetici cap. 44. ubi Christianos nec ut sicarios, nec sacrilegos, nec praedones accusari objecisset, addit: *De vestris semper aestuat carcer: de vestris semper metalla suspirant: de vestris semper bestiae saginantur: de vestris semper munerarii noxiorum greges pascunt. Nemo illic Christianus, nisi hoc tantum* (quod Christianus est, eoque tantum nomine plectitur) *aut si aliud, jam non Christianus*; Quippe qui ab Religione defeciisse reperietur: qui Arriano παραβαπτιςὴς vocatur.

AD I. PET. V. 3.

Neque ut dominantes in cleris, sed forma facti gregis] *Cleri* vox nondum propria ministrorum Ecclesiae evaserat, Petro ista scribente, sed communis omnibus fidelibus erat. Nec mirum, quando fideles laicos idem Petrus a *sacerdotii* appellatione non excludit supra II. 5. sicuti nec in Apoc. Johannes. Non ergo assentior Oecumenio notanti in hunc locum: Κλῆρον τὸ ἱερὸν σύςημα καλεῖ, ὥσπερ καὶ νῦν ἡμεῖς. Vox πόιμνιον quae mox sequitur, satis declarat, totam Ecclesiam a Petro intelligi, κλῆρος dictam, quod sit hereditas, κληρονομία, Domini. De altero *Cleri* significatu, unde *Clerici* nomen adepti sunt, vide dicta Act. 1. in electione Matthiae.

AD I. PET. V. 13.

Salutat vos Ecclesia, quae est in Babylone] Usque adeo in id veteres omnes

convenerant, ut Babylonem hanc Romam intelligendam esse crederent, ut in quibusdam agrariis fragmentis utrunque nomen una conjunctum inveniatur; ut in iis fragmentis, quae Fausto & Valerio VV. PP. inscribuntur pag. 307. edit. Goes. sic legitur: *Circa urbem Babylonis Romae maritimum fiet & Gallicum* &c. Itemque in eorundem ἀποσπασματίοις pag. 265. *Contra urbis Babylonis Romam* (rescribe *urbem Babylonem Romam* eodem casu, aut *Babylonis Romae*) *maritimi limites fient, & Gallicus impinget* &c. Quanquam in agrariis istis posterioris aevi laciniis nihil nisi meras ambages, quas frustra coneris interpretari, invenias: tamen videntur mihi *Babylonem Romam* dixisse, ut hanc a nova Roma, quae fuit Constantinopolis, discernerent. Quid ni enim ista Graeculum auctorem habeant, qui post conflatum a Graecis schisma, contemptim ita scripserit?

AD II. PET. I. 14.

Velox est depositio tabernaculi mei] Corpus eleganter σκήνωμα appellat heic & ν. praecedente. Non id novum. Aëtius lib. XVI. Τὸν σμυρνισμὸν οἱ Αἰγύπτιοι ἐπὶ τῶν νεκρῶν σωμάτων ποιοῦσι, θέλοντες τὰ σκηνώματα αὐτῶν φυλαχθῆναι, διὰ τὸ μὴ ἐν τάφοις αὐτὰ καλύπτειν, ἀλλ' ἐν γλωσσοκόμοις. Vide dicta ad 2. Cor. V. 1. ubi pari metaphora de dissolutione σκήνους *tabernaculi* h. e. corporis, loquitur Apostolus. Eusebius lib. de martyribus Palaest. cap. XI. de Juliano martyre narrans: ὡς ἐπὶ γῆς χαμαὶ τὰ τῶν ἁγίων εἶδε σκηνώματα. *Cumque Sanctorum cadavera humi jacentia vidisset.*

AD II. PET. II. 19.

A quo enim quis superatus est, hujus & servus est] Gr. ᾧ γάρ τις ἥττηται, τούτῳ καὶ δεδούλωται. Ratio affertur praecedentis ῥήσεως, & ejus quod Joh. VIII. 34. dicitur: *qui facit peccatum, servus est peccati*. Ex gentium jure manavit, ut bello justo capti justam servitutem serviant apud victorem; unde & *servos* a servando nomen inveniisse apud Latinos tradunt, nam ut servirent, servabantur, neque occidebantur: sed & δμῶες Graecis παρὰ τὸ δαμᾶσθαι a *domando*.

AD II. PET. III. 6. 7.

Ille tunc mundus aqua inundatus periit. Caeli autem qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt, igni reservati in diem judicii &c.] Julius Maternus Firmicus III. Mathes. I. mundi ἀποκατάστασιν per καταχλυσμὸν unam, per ἐκπύρωσιν alteram, Aegyptios agnovisse testatur. Quisquis Trismegistus ille auctor Asclepii fuerit, Aegyptius quidem certe fuit, eoque in opere multa de orbis purgationibus disputat, quae Lactantius & Augustinus in Christianam sententiam trahunt. Mundi finis διὰ ἐκπυρώσεως antiquis philosophis, ut alii demonstrarunt, non ignotus, gliscente tamen Christianismo (credo propter Petri prophetiam) radices majores in gentilium mentibus egit; quod testatur Capitolini in M. Antonino cap. 13. narratio de plano quodam, qui *de caprifici arbore in campo Martio concionabundus, ignem de caelo lapsurum, finemque mundi adfore diceret, si ipse lapsus ex arbore in ficoniam converteretur*; & quae ibidem sequuntur.

AD

AD II. PET. III. 13.

Novos vero caelos & novam terram &c.] Deridet hoc Simplicius Ariſtotelicae mundi ἀϊδιότητος acerrimus propugnator comm. in libros de caelo. Huc enim alludit pag. 71. ἐκ τύτυ κόσμυ γένοιτ' ἂν ἄλλος ὁ καλύμενος σφαῖρος, ἢ ὡς οἱ νῦν (h. e. Chriſtiani) Φασι, ΝΕΟΣ. Idem eod. comm. pag. 69. dixerat: ὐδεὶς τῶν παλαιῶν λέγεται τὴν φθορὰν τῦ κόσμυ τοιαύτην εἰπεῖν, ὁποίαν οἱ νῦν Φασιν, ὡς Φθαρέντα μηκέτι αὖθις ἐπανήκειν.

JOHANNIS.

AD I. JOH. II. 1.

Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum] In Gloſſis παράκλητος eſt *advocatus*. At Afri in profeſs. fidei apud Victorem Vitenſem III. 20. retinuerunt vocem *Paraclitum*.

Advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum juſtum] Gr. δίκαιον. Docui ad Matt. I. 19. δίκαιον his libris idem nonnunquam valere, quod *miſericordem*. Nec dubito, quin ea ſit hujus loci ſententia. Apud Cyprianum epiſt. (52.) ad Antonianum pro vulgata lectione *juſtum*, Baluzius edidit *ſuffragatorem*, ita ſe reperiſſe teſtatus in quinque veteribus libris, ſicut & Pamelianus codex, & Bodlejanus Anglorum praeſeferebant. *Filioli mei, iſta ſcribo vobis ne delinquatis; & ſi quis deliquerit, advocatum habemus apud Patrem Jeſum Chriſtum SVFFRAGATOREM* (Apoſtoli mens exponi ſignificantius non poterat) *& ipſe eſt deprecatio* (Noſter *propitiatio*, Gr. ἱλασμός) *pro delictis noſtris*.

AD I. JOH. II. 2.

Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantum, ſed & pro totius mundi] Multi veterum καθαρμοὺς ſcripſeruht tum carmine tum proſa. In iis καθαρμοὺς δι' ἐπῶν ſcripſerat Epimenides is, qui Cylonio piaculo luſtratis Athenis, inde peſtilentiam averruncavit. Mitto alios ſane plurimos. Sic autem gentilium καθαρταῖς, quo tempore ſcribebat Johannes, perſuaſum video, quorumdam graviorum criminum non dari καθαρμὸν. Hinc illam de Conſtantino fabulam evulgaverunt gentiles, quam Sozomenus I. 7. refellit, hunc Imperatorem Criſpi aliorumque propinquorum caede pollutum, de expiatione ſcelerum illorum conſuluiſſe Sopatrum philoſophum, a quo abſtuliſſe reſponſum, nullam eſſe hujuſmodi ſcelerum expiationem (μηδένα καθαρμὸν εἶναι τῶν τοιύτων ἁμαρτημάτων) qua repulſa commotum imp. incidiſſe in Epiſcopos, poenitentia & lavacro baptiſmi ipſum ab omni ſcelere a ſe purgatum iri pollicentes, (vide interim annon ex hac fabula, quam Sozomenus refellit, narratio illa de Conſtantino per baptiſmi lavacrum a lepra per S. Silveſtrum mundato fluxerit) eaque cauſſa adductum, ut Chriſtianam Religionem amplecteretur. Ex quo loco perſpicitur, quorundam tantum ſcelerum καθαρμοὺς apud gentiles fuiſſe; eoque fort. reſpexiſſe Johannem, cum ait, Chriſtum ἱλασμὸν eſſe non pro noſtris tantum, ſed etiam totius mundi piaculis.

Sed his omiſſis externis: illud verius, ad Judaicos ἱλασμοὺς ſpectaſſe hoc Johannem. Nam hircus ἀποπομπαῖος & quotquot id genus placamina Judaei

Digitized by Google

uſurpabant, nonniſi ad Judaeos expiandos erant comparata: at vero Chriſtus expiatio eſt pro peccatis non noſtris tantum, ſed & totius mundi.

AD I. AD JOH. II. 16.

Et ſuperbia vitae] Interpretari malim: *ſuperbia* ſive *ambitio ſaeculi*. Nec aliter veteris Italae auctor vertiſſe videtur, quippe cum in orationibus ad petendam humilitatem legatur: *Concupiſcentiam carnis, concupiſcentiam oculorum, atque ambitionem ſaeculi auferat*: quo ſane indicio de harum orationum antiquitate conſtare judico. Omnino autem βίος apud Scriptores Eccleſiaſticos *ſaeculum* ſignificat, ut βιῶν ſaecularem vitam degere; in quo quidem Eccleſiaſtici auctores hunc Johannis locum imitati mihi quidem videntur. Ac praeter exempla hujus, quam dixi, ſignificationis ex Scriptoribus Chriſtianis a Petavio cap. V. Miſcell. exerc. quas ad calcem Juliani edidit, & a Valeſio ad Euſeb. VII. hiſt. 3. collecta (etſi Valeſio non aſſentior, qui eadem ſignificatione interpretatur quod Euſebius VI. 3. de Plutarcho M. ait: ὃς μετὰ τὸ βιῶναι καλῶς, καὶ μαρτυρίῳ θείῳ κατεκοσμήθη: quid hîc neceſſe exponere, *poſtquam in SAECVLO honeſtiſſime vixiſſet*?) ſed praeter exempla a viris illis magnis producta, Euſebius in VIII. hiſt. 1. ὁ διὰ Χριστῦ τῷ βίῳ κατηγγελμένος . . . εὐσεβείας λόγος. *Pietatis doctrina per Chriſtum huic ſaeculo annuntiata*. Item lib. de Martyribus Palaeſt. cap. 4. τῆς νενομισμένης τῦ βίυ δόξης. Extat inter ἀσκητικὰ Baſilii M. Παραίνεσις περὶ ἀποταγῆς βίυ καὶ τελειώσεως πνευματικῆς. *Adhortatio de abdicando ſaeculo ac de perfectione ſpirituali*.

AD I. JOH. III. 17.

Et clauſerit viſcera ſua ab eo] Gr. τὰ σπλάγχνα idem quod *benignitas*, ut alibi diximus; id aliter Graeci εὐσπλαγχνίαν appellant. *Claudendi* autem verbum proprium in hac re. Ter. Eun. I. ſc. 2.

Nunc ubi meam
Benignitatem ſenſiſti in te claudier?

AD I. JOH. V. 6. 8.

Hic eſt, qui venit per aquam & ſanguinem, &c.] Refert haec ad duplicem baptiſmum aquae & ſanguinis Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 16. quem vide. Ac praeſtabit hîc Tertullianum ſequi ducem: qui ſenſus ab eo traditus, optime etiam cum ℣. 8. cohaeret. Videtur ergo hic aſſignari diſcrimen inter Johannis Baptiſtae οἰκονομίαν & Chriſti: ille venit aqua loturus, Chriſtus autem non aquae ſolum, ſed & ſanguinis, ad haec autem & Spiritus baptiſma tradidit.

Et Spiritus eſt qui teſtificatur &c.] Gr. τὸ μαρτυρῦν h. e. τὸ πληροφορῦν. Saepe apud Scriptores noſtros μαρτυρεῖν pro πληροφορεῖν h. e. *certos reddere* accipitur. Explicandus hic locus ex Rom. VIII. 16. *Ipſe enim Spiritus teſtimonium reddit* (graece συμμαρτυρεῖ h. e. πληροφορεῖ) *Spiritui noſtro quod ſumus filii Dei*. Ergo & hîc quoque ſubaudiendum *Spiritui noſtro* &c. Nam quod ſequitur: *Quoniam* (ὅτι) *Spiritus eſt veritas*, αἰτιολογικῶς adjectum, ut oſtendatur Spiritus teſtis eſſe locupletiſſimus.

℣. 8. *Et tres ſunt qui teſtimonium dant in terra, Spiritus, aqua, & ſanguis, & hi tres unum ſunt*] Tria ſunt in terris τὰ μαρτυρῦντα h. e. πληροφορῦντα, quae

quae nos ſalutis prope certos efficiunt, ſunt vero tria baptiſmata, quae his vocibus afferri ſolent, *flaminis*, *fluminis*, & *ſanguinis*, quorum unum quodlibet ad ſalutem conſequendam ſatis eſt; nam revera non tria ſunt, ſed unum baptiſma, ut heic ſtatim ſubjungitur: & ad Epheſ. IV. 5. *Vnus Dominus*, *una fides*, *unum baptiſma*.

AD II. JOH. ℣. 1.

Senior Electae Dominae] Ἐκλεκτὴ iſta (nam κύριον ὄνομα videtur, quod in ſcriptis marmoribus non raro occurrit) Syra domo fuiſſe videtur, unde & Κυρίας illi quaſi cognomen adhaeſit, ut *Juliae Domnae* Severi Aug. uxori, quae & Syra fuit, ut ab aliis allata exempla taceamus.

AD III. JOH. ℣. 5.

Chariſſime, fideliter facis quidquid operaris in fratres & hoc in peregrinos] Dixi ad Matt. XXVI. 10. Marci XIV. 6. & ad Gal. VI. 10. ἐργάζεσθαι in aliquem, his libris ad largitiones & eleemoſynam pertinere. Vnde hujus notionis uſus Helleniſticam linguam invaſerit, haud facile dixerim. Videtur ſane paullo antiquior notio, ex eo quod Eccleſiaſtici LI. 8. cum miſericordia ἐργασία, tanquam συνωνύμως, jungitur. Καὶ ἐμνήσθην τῶν ἐλέους σου Κύριε, καὶ τῆς ἐργασίας σου τῆς ἀπ' αἰῶνος &c. An inde ea ſignificatio manavit, quod in Targum Eccle. V. 9. 18. VII. 13. IX. 10. Eſth. IX. 22. יעביד צדקתא *jabbid tſedakta* h. e. *operabitur juſtitiam* tantundem valet, quod *eleemoſynam facit?* Nam apud Chaldaeos, Syros, Arabas, ut & Hebraeos, *juſtitia* pro *eleemoſyna* dicitur. Hinc puto factum, ut & עבד *abad* (*operari*) ſine additamento *juſtitiae*, eadem ſignificatione uſurpatum fuerit: ex quo apud Helleniſtas ἐργάζομαι (quod apud LXX. τῷ עבד reſpondet) pari ſignificatu donatum. Sane in extremi judicii deſcriptione apud Evangeliſtas, non alia, quam miſericordiae opera, ad examen revocantur: ut dubitare quis poſſit, utrum ex Judaeis Helleniſtis, an etiam ex eo quod in judicio de ſolis miſericordiae operibus (tanquam in eo tantum τὸ ἐργάζεσθαι verſetur) futura ſit quaeſtio, hauſerint hoc veteres Sancti Patres, apud quos *operari* tantundem eſt, quod eleemoſynam facere. Tertullianus Apolog. c. 39. commemoratis nonnullis miſericordiae operibus, *ſed ejuſmodi vel maxime*, inquit, *dilectionis operatio notam nobis inurit penes quoſdam*. Alibi *operatio eleemoſynae*.

Veteres latini Patres non aliter loquebantur: in primis autem B. Cypr. ep. 36. *Vt largius & promptius circa laborantes* (gr. πονιῶντας) *fiat operatio*. Ep. 37. *Pro cetera ſollicitudine & cura ſua, quam fratribus in omni obſequio operationis impertit*. Epiſt. 52. ad Antonianum: *Pro abluendo delicto tuo largiter & frequenter operare*. Epiſt. 60. ſubdit nomina eorum qui *promte ac libenter operati ſunt* (h. e. pecuniarum ſubſidia in captivos contulerunt) *ut ſemper operentur*. Extremo libro de lapſis: *Incunctanter & largiter fiat operatio, cenſus omnis . . erogetur* &c. Fine libri de Vnit. Eccleſ. conqueritur eo nomine, quod *Largitas operationis infracta eſt*, cum contra olim *in uſus indigentium pretia* (fundorum) *Apoſtolis* offerrent. Poſtremo lege ſis librum *de opere & eleemoſyna*: cujus libri vel inſcriptio ipſa ejuſdem notionis eſt teſtis. Ibi vituperantur, qui metu inopiae

Digitized by Google

inopiae non *operantur*, pauperes etiam *operari* debere tradit; quo quis plures habet liberos, eo amplius huic *operandum* &c. Ibidem de praemio *operantium*, ſterilium ſupplicio &c. nam *ſteriles* S. Martyr appellat tenacitatis morbo laborantes. S. Ambroſius aliique patres uſi eodem loquendi genere. Commodianus inſtruct. 55. *Non operas facitis* h. e. eleemoſynas: ſic etiam inſtruct. 69.

Prudentius Pſychomachiae ℣. 575. deſcripturus *operationem* (i. e. miſericordiam in egenos) cum avaritia decertantem, orditur:

Cum ſubito in medium frendens operatio campum
Proſilit auxilio ſociis, pugnamque capeſſit.

JUDAE.

AD JUDAE ℣. 14.

Ecce venit Dominus in ſanctis millibus ſuis facere judicium contra omnes . . impios &c.] Iſtud *Venit Dominus* Rabbini dicunt שבם אתה *ſchem atha*, vel uno vocabulo שכמתא *ſchiammata*, Syri autem מרן אתא *maran atha*. Atque hinc prorſus factum exiſtimo, ut Judaei magnae excommunicationis formulam Henocho auctori tribuerent, auctoribus ap. Calmet. Nam *ſchiammata* ſive *maranatha* eſt ipſiſſima magnae excommunicationis apud illos formula ac nomen. Ex quo apparet, verba haec Henochi ab Juda recitata, innotuiſſe etiam Judaeis, ſive ex traditione, ſive ex libro Henochi apocrypho, ſive poſtremo ex hac ipſa Judae epiſtola.

IN APOCALYPSIN.

Ἀποκάλυψις] *De Chriſtianorum quibuſdam haereticis (Gnoſticis opinor) Porphyrius in vita Plotini cap.* 16. *ſic habet* ἀποκαλύψεις τε προφέροντες Ζωροάστρου, καὶ Ζωστριανοῦ, καὶ Νικοθέου, καὶ Ἀλλογένους, καὶ Μέσου καὶ ἄλλων τοιούτων, πολλοὺς ἐξηπάτων, καὶ αὐτοὶ ἠπατημένοι, ὡς δὴ τοῦ Πλάτωνος εἰς τὸ βάθος τῆς νοητῆς οὐσίας οὐ πελάσαντος. Et revelationes quaſdam Zoroaſtris, Zoſtriani, Nicothei, Allogenis, Meſi, aliorumque talium circumferentes, multos decepti ipſi prius deceperunt, tradentes Platonem intelligibilis eſſentiae profundum non penetraſſe &c.

Ἰωάννου τοῦ Θεολόγου] *Nihil dubito quin Theologi ἐπωνυμία ab antiquiſſimis temporibus Johanni adhaeſerit. Et erat uſitata apud Orientales ea nomenclatio. Taceo de veteribus Theologis Homero, Orpheo, Heſiodo, quos deſignare videtur Cicero III. de nat. Deor.* Joves tres numerant ii, qui Theologi nominantur. *Poſteriora tempora ſpectemus, quibus Johannes ſcribebat. Porphyrius lib. II. de abſtin. Dipbili meminit Cypriorum regis, qui circa Seleuci τοῦ Θεολόγου tempora regnarit. Spanhemius diſſ. VI. praeſt. & uſ. num. editionis* 2. *p.* 593. *nummum affert Q. Herennii Etruſci, a Pergamenis ſignatum,* ΕΠ · ΚΟΜ · Φ · ΓΑΥΚΩΝΟC · ΘΕΟΛΟΓΟΥ, *ut in averſa parte legitur. Plutarchus de def. orac.* Πλεῖστον δὲ τῆς ἀληθείας διαμάρτανουσιν οἱ Δελφῶν θεολόγοι.

Theo-

Digitized by Google

Theologi apud gentiles audiebant, qui τὰς θεογονίας ſcripſiſſent. Eo jure Orpheus aliique plures Theologis annumerati fuere. Eodem jure & Epimenides Cretenſis a Diodoro Siculo lib. V. Theologus dicitur, puto quod Laërtio teſte θεογονίαν verſibus tradidiſſet. Johannes autem aeternam Verbi generationem primus omnium ediſſeruit: eoque Θεολόγος appellatus videri poſſit. Verum cum θεολόγος appellatio non Evangelio, ſed revelationi *iſti praeſcribatur: magis eſt ut Θεολόγος Johannis aevo idem qui χρησμολόγος haberetur. Epimenides quem modo nominavi, idem & χρησμολόγος fuit eaque fort. de cauſſa Theologus Diodoro dicitur. Vt ut eſt; non inuſitata fuit Johannis aetate Theologi ἐπωνυμία. De varia theologiae & θεολόγου ſignificatione vide ſis Auliſium in Scholis Alexandrinis cap. XI. pag. 53. & ſeq.*

AD APOC. I. 6.

Et fecit nos regnum & Sacerdotes Deo & Patri ſuo] Abutitur hoc loco Tertullianus de exhort. caſtit. c. 7. *Nonne & laici Sacerdotes ſumus? Scriptum eſt: Regnum quoque nos & Sacerdotes Deo & Patri ſuo fecit. Differentiam inter Ordinem & plebem conſtituit Eccleſiae auctoritas, & honor per ordinis conſeſſum ſanctificatus: adeo ubi Eccleſiaſtici ordinis non eſt conſeſſus, & offers & tinguis, & Sacerdos es tibi ſolus* &c. Vide dicta ad 1. Pet. II. 5.

AD APOC. I. 8.

A & Ω principium & finis] Orpheus hymno in Jovem Ἀρχὴ πάντων, πάντων τε τελευτή.

AD APOC. I. 9.

Ego Joannes . . fui in inſula, quae appellatur Patmos] Gr. ἐγενόμην ἐν τῇ νήσῳ τῇ καλουμένῃ Πάτμῳ h. e. *veni in inſulam* &c. γενέσθαι ἐν pro παραγενέσθαι εἰς, eſt, ſiquid aliud, ἑλληνικώτατον: nec exemplis opus eſt. Illa autem perſonae notatio ἐγὼ Ἰωάννης, infra etiam XXI. 2. & XXII. 18. occurrit: quam Porphyrius in vita Plotini ſaepiſſime uſurpat, ut cap. 4. ἐγὼ Πορφύριος, ἐκ τῆς Ἑλλάδος . . . γεγονὼς (ἐκγίνομαι, eo quo dixi ſignificatu: *e Graecia Romam veniens*) καταλαμβάνω &c. Ibidem ὅτε τὸ πρῶτον αὐτῷ ἐγὼ ὁ Πορφύριος ἐγνωρίσθην, *ubi primum ego Porphyrius eum audire coepi*; non ut interpres, *ſum cognitus*: norunt eruditi, diſcipulos Graecis γνωρίμους appellari. Et ad finem capitis ὅτε τὸ πρῶτον αὐτῷ προσῆλθον ἐγὼ ὁ Πορφύριος. Sic ad finem cap. 5. ἐμοῦ Πορφυρίου. Cap. 7. Πορφυρίῳ ἐμοί. Ad finem ejuſdem cap. ἐμὲ Πορφύριον. Et paſſim alibi. Virg. in fine Georg.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope.

In inſula, quae appellatur Patmos] Legendum cum aſpiratione Pathmos, quomodo rariſſimus Severi nummus Patmianus, in quo miles cum ſpiculo & epigraphe ΕΝ ΠΑΘΜΩ, quem affert Spanhemius de praeſt. & uſ. num. pag. 902. editionis in 4. Apud Plinium quoque libri veteres aſpirationem retinent.

AD APOC. II. 20.

Sed habeo adverſus te pauca: quia permittis mulierem Jezabel, quae ſe dicit prophetem, docere & ſeducere &c.] *Prophetem* pro *prophetidem* eſt ex antiqua verſione, quam allegat Cyprianus epiſt. (52.) ad Antonianum: *Habeo adverſus te multa,*

Digitized by Google

multa, quod uxorem tuam (ſic melius redditur τὴν γυναῖκα) *Jezabel, quae ſe dicit propheten, ſinis docere & ſeducere ſervos meos, fornicari & manducare de Sacrificiis*. Vide ibidem quae ſequuntur. Servavit Hieronymus ex vetere verſione illud *propheten* pro *prophetidem* Gr. προφῆτιν. Ex quo intelligitur, conſueviſſe olim SS. Cypriani, & Hieronymi temporibus, Graeca feminina quintae declinationis in ις deſinentia ita latine tranſmutare, ut *dialectice, ces*, & ſimilia inclinari ſolent. Saepe Hieronymus in interpretatione locorum Hebraicorum Euſebii loca feminina ejuſdem formae, ac προφῆτις, in eundem modum Latine poſuit, quo heic *Propheten*. Id Clericus in ſuis notationibus inſcitiae Graeci ſermonis aſſignat. Parcius iſta viris tamen objicienda. Satius fuiſſet dicere, Hieronymum ſaeculi ſui morem fuiſſe ſecutum.

AD APOC. III. 14.

Principium creaturae] *Principium* notione philoſophica, i. e. cauſſa. Hunc etiam locum (non modo Joannis Evangelium) Amelius Platonicus legerat, quum ait *Barbarum iſtum* (ſic Joannem appellat) *Verbum Dei in ordine principii conſtituiſſe*. Confer dicta ad illud *In principio* Gen. I. 1.

AD APOC. III. 16.

Quia tepidus es, & nec frigidus, neque calidus, incipiam te evomere ex ore meo] Auctor dialogi de oratoribus cap. 21. *Niſi forte quiſquam aut Caeſaris pro Decio Samnite, aut Bruti pro Dejotaro rege ceteroſque ejuſdem lentitudinis ac teporis libros legit*.

AD APOC. III. 17.

Quia dicis, quod dives ſum & locupletatus.] Gr. ὅτι λέγεις ὅτι, Πλούσιός εἰμι καὶ πεπλούτηκα. Vbi poſterius ὅτι vacat, & mimeſi ſervit, quando nimirum verbis alicujus, quae directa non obliqua oratione recenſentur, praeponitur, ut Mat. IV. 6. V. 20. VII. 23. & alibi in N. T. ſaepiſſime. Illud ergo *Dives ſum* &c. non ad Deum, qui loquitur, ſed ad Epiſcopum Laodiceae referendum. In elegantiſſimis quibuſque Scriptoribus paria exempla reperiuntur. Thucydides lib. V. εἰρῆσθαι δ' ὅτι, Ἢν μὴ θεῶν, ἢ ἡρώων κώλυμα ᾖ. Xenophon Paed. VIII. τῶν ὧν ὑπηρετῶν τις ἀπεκρίνατο ὅτι, Ὦ δέσποτα ὃ ζῇ, ἀλλ' ἐν τῇ μάχῃ ἀπέθανεν. Demoſthenis exempla vide apud Budaeum com. pag. 1049. Apud Lucianum in dialogo Διογένης καὶ Πολυδεύκης, Diogenes apud Inferos Pollucem poſtera die redivivum futurum rogat εἰπεῖν πρὸς αὐτὸν (Menippum) ὅτι σοι ὦ Μένιππε κελεύει ὁ Διογένης, εἴσοι ἱκανῶς τὰ ὑπὲρ γῆς καταγεγελαϰέναι ἥκειν ἐνθάδε πολλῷ πλείω ἐπιγελασόμενον. Plutarchus in Apophth. Alex. Τῶν δὲ παίδων λεγόντων ὅτι, Ταῦτά σοι κτᾶται.

AD APOC. IV. 11.

Dignus es Domine ... accipere gloriam &c.] Frequens in hoc libro acclamatio, quam in miniſtrorum electionibus Chriſtiani olim videntur imitati. Euſebius VI. hiſt. 29. de Fabiani poſt illapſae ſuper eum caelitus columbae monſtrum electione: ἐφ' ᾧ τὸν πάντα λαὸν, ὥσπερ ὑφ' ἑνὸς πνεύματος θείᾳ κινηθέντα, ὁμόσε προθυμίᾳ πάσῃ καὶ μιᾷ ψυχῇ ΑΞΙΟΝ ἐπιβοῆσαι· καὶ ἀμελλήτως ἐπὶ τὸν θρόνον τῆς ἐπισκοπῆς λαβόντας αὐτὸν ἐπιθεῖναι. *Quo ſpectaculo permotus populus*

Digitized by Google

pulus ac divino Spiritu incitatus, ſumma cum alacritate uno conſenſu ſimul omnis exclamare coepit DIGNVS EST; ſtatimque correptum ſacerdotali cathedrae impoſuit. In actis deſignationis Eradii, quae inter Auguſtini epiſtolas viſuntur, hae acclamationes leguntur: *DIGNVS ET IVSTVS EST dictum eſt vicies. BENE MERITVS, BENE DIGNVS, dictum eſt quinquies.*

AD APOC. VI. 9.

Vidi ſubtus altare animas interfectorum propter Verbum Dei] Hinc manavit mos, ut ſupra martyrum ſepulcra altaria ſtatuerentur. Vnde & contemptim Libanius or. parentali in Julianum (quam Fabricius vol. VII. Bibl. Gr. inſeruit) cap. 145. Chriſtianorum altaria τάφους appellat: nam, niſi vehementer fallor, Chriſtianos ibi reſpicit Sophiſta, dum ait ſperaſſe ſe, ut debitus honor deorum ſacris per Julianum reſtitueretur, καὶ τοῖς ἱεροῖς ὑποχωρήσειν τοὺς τάφους, *templis vero ſepulcra* (martyrum) *eſſe ceſſura*: nunc vero illius morte ſpem illam eſſe interceptam.

AD APOC. VII. 3.

Quoaduſque ſignemus Servos Dei noſtri in frontibus eorum] Multa paſſim hoc libro frontium notatarum mentio. Atque haud ſcio, an ſpectetur ad ſignum, quod confeſſorum frontibus perſecutores Chriſtianorum ſaeculo tertio inurere conſueverant. Id ut ignominioſum pagani putabant, ſic Chriſtiani honorificum. Pontius in vita Cypriani poſt librum S. Martyris *de Exhort. martyrii* memoratum, addit: *Quis denique tot confeſſores frontium notatarum ſecunda inſcriptione ſignatos, & ad exemplum martyrii ſuperſtites reſervatos, incentivo tubae caeleſtis armaret?* Apud Cyprianum epiſt. 82. Valerianus Imp. reſcripſiſſe dicitur, ut *Quicunque vel prius confeſſi fuerant, vel nunc confeſſi fuerint, confiſcentur, & vincti in Caeſarianas poſſeſſiones deſcripti* (reſcribe ex Cod. Veronenſi *& ſcripti*, vel potius ex Colbertino *& inſcripti*) *mittantur*. Hinc *inſcripta ergaſtula* apud Juvenalem XIV. 24. dicuntur; quo loco *ergaſtula* vel ſunt mancipia ipſa, quorum frontibus notae ſtigmate inuruntur; vel potius quia *ibi includuntur, inſcripti ſunt*, uti notat vetus Scholiaſtes.

AD APOC. VII. 9.

Et palmae in manibus eorum.] Gellius lib. IV. ex Plutarcho ait: *Propterea in certaminibus palmam ſignum eſſe placuit victoriae, quoniam ingenium ejuſmodi ligni eſt, ut urgentibus opprimentibuſque non cedat.* Ex Graecis is mos ad Romanos manavit teſte Livio fine lib. X. *Eodem anno . . . . coronati primum ob res bello bene geſtas ludos Romanos ſpectarunt; palmaeque tum primum, translato e Graecia more, victoribus datae.*

Sed & Hebraeis eadem ferme, quae gentibus, palmae ſignificatio fuit quantum & hinc & ex Joh. XII. 30. & ex 2. Mach. X. 7. XIV. 4. poteſt intelligi.

AD APOC. VIII. 12.

Et percuſſa eſt tertia pars ſolis &c.] Vide quae ad Ex. XI. 1. notavimus in hunc locum ex Croio.

Digitized by Google

AD APOC. IX. 11.

Graece autem Apollion] Gr. καὶ ἐν τῇ ἑλληνικῇ ὄνομα ἔχει Ἀπολλύων. Quo nomine eruditis pleriſque Apollo deſignari videtur, verſo in ignominiam nomine, cujus conſuetudinis exempla innumera apud Hebraeos Graecoſque vide apud Fabricium to. 1. Biblioth. Graecae cap. 29. n. 8. Ac plura etiam rimari licebit harum rerum ſtudioſis.

AD APOC. X. 6.

Juravit per viventem in ſaecula ſaeculorum] Per eadem ferme tempora, quibus haec ſcribebat Johannes, Martialis corrupte admodum Judaici iſtius juriſjurandi exſtitit teſtis. *Jura verpe per Anchialum*. Quod Criticorum filii alii aliter expoſuerunt.

AD APOC. XI. 7.

Beſtia quae aſcendit] Beſtiae nomen paſſim inſecutoribus Chriſtianorum antiqui tribuebant. Vide Baluzium ad Lact. cap. XIX. de mort. perſec. & Ruinartum ad initium lib. V. Victor. Vitenſis.

AD APOC. XII. 1.

Et ſignum magnum apparuit in caelo: mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus ejus &c.] Nihil frequentius in nummis, quam caput radiatum; ſed & auguſtarum nonnullarum προτομαῖς lunam bicornem ſubſtratam in numiſmatibus ſaepe vidimus. In celebri epitaphio Regillae in villa Borgheſia (apud Fleetwood pag. 335.) verſu 26.

. . . ὁ δὲ οἱ περὶ ποσσὶ σαωτὴρ
Παμφανόων ἐνέχειτο σεληναίης κύκλος αἴγλης.

Si modo probe ultimum hemiſtichium ſuppletum fuit.

AD APOC. XIII. 5.

Bellum facere menſibus quadraginta duobus] De Valeriani perſecutione hanc prophetiam interpretatur Dionyſius Alexandrinus in epiſtola ad Hermammonem apud Euſebium VII. hiſt. 10. quem vide, & Baronium ad an. 257. cap. 7. Fort. occupatum a Calmeto &c.

AD APOC. XIII. 17.

Et ne quis poſſit emere aut vendere, niſi qui habet characterem, aut nomen beſtiae &c.] Hoc Africani Catholici ſaeviente Vandalica perſecutione impletum agnoverunt. Victor Vitenſis V. 13. *Non licebat*, ait, *ſive negotiatoribus ſive privatis alicubi tranſire, niſi deſcriptam characteris indicio ſuam miſeri oſtenderent mortem: quod per revelationem ſervo ſuo Johanni olim jam oſtenderat Chriſtus, ubi dicit: Nulli licebit aliquid emere vel vendere, niſi qui habuerit characterem beſtiae in fronte ſua & in manu ſua.*

AD APOC. XIV. 9. 10. 11.

Si quis adoraverit beſtiam &c.] Paullo haec aliter in Cypriano ep. 56. & 64. & ad Fortunatum cap. 3. *Si quis adorat beſtiam & imaginem ejus, & accipit*

Digitized by Google

pit [*notam*] *in fronte ſua, & in manu, bibet & ipſe de vino irae Dei* [*mixto*] *in poculo irae ejus, & punietur igne & ſulfure* [*ſub oculis ſanctorum*] *Angelorum, &* [*ſub oculis*] *Agni, & fumus* [*de tormentis*] *eorum aſcendet in ſaecula ſaeculorum, nec habebunt requiem die ac nocte quicunque adorant beſtiam & imaginem ejus*. Incluſi lineis majoris momenti varietates. Illud ἀκράτου deeſt in hac verſione, ac fort. a veteribus exemplaribus aberat, ut hodieque.

AD APOC. XIV. 10.

Et hic bibet de vino irae Dei, quod mixtum eſt mero in calice irae ipſius] Gr. ſic: ἐκ τοῦ οἴνου τοῦ θυμοῦ τοῦ Θεοῦ, κεκερασμένου ἀκράτου ἐν τῷ ποτηρίῳ. Illuſtrat hunc locum Comici illud apud Athenaeum I. 7.

Πολλὸν δὲ πίνων καὶ χαλίκρητον μέθυ.

Vinum meraco temperatum ſat bibens.

Χάλις vinum ſignificat a χαλάω, unde & Λυαῖος dicitur. Idcirco χαλίκρητος μέθυ eſt temetum vino temperatum, h. e. *meracum*. Apollonius,

Πῖνε χαλίκρητον λαρὸν μέθυ.

Bibe temetum mero mixtum.

Ibi Veteres Athenienſes ſic τὸν ἄκρατον appellaſſe notat Scholiaſtes. Haec ex animadverſionibus Caſauboni ad allegatum Athenaei locum delibavimus. Simile eſt autem hoc loquendi genus, atque illud Rhetoris illius apud Tullium, qui rogatus, cui rei primas in eloquentia partes deferret, actioni, dixit; cui ſecundas, cui tertias, ſemper actioni reſpondit. Sic vinum mero temperare jocoſe dictum fuit, pro meracum bibere.

AD APOC. XIV. 13.

Beati mortui, qui in Domino moriuntur] Gr. Μακάριοι οἱ νεκροὶ &c. Apud Ethnicos μακάριοι & μακαρίται mortui ἐπ' εὐφημισμῷ dicebantur. Heſychius: μακαρίτης ὁ τεθνεὼς, ὁ μακάριος, ὁ νεκρός. Vide & Suidam in Μακαρίτας· ſicut & in μακαρία, ubi βάλλ' ἐς μακαρίαν (at apud Ariſtoph. equit. ἄπαγ' ἐς μακαρίαν ἐκποδών: legitur etiam ἔρρ' ἐς μακαρίαν) eſt *abi in interitum* per εὐφημισμὸν· ſive quod μακαρία ſit locus apud inferos beatorum vita functorum, ut colligitur ex Luciano in Hermotimo, οἱ τὴν κενὴν μακαρίαν ἑαυτοῖς ἀναπλάττοντες. Julianus Hermogeni: ἐκείνῳ μὲν δὴ, ἐπειδὴ μακαρίτης ἐγένετο (*quoniam beatus factus eſt*, ut illud Veſpaſiani aegrotantis dictum apud Suet. *jam, ut video, Deus fio*; quia Imperatores mortui ſtatim ἀποθεοῦσθαι ſolebant), κόφη γῆ, καθάπερ λόγος. Latini *felices* dicebant. Horatius.

Omnes compoſui felices: nunc ego reſto.

Perſius: - - - *Nunc non cinis ille poëtae*

Felix? nunc levior cippus non imprimit oſſa?

At Graecus homo Ammianus *beatum* ἑλληνικώτερον uſurpavit XXV. 3. *Quem cum beatum fuiſſe Salluſtius reſpondiſſet praefectus, intellexit occiſum*. Marcilius *beatum & fuiſſe* mavult (alluſum credo putans ad illud Plutarchi in Cicerone de conjuratis in carcere occiſis, proclamante, ſi probe memini, praecone ἐβίωσαν) quod non eſt neceſſe, nam τὸ *beatum fuiſſe* reſpondet exacte ſupra allatae Juliani locutioni μακαρίτης ἐγένετο. Et quidem hac notione μακαρίτης ſaepius, quam μακάριος dicebatur, unde illud Athenaei lib. 3. μακάριος ἦν αὐτὸς, μᾶλλον δὲ μακαρίτας εἶναι φημί. Sed tamen μακάριος eodem ſignificatu ex Pla-

Digitized by Google

tone in XII. de leg. pag. 353. B. citat H. Steph. in theſ. Ac reperitur apud Artemidorum IV. 47. ὀνειροκριτ. p. 245. ubi de ſomnio Plutarchi Chaeronenſis, quo ei mors praeſignificabatur, ſic habet: ὁ Πλούταρχος εἰς τὸν οὐρανὸν ἀναβαίνειν ὑπὸ τῶ Ἑρμοῦ ἀγόμενος ἐδόκει· καὶ τῇ ἐπιούσῃ ὄναρ ἐπεκρίνατό τις αὐτῷ τὸν ὄνειρον, καὶ ἔφη, ΜΑΚΑΡΙΟΝ ἔσεσθαι αὐτὸν, καὶ τοῦτο εἶναι τὸ εἰς τὸν οὐρανὸν αὐτὸν ἀναβαίνειν, τὴν ὑπερβαίνουσαν εὐδαιμονίαν· ἔτυχε δὲ νοσῶν . . . καὶ οὐκ εἰς μακρὰν ἀπέθανε. Ex hactenus dictis non abſurde licet conjicere alluſum hoc loco ad ethnicorum μακαρίτας ſeu μακαρίους· quae quidem appellatio ita demum vera demonſtratur, ſi modo ἐν Κυρίῳ ἀπέθανον.

AD APOC. XV. 3.

Juſtae & verae ſunt viae tuae] Gr. δίκαιαι καὶ ἀληθιναὶ: Quae ſunt ſynonyma. De ἀληθινὸς quid in N. T. valeat, alibi diximus. Sed & δίκαιος ſaepe perfectum atque omnibus numeris abſolutum ſignificat. Lucianus lib. de ſcrib. hiſtoria, Xenophontem δίκαιον συγγραφέα appellat, ut & apud Sopatrum ad Hermogenem pag. 22. quod ex Platone affertur, δίκαιος ῥήτωρ, mox exponitur ῥήτωρ ἀγαθός. Cicero I. ad Q. Fr. 1. Κύρου παιδείαν ſcriptam ait *a Xenophonte, non ad hiſtoriae fidem, ſed ad effigiem juſti imperii*, h. e. *perfecti*, ni fallor. Ducta eſt metaphora a menſuris, quae tum demum δίκαιαι ſunt (ut ὀργυιαὶ δίκαιαι apud Herodotum *orgyae juſtae*) cum nihil deeſt nihilque redundat: tale autem eſt quidquid perfectum eſſe dicitur. Hinc Prov. XI. 1. *Pondus aequum* dicitur, quod Graeci interpretes δίκαιον, at hebraice eſt שלם *ſcialom, perfectum*.

Ἀληθινὸς reſpondet τῷ נאמן *neeman*. Vide quae dixi ad Deut. XXVIII. 59.

AD APOC. XVI. 19.

Et facta eſt Civitas magna in tres partes] Gr. ἡ πόλις ἡ μεγάλη, h. e. Roma κατ' ἐξοχήν. Sic Conſtantinus Or. ad SS. coetum cap. 25. προνοίας Θεοῦ τὴν μεγάλην πόλιν ἐλευθερώσης. *Divina providentia Romam in libertatem aſſerente*. Euſebius or. de laudib. Conſtant. cap. 13. ſuo adhuc tempore Jovi Latiali humanam victimam oblatam narrat κατὰ τὴν μεγάλην πόλιν, Romam ſcilicet, quod a Porphyrio accepit idem narrante in 2. de abſtinentia, eandemque appellationem Romae tribuente; ſicut & Tatianus or. adv. Graecos in eadem narratione Romam ſic quoque appellat. Sic quoque Libanius urbem Romam nominavit in oratione, quae βασιλικὸς inſcribitur.

Porphyrius in II. περὶ ἀποχῆς manſiſſe ad ſuam aetatem ait ἐν τῇ μεγάλῃ πόλει i. e. Romae Sacrum infandum Jovis Latialis. Non deerunt alia innumera exempla rimantibus. Sed & compoſito vocabulo μεγαλόπολις paſſim nuncupabatur. Idem Conſtantinus eadem or. ad Sanctorum coetum cap. 22. ἐπαινεῖ καὶ ἡ μεγαλόπολις. *Sed & urbs Roma ea laudibus celebrat*. Μεγαλόπολις autem dicebatur, quod eſſet urbium mater, uti notavimus ad Jon. I. 2.

Procedente tempore cum Conſtantinopolis ἡ νέα Ῥώμη diceretur, etiam μεγαλόπολις eſt appellata. Exempla paſſim obvia in Byzantinis Scriptoribus. Socrates II. 43. Εὐδοξίου δὲ ἀναδειχθέντος τῆς μεγαλοπόλεως. *Porro Eudoxio Conſtantinopoleos epiſcopo conſtituto*. Michaël Cerularius in Σημειώσατι, quod primus edidit

Digitized by Google

edidit Allatius in Examine Triodii pag. 169. habet: τὸς ὡς τὴν Μεγαλόπολιν τότους μεταπελθῦντας ἔπεμπεν. *Misit qui viros in hanc magnam urbem revocarent.* Et passim in historiae Byzantinae Scriptoribus.

AD APOC. XVII. 5.

Babylon magna, mater fornicationum] Ex notatis ad Jon. I. 2. & Apoc. XVI. 19. constare potest, metropoles appellatas olim μεγαλοπόλεις. Eo alluditur heic. Fatetur Johannes Romam dici μεγαλόπολιν, istud tamen vocabulum μητέρα τῶν πορνῶν (sive ut alii libri πορνειῶν) quam μητέρα πόλεων interpretari mavult. Inest ergo σαρκασμὸς his verbis. Roma μεγαλόπολις dicebatur, quia mater urbium: quam significationem scite pervertens Johannes subjecit, *h. e. mater fornicationum*. Non poterat Romae εἰδωλολατρύσης aptior afferri definitio.

AD APOC. XVII. 15.

Aquae quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt & gentes & linguae] In Graeco textu est ὄχλοι, cui in vulg. nihil respondet. At Cyprianus ep. (63.) ad Caecilium sic affert: *Aquae quas vidisti, super quas sedet meretrix illa, populi & turbae, & gentes ethnicorum sunt & linguae.* Ignotus Auctor ad Novatianum inter Cypriana, credo memoriter, sic: *populi sunt, & gentes, & regna.*

AD APOC. XIX. 17.

Dicens omnibus avibus, quae volabant per medium caeli] Gr. τοῖς πετωμένοις ἐν μεσουρανήματι. Vox μεσουράνημα, quam ter hoc libro Joannes usurpavit, Aegyptiorum sive Alexandrinorum fuit (a quibus Hellenistae voces non paucas sunt mutuati) teste Polluce IV. 157. τὸ γὰρ μεσουρανεῖν, inquit, Αἰγυπτίων (*). Verum aliud astronomis, aliud Johanni vox ea significat. Illis μεσούρανημα & μεσουράνησις est positus sideris media caeli parte inter orientem occidentemque, ut ex Aristotelis, Strabonis &c. exemplis apud lexicographos patet; ita ut μεσουρανεῖν idem plane sit, quod μεσημβριάζειν. Pollux loco cit. μεσημβριάζειν, ὑπερκεφαλῆς ἑστάναι· τὸ γὰρ μεσουρανεῖν Αἰγυπτίων· Ὅμηρος δ' αὐτὰ σεμνῶς λέγει·

Ἦμος δ' ἠέλιος μέσον οὐρανὸν ἀμφιβεβήκει·

At Joanni longe aliud significat: nec novum est, Hellenistas saepe Graecanica vocabula novo significatu usurpasse. Sunt qui putent notari ab Evangelista ea dictione caelum ex tribus medium i. e. astriferum, quod inter angeliferum sive tertium Pauli caelum & aëreum, medium intercedit: quae quidem notio potest utcunque accomodari supra VIII. 9. & XIV. 6. ubi Angelus ἐν μεσουρανήματι volans inducitur: & huic loco nullo modo; nisi vero volumus aves stelliferum caelum volatu tranasse. Ergo vera μεσουρανήματος apud hunc Divinum Scriptorem significatio, quae locis omnibus aeque conveniat, ea

(*) Τὸ μεσουρανεῖν quomodo non Atticum, quando usus eo verbo reperitur Aristot. Meteor. lib. 3. ubi ait solem & astra majora apparere orientia aut occidentia, quam (μεσουρανοῦντα) meridiantia?

Digitized by Google

ea eſt, ut aërem deſignet. Si forte quaeris, cur aërem μεσουράνημα h. e. medium caelum appellarit; promtum erit reſpondere, caelo aëreo Gen. I. 6. miniſterium fuiſſe aſſignatum, ut ſuperiores aquas ſive nubes ab his terreſtribus, tanquam intergerivus paries dirimeret. Vide ibi dicta. Ergo non alio, quam ad illud aëris miniſterium ſpectavit heic Sacer Scriptor, quum aërem μεσουράνημα i. e. caelum inter utraſque aquas medium nuncupavit.

Venite & congregamini ad coenam magnam Dei: ut manducetis carnes Regum, & carnes Tribunorum, & carnes fortium &c.] Paria habentur Ezech. XXXIX. 17. 18. 19. 20. Concinit utrique loco Homerus Od. XX. tribus poſtremis verſibus. Nihil magis geminum planeque germanum.

AD APOC. XXI. 2.

Vidi Sanctam Civitatem Jeruſalem novam, deſcendentem de Caelo a Deo] Dio Chryſoſtomus or. XXXVI. quae inſcribitur βορυσθενιτικὸς λόγος de Civitate Divina diſſerit, Deum hominesque conſociante, capta ab his Phocylideis verſibus occaſione.

πόλις ἐν σκοπέλῳ κατὰ κόσμον
Οἰκεῦσα σμικρὴ, κρείσσων Νίνυ ἀφραινούσης.

AD APOC. XXI. 6.

Ego ſum A & Ω *initium & finis*] Verbum ἀρχὴ i. e. mundi opifex a Platonicis dicebatur, teſte Amelio. De quo vide dicta ad Geneſeos initium & ſupra cap. III. 14.

AD APOC. XXI. 9.

Oſtendam tibi ſponſam, uxorem Agni . . . & oſtendit mihi Civitatem Sanctam Jeruſalem] Quod Civitas Jeruſalem *Sponſa Agni* h. e. Chriſti dicitur, id ne apud profanos quidem Scriptores exemplo caret. Pindarus Olymp. VII. *Rhodum ſolis ſponſam* appellat: τὰν ποντίαν Τιμένων παῖδ' Ἀφροδίτας, Ἀελίοιότε νύμφαν Ῥόδον. *Marinam laudans filiam Veneris, Soliſque Sponſam Rhodum*, & quidem Spanhemius de praeſt. & uſ. num. pag. 790. nummum affert Rhodiorum, in quo viri radiati h. e. ſolis imago cum muliere, quae Rhodus videtur, tanquam cum ſponſa conſerit dextras.

AD APOC. XXII. 13.

Ego ſum α & ω primus & noviſſimus] Primus, quia Patri coëternus, noviſſimus, utpote natus in tempore. Eadem eſt ſententia iſtorum Euſebii verborum or. de laud. Conſt. cap. 1. ἐπὶ πᾶσι, καὶ πρὸ πάντων, καὶ μετὰ πάντας, ὁ προὼν αὐτῷ μονογενὴς Λόγος. *In omnibus & ante omnes & poſt omnes, Unigenitus ejus filius, ac praeexiſtens.* In quem locum, vide Valeſium. Novatianus quoque lib. de Trin. cap. 14. Chriſtum ait eſſe ante omnia & poſt omnia, uti refert ibidem Valeſius.

FINIS.

INDEX

Digitized by Google

INDEX PRIMVS

Locorum Sacrae Scripturae, quae in hoc in Novum Teſtamentum Spicilegio ſparſim aut explicantur, aut illuſtrantur.

Numerus primus paginam, litera (c) *columnam, litera vero* (n) *adnotationes indicat.*

Geneſeos

Cap.	pag.
XLIX. 11.	44.

Exodi

XXII. 28.	75. c. 1.
XXIV. 11.	258.
XXVIII. 38.	217. c. 2.

Levitici

X. 17.	217. c. 2.
XXIII. 15.	211.

Numeri

XIII. 25.	218. c. 1.
XX. 10.	7.

Deuteronomii

XXII. 13.	7.

Joſue

IV. 5.	218. c. 1.
8	ibid.

Samuelis, ſeu I. Regum

XV. 25.	217. c. 2.

Habacuc

II. 11.	7.

III. Regum

IV. 25.	174.
XVIII. 43.	145.

Paralypomenon II.

XXIV. 8.	215.
10.	ibid.
11.	ibid.

Job

XXXII. 19.	236.

Pſalmorum

XXI. 18.	209.
LXXX. 17.	7.

Proverbiorum

IX. 12.	216. c. 2.

Eccleſiaſtæ

X. 20.	218. c. 2.

Iſaiæ

LXII. 4.	25. & ſeq.

Ezechielis

XXXII. 30.	218. c. 1.
XXXVI. 25.	173.

Zachariæ

III. 10.	174.
V. 7.	218. c. 1.

Machabæorum I.

XI. 67.	152.

Lucæ

XXIV. 39.	213.

Johannis

I. 29.	218. c. 1.
VIII. 59.	ibid. c. 2.

Pauli ad Rom.

XIII. 1.	208.

Ad Corinth. I.

VIII. 6.	318.
XII. 3.	ibid.

Ad Epheſ.

IV. 3.	28.

Digitized by Google

INDEX SECUNDVS

Vocum aliquot Hebraearum explicatarum.

עבר *Abar* diſcurrere verbum convivale, ac miniſtrorum peculiare 145.
אסף *Aſaph* quid notet 34.
בת־קול *Bath-kol* quid 11.
כיפא *Cepha* Syriacum quid 37.
כחל *Chebel* & funem, & catervam ſignificat 58.
דיופולין *Dejophulin* Duumviri curiae Jeroſolymitanae 109. c. 1. & n. (41)
גן *Gan* eſt hortus a גנן *ganan* ſepire 219. c. 2.
איקא *Iki* ſyriacum an ab graeco εἶκῆ arceſſendum 17.
יום *Jom* omnem poſteri temporis ſucceſſionem notat 22.
קרפף *Karpheph* quid 219. c. 2.
קלגס *Kalges* exercitus 287. n. (*)
מחר *Machar* quid ſit 22.
מלירתא *Malirto* quid 28.
מצא *Matſa* eſt non ſolum invenire, ſed etiam deprehendere 174.
מסך *Maſach* exterius templi velum 61.
עולם *Olam* primo ſaeculum notat, deinde mundum 203.
רע *Rea* non ſolum amicum, ſed quemvis etiam hominem ſignificat 140.
סבל *Sabal* pro auferre 26. & n. (*)
שופרת *Sciopharot* quid ſint 215.
שקמים *Shikmim* idem ac συκάμινος graecis, ſycomorus latinis 150.
צמא *Tſame* de animae ſiti capitur 211.
זקף *Zekaph* eſt cum exaltare, tum in crucem agere 198.

INDEX TERTIVS

Scriptorum, qui illuſtrantur, notantur, exponuntur, aut reſtituuntur.

A

Acta S. Pionii M. reſtituuntur 10. *laudant.* 275. & 276. *S. Theodoti illuſtrant.* 53. *SS. Marciani, & Nicandri* 57. *S. Metrae M. Alex.* 59. *SS. Perpetuae, & Felicitatis* 88. *c.* 1. & 178. *S. Geneſii* 88. *c.* 2. *SS. Rogatiani, & Donatiani* 89. *c.* 2. *S. Fructuoſi* 156. *S. Felicis Tubizacenſis ibid. S. Cypriani ibid.* & 275. *SS. Petri, Andreae &c.* 249. *SS. Marcellini, & Petri* 269. *SS. Tryphonis, & Reſpicii* 275. *S. Philippi Ep.* 275. *S. Maximiliani* 295. *c.* 2. *S. Tharachi ibid. S. Marcelli* 296. *c.* 1. *S. Romani* 321.
Acron Scholiaſtes notatur 229. *n.* (10)
Aeſchylus illuſtratur 46.
Aelius Dionyſ. ap. Euſt. illuſtratur 225. *n.* (2) 228. *n.* (8)
Aetius laudatur 370.
Alexander Epiſc. Alex. exponitur 148. 202.
Alciatus notatur 208.
S. Ambroſius exponitur 21. *laudatur* 57. 87. 119. 250. 265. 344. & *ſeq.* 352.
Anacreon reſtituitur 76. *c.* 2.
Anatolius Alex. exponitur 47. 149.
Antiphilus laudatur 237.
Apollonius illuſtratur 379.
Appianus exponitur 277.
Apulejus exponitur 108. *n.* (34) 298. *c.* 2. 357.
Archeſtratus explicatur 69. *c.* 1.
Ariſtophanes exponitur 116. 265. 312. 315.
Ariſtoteles exponitur 165.
Athenaeus illuſtratur 45. 68. *exponitur* 137. 141. 144. 217. *c.* 1. 266. 307. 379.
Auſonius exponitur 69. *c.* 1. 295. *c.* 1.
Auctor Allegoriarum in Heſiodi Theogon. exponitur 343.
Aurelius Victor explicatur 193.

B

Baluzius notatur 342.
Barnabae adſcripta epiſtola exponitur 30. 134. 163. 198. 200. 248.
Beda laudatur 48. 99. *c.* 1.
Bertramus notatur 130.
Bundemundus illuſtratur 205.

Digitized by Google

C

Caesar Julius illustratur 35. 202. 253.
Callimachus illustratur 62. 194.
Calmetus notatur 15.
Canon Gangrensis illustrat. 36. *Carthaginiensis exponit.* 78. *c.* 1. 314. 352. *Laodicenus illustrat.* 327.
Capitolinus laudatur 129. 193. 209. 254. 370.
Cato illustratur 58. *n.* (4) 134.
Catullus exponitur 94. *c.* 1.
Causabonus laudat. 45. *notat.* 99. *c.* 2. *laudat. ibid.*
Chalcidius illustratur 324.
S. Chrysostomus exponit. 60. 292. *n.* (*)
Clemens Alex. illustrat. 36. 163.
Cleri Romani epist. apud Cypr. exponit. 46.
Cleomedes exponit. 69. *c.* 1.
Codex Cantabrigensis laudat. 27.
Coelius Apicius illustrat. 67. *n.* (1)
Columella illustrat. 28.
Constantinus Porphyrog. laudat. 127.
Constantini constitutio illustrat. 241.
Constitutiones Apost. illustrant. 364.
Critias in elegiis laudat. 50.
Curtius Q. illustrat. 220. *n.* (2)
Cyrilli Glossae emendant. 226. *n.* (5)
S. Cyprianus aut exponitur aut illustrat. aut laudat. 30. 31. 33. 40. 50. 77. 138. 150. 153. 176. 189. 201. 202. 204. 233. 234. 252. 271. 274. 282. 307. 312. 322. 341. 346. 353. 369. 373. 378.

D

Damascius illustrat. 96. *n.* (12)
Demosthenes illustrat. 161. *n.* (3) 180. 217. *c.* 1. 250. 351.
Dionysius Alicarnass. exponit. 277.
S. Dionysius Alexandr. laudat. 67.
Dio illustrat. 288. *c.* 2.
Dodwellus notat. 244.
Dyctis Cretensis exponit. 202.

E

Ennius explicat. 58. *n.* (5) 212.
Erasmus laudat. 123.
S. Epiphanius exponit. 64. 67. 70. *c.* 2. 216. *c.* 1. *illustrat.* 291.
Eunapius explicat. 198.
Eupolis laudat. 60.
Euripides illustrat. 165. 179. *n.* (*) 313. 350.
Eusebius aut producit. aut exponit. aut illustrat. 10. 28. 32. 47. 56. 59. 67. 68 *n.* (2) 125. 145. 146. 147. 163. 169. 170. 172. 188. 197. 205. *notat. ibid. exponit.* 217. *c.* 1. 222. *c.* 1. 233. 242. 249. 251. 257. 310. 312. 319. 325. 326. 327. 337 340. 347. 372. 376. 355. 360.
Eustathius illustrat. 264.
Euthymius notat. 93. *n.* (7)
Ezechiel Judaeus laudat. 168. 247. 338. 348.

F

Fabrettus laudatur 223. *c.* 2.
Festus exponit. 228 *n.* (8)
Ficoronus (Franciscus) laudatur 87.
Flodoardus illustrat. 240.
Frontinus illustrat. 221. *n.* (3)

G

Gajus illustratur 36. 145.
Galenus illustrat. 192. 240.
Gatakerus notat. 226. *n.* (7)
Gellius exponit. 153. 220. *n.* (2)
Gennadius exponit. 326.
Gorraeus laudat. 215. *c.* 1.
Grotius notat. 16. *confutat.* 102 *c.* 1. 114. *notat.* 140. 147. 152. 113. 157. 229. *c.* 2. 257.

H

Hadriani Imp. Rescriptum exponit. 155. *aliud ejusdem illustratur* 210.
Hammondus laudat. 126.
Harpocratio illustrat. 160 *n.* (3)
Hegesippus illustrat. 174.
Heinsius notat. 124.
Helladius laudat. 60.
Herbertus illustrat. 297. *c.* 2.
Hermippus laudat. 4. 52.
Herodotus illustrat. 90. *c.* 2. 91. *c.* 2.
Hesiodus illustrat. 148 *n.* (*)
Hesychius restituit. 54 *n* (*) *illustrat.* 90. *n.* (1) *exponit.* 91. *n.* (**) 181. *notat.* 220. *c.* 1. 228. *n.* (8) *exponit.* 350.
Hieronymus graecus scriptor laudat. 50. 182. 267.
Homerus aut illustrat. aut producit. aut exponit. 2. 9. 17. 32. 38. 49. 85. 115. 123. 138. 148. 154. 175. 179. *n.* (*) 193. 194. 206. 217. *c.* 1. 219. *c.* 1. 221. *c.* 1. 224. *c.* 1. 234. 239. 315. 330 382.
Horatius Flaccus illustrat. 72. *n.* (*) 125. 153. 165. *c.* 2. 185. 229. *n.* (10) 269. 289. *c.* 2. 299. *c.* 1. 319.
Humelbergius notat. 67. *n.* (1)

I

Jamblicus laudat. 149.
S. Ignatius Martyr exponit. 2. *illustrat.* 36. *producit.* 42. 47. 182. 183. 193. 260.
S. Johannes Chrysost. illustrat. 60 292 *n.* (*)
Johannes Antiochenus exponit. 319.
Josephus Flavius notat. 75. *c.* 1. *n.* (1) *illustrat.* 102. *c.* 2. *exponit.* 105. *& seqq. explicat.* 110. *c.* 2. *laudat.* 124. *illustrat.* 159 *c.* 2. 217. *c.* 1. 245. 279 292. *c.* 1. 320.
S. Isidorus Hispalensis laudat. 270. *illustrat.* 298. *n.* (3)
S. Isidorus Pelusiota explicat. 327.
Julianus apostata notat. 13.
S. Justinus M. Tertulliano conciliat. 117. *exponit.* 169 *illustrat.* 318.
Juvenalis exponit. n. illustrat. 69. 71. *ejus interpres*

Digitized by Google

terpres notat. 69. *& seqq. illustrat.* 147. 280. 293. *c.* 1. 377.
Inscriptiones plurimae sepulcrales illustrant. 221. *& seqq. Inscriptiones diversae passim aut productae, aut illustratae.*
Agraria 370.
Blanchiniana 63.
Campana 1. 197. 303. 328.
Corsiniana 142.
Fleedwodiana 261. 266. 275. 303.
Florentina 5. *c.* 1. *n.* (*)
Frabrettiana 181.
Gruteriana 120. 180. 254. 313.
Gudiana 180.
Malvesiana 368.
Muratoriana 344.
Reinesiana 315. 364.
Romana 59. 62. 63. 352.
Sponiana 112.
Veneta 117.

L

Lactantius producit. 127. 156. *illustrat.* 285. 334. 362.
Laërtius illustrat. 134.
Lampridius exponit. 24. 54. 115. *illustrat.* 134. 141. *n.* (1) 333. *c.* 2. 355.
Lapis Romanus illustrat. 44.
S. Leo Magnus exponit. 213. *n.* (*) *illustrat.* 335. *c.* 2.
Lex Attica exponit. 39. 45. 56.
Libanius illustrat. 26. *& seq.* 264.
Lightfootus notat. 6. 107. *n.* (28) *&* (29) 130. 160. *c.* 1. 216. *c.* 2.
Lindenbrogius notat. 99. *c.* 2.
Livius illustrat. 13. 16. 56. 108. *n.* (37) 124. 199. 212. 217. *c.* 2. 233. 239. 258. 262. 278. 282. *n.* (*) 305. 322. 377.
Lucianus illustrat. 53. 144. 212. 227. *c.* 2. 282.
Lucretius illustrat. 34.
Lycophron exponit. 53. 194. 232.

M

Maimonides notat. 73. *n.* (1)
Maldonatus notat. 44.
Manilius exponit. 34.
Manuel Moschopulus notat. 55.
Marcus Diaconus exponit. 259.
Marcellus Sidetes illustrat. 251.
Marcellinus Ammianus illustrat. 39. 220. *n.* (2) 264. 284.
SS. Marciani, & Nicandri Acta illustrant. 57.
Martialis illustrat. 70. *c.* 1. 280. 315. 357.
Martinius notat. 99. *c.* 2.
Maximus Tyrius illustrat. 332.
Menander exponit. 34.
Mercurius Trismegistus exponit. 198.
Michaël Psellus exponit. 48.
Minucius Felix exponit. 183. 354.
Miscella Historia illustrat. 64.
Modestinus exponit. 105. *n.* (19)

N

S. Nazianzenus Gregorius illustrat. 318.
Nicaenae Synodi epist. ad Alex. illustrat. 334. *c.* 2.
Nicephorus Gregoras exponit. 31.
Nicolaus Damascenus exponit. 245.
Nicomedes medicus laudat. 5. *n.* (*)
Nonius illustrat. 95. *c.* 1.
Nonnus Panoplita defendit. 93. *c.* 2. *laudat.* 229. *c.* 1.
Nummus Nervae illustrat. 129.
S. Nyssenus Gregorius illustrat. 319.

O

Ovidius illustrat. 7. 68. *c.* 2. *exponit.* 115.
Orpheus exponit. 2. 195.

P

S. Paulinus illustrat. 20. 99. *c.* 2.
Paulus (Sebast.) illustratur 55.
Pausanias notat. 55. *illustrat.* 359. *laudat.* 337.
Persius illustrat. 37. 270. 379.
Petavius notat. 86.
Petronius exponit. 150. 153. 188.
Phaedrus illustrat. 92. *n.* (3) 199. 299. *c.* 1.
Phlegon exponit. 53. 131.
Philostratus laudat. 115. *illustrat.* 259. 362.
Photius notat. 154.
Philo Judaeus exponit. 28.
Plato laudat. 68. *c.* 2. *exponit.* 144. 380.
Plautus illustrat. 33. 52. 68. *n.* (3) 218. *c.* 1. 226. *n.* (7) 300. *n.* (2)
Plinius senior laudat. 55. *notat.* 138. 152. 162. 186. *n.* (*) *illustrat.* 297. *n.* (1)
Plinius junior exponit. 101. *c.* 2. *laudat.* 108. *n.* (36) 326. 344.
Plotinus laudat. 198.
Plutarchus exponit. 141. 168. 193. 211. 262. 299. *n.* (1) 340. 358.
Poëta vetus illustrat. 218. *c.* 1. *&* 2.
Pollux illustrat. 92. *n.* (3) 96. *c.* 1. *& seq.* 215. 226. *n.* (7) 290. *c.* 2. *&* *n.* (2) 298. *n.* (1)
Polybius exponit. 165. *n.* (1) 199.
Pomponius Mela illustrat. 222. *n.* (3)
Pomponius J.C. notat. 107. *c.* 1.
Pontius Diaconus exponit. 178. 196. 340. *n.* (*) 377.
Porphyrius notat. 13. *illustrat.* 44. 61. 241.
Porphyrion illustrat. 229. *n.* (10)
Proclus laudat. 48.
Prudentius laudat. 123. *illustrat.* 145. 374.

Q

Quesnellius notat. 335. *c.* 2.

R

Rabbi Jochanan notat. 214.
Rentorfius notat. 318. *c.* 2.
Rigaltius notat. 217. *c.* 2.
Rainartus notat. 296.

Digitized by Google

Rutilius Numatianus exponit. 74. *c.* 1.

S

Salmasius notat. 37. & *seq. laudat.* 54. *notat.* 99. *c.* 2. *laudat.* 203. *notat.* 219. *n.* (1)
Sanctius laudat. 273.
Scherpezeelius notat. 246.
Schmidius notat. 102. *c.* 2.
Seneca illustrat. 54. *laudat.* 121. 264. 299. *n.* (1)
Servius notat. 289. *exponit.* 354.
Severianus Gabalitanus notat. 93. *n.* (7)
Simplicius notat. 371.
Smyrnensis Ecclesiae epist. exponit. 276.
Socrates Philosophus exponit. 198.
Socrates Historicus exponit. 67. *n.* (1) 180. 185. 293. *n.* (4) 368 353.
Sozomenus illustrat. 187. 241. 325.
Spanhemius notat. 6.
Sponius notat. 112.
Spartianus illustrat. 32. 36. *exponit.* 60. 69. *c.* 2. 118. *laudat.* 126. 192. 254. 264. *illustrat.* 324.
Statius illustrat. 362.
Stephanus Henricus notat. 95. *c.* 2. 141. *n.* (2) 258. *n.* (*)
Strabo illustrat. 29. 33. *restituit.* 45. *laudat.* 119. 126. 157. *explicat.* 162. *n.* (4) 180. 189. 202. 246. 264. 266. 278. 304. 358.
Suetonius exponit. 36. 63. 81. 129. *illustrat.* 165. *c.* 1. 200. 259. 333. *c.* 2.
Suidas illustrat. 216. *c.* 2. *emendat.* 225. *n.* (1) *illustrat.* 243. 261. 369.
Suicerus laudat. 62.
Sulpicius Severus exponit. 33. 143. 296. *c.* 1. & 2.
Synesius laudat. 346.
Syrus interpres notat. 28. *n.* (*)

T

Tacitus exponit. 36. 259. 274.
Targum Hier. exponit. 155.
Terentius illustrat. 128. 179. *n.* (*) 191. *n.* (*) 207. 277. 372.
Tertullianus illustrat. 26. 88. *c.* 1. 117. 141. 142. 204. *n.* (*) 217. *c.* 2. 218. *c.* 1. 221. *c.* 1. 252. 268. 269. 282. 293. *c.* 1. 310. 334. *c.* 1. 349. 368. 369. 353. 354.
Theocritus exponit. 199.
Theodorus Beza notat. 213.
S. Theodoti M. Acta exponunt. 53.
Theophylactus laudat. 109. *n.* (38) 300. *c.* 2.
Theophrastus restituit. 186. *n.* (*)
Thucydides laudat. 80. *explicat.* 139. & *seq.*
Thymaris Tarentinus laudat. 188.
Tibullus illustrat. 29. 147.
Trebellius illustrat. 207. 236. 289. *c.* 2.
Tullius Marcus Cicero illustrat. 56. 105. *n.* (19) *notat.* 108. *n.* (35) *explicat.* 117. 120. 135. *illustrat.* 142. 146. 147. 178. 189. 220. *n.* (2) 242. 258. 265. 277. 278. 298. *c.* 2. 302. 306. 323. 355. 380.

V

Valerius Maximus illustrat. 128.
Valesius Henricus notat. 174. 216. *c.* 2. *laudat.* 244. *notat.* 311. 327.
Varro laudat. 69. *c.* 1. 119. *illustrat.* 140.
Vellejus Paterculus laudat. 120.
Victor Capuanus laudat. 188. *n.* (*)
Victor Vitensis laudat. 81. *illustrat.* 129. 205. 339.
Victorinus exponit. 129.
Vignolius notat. 222. *c.* 2.
S. Vincentii M. Acta illustrant. 25.
Virgilius illustrat. 7. 51. 130. 132. 175. 217. *c.* 2. 235. 253. 255. 265. 281. 288. 289. *c.* 2. 298. *n.* (2) & *c.* 2.
Vitruvius illustrat. 189. 240.
Vopiscus illustrat. 99. *c.* 2. 187.
Vossius notat. 92. *n.* (3) 95. *n.* 10. 99. *c.* 2. 160. *n.* (3) 162. *n.* (5) 286.
Ulpianus exponit. 59. 184. 210. 211. 306.
Uranius Presbyter exponit. 201.

X

Xiphilinus illustrat. 93. *n.* (6) *exponit.* 276.

Z

Zosimus illustrat. 220. *n.* (2)
Zosimus Papa illustrat. 334. *c.* 1.

Digitized by Google

INDEX QVARTVS
RERVM ET VERBORVM.

A

ABba vox unde descendat 84.
Abilina regio extra Terram promissam posita 159. Eccur Lucas ejus regionis meminerit, partitionem Terrae promissae describens, quum illa extra Judaeam sita fuerit ib. & seq. Abila est ipsa *Vlatha* Paniadi confinis, cujus meminit Josephus ib. & n. (2).
Abitio pro morte 282.
Acetum in poculentis olim numeratum 59. & seq. Ejus potio maxime in militaribus expeditionibus usurpata 60. Acetum οἶνος *vinum* appellarunt Attici per euphonismum ib. Eccur damnatis capite propinatum 211. aceto etiam incendia extinguebantur ibid.
Adriaticum mare pro Jonico, & contra Jonium pro Adriatico positum 277.
Adulteris olim oculi eruti 18.
Aemulor mediae significationis verbum 322.
Aestimo pro existimo est sequioris aevi 137.
Aetas aliquando pro *statura* ponitur 125. uti etiam aevum ib.
Afri Clerici nunquam uxoribus usi 314.
Ager Figuli quid sit 54. & seq.
Ager Sanguinis adhucdum saeculo XII. peregrinorum humationi destinatus erat 55.
Agni nomen eccur Christo attributum 173.
Aleva Thessalorum Rex Rufus cognomine 160. n. (3) c. 2. Is primus Thessaliam in quatuor partes dissecuit ib.
Alexandri Severi exemplum memorabile 24.
Altaria eccur supra sepulcra martyrum constituta 377.
Alte-cincti dicebantur, qui cinctum alte ad pectus cingebant, retroque ad cervicem subligabant 299.
Alticincti, & succincti notio 227. c. 1.
Amici Caesarum qui 208. Caesarum amici iidem ac assessores 209.
Amphorae plerumque fictiles 153.
Anchorale quid? 278.
Anna, & Caiphas cur junctim Pontifices dicantur 126. Anna Pontifex perpetuus, sed honorarius inter Judaeos fuit 207. & 238.
Annus olim in tres tempestates dispescebatur 186.
Antinous, ut Hadrianus fatum produceret, morti sese obtulit 193. & 202.
Apostoli eccur per paria recensentur in Evangeliis 29. Plerique eorum peccatores fuerant 30.
Apostolus Hebraeorum Christus dictus est 36. & seq.
Archangelorum notitiam ab Christianis mutuarunt recentiores Platonici 348.
Archisynagogae plures erant in eadem Synagoga 267.
Archontes apud Judaeos erant Bul eutae, sive Decuriones 156.
Arimathaea duplex: altera Judaeae, altera Galaalitidis 102. c. 1. & 2.
Armatura pro panoplia 343.
Artemas idem, qui Artemon 360.
Artis gesticulatoriae origo 116.
Arundine caput Jesu punctim petitum 59.
Ascendere, & descendere saepe pro *ire* ponuntur pro altitudine, seu depressione regionum, ad quas itur 44.
Asiarchae qui fuerint 126. tum eccur Pontifices dicti ib. & seq. nomen erat Praefecturae potius, quam Sacerdotii 127.
Attica lex de redemptione captivorum 308.
Augustorum amici qui 203. Eorum variae classes ib.
Aura pro favore quandoque ponitur 100. Aurarii iidem ac Favitores ib.
Auriscalpium quale fuerit antiquis 357.
Aurium prurigo morbus fuit veteribus cognitus 357.
Αὐτόματοι sunt aliquo membro mutilati, aut oblaesi 261.
Αἷμα nunquam plurium numero ponitur apud Graecos, praeter Helleniştas 169. Pro caede aliquando poni videtur, praesertim cum numero plurium effertur 170.
Αἰών saeculum aliquando pro vitae spatio positum 34.
Ἀνάγκη Helleniştis scriptoribus est calamitas 164. At ceteris Graecis est necessitas, quae cogit facere, aut desistere a faciendo 165. Vnde emanarit ea Helleniştae ἀνάγκης significatio 166. Eam vocem ab Syris Graecos mutuatos esse multis ostenditur ibid. Ejusdem originatio ab Syro-Chaldaico est arcessenda ibid. Eidem respondet Tyrrhenicum *Inenek* ibid.
Ἀνεζωσμένος idem, qui alte cinctus 299. n. (2)
Ἀνεσταλμένος alte cinctus 299. n. (2)
Ἀντίψυχοι pro aliena salute ultro morientes 193. & 202.
Ἄνωθεν est denuo 179. Vnde ejus significatio orta est ibid.
Ἀρχιερεύς multiplices habet significationes 274.

Digitized by Google

Ἄρχοντες τῦ λαῦ *Principes Populi* qui fuerint 110. c. 1.
Ἄρτος ἐπιούσιος proprie eſt *panis quotidianus* 21. & ſeq.
Ἀσθένεια eſt aerumna 332.

B

Babylon dicta eſt Roma in agrariis lapidibus 369.
Baptiſmatis i. e. Chriſtianae militiae cum ſaeculari militia convenientia 295. Sacramentum dicebatur item, ut militia ib. Vt in hac ſignaculum, ita in illo character accipiebatur ibid. In baptiſmate nomen mutabant ib. Cingulo militari i. e. Zona Juſtitiae praecingebantur ib.
Baptiſmo tingi in Jordanis aquis avebant veteres 10.
Baptiſmum ſanguinis vetus agnovit Eccleſia, idque variis argumentis oſtenditur 88. & ſeq. Baptiſmum Poenitentiae nonnullos etiam Prophetas adminiſtraſſe conjicitur 172. & ſeq. Eo tingebantur Proſelyti in Judaeorum Sacra tranſeuntes 182.
Baptiſmus dictus renovatio 363.
Baptizari in nomine Chriſti quid 237.
Barbari Graecis oppoſiti qui fuerint 301.
Beelzebub *Princeps Muſcarum*: cur ita dictus 32. & 33.
Benedicti nomen Latinis non inuſitatum, Chriſtianis frequentiſſimum 44.
Beroea rectius cum uno R, quam cum duplicato ſcribitur 264.
Bilingues tituli in ſepulcris, aut in nummis inſcribi conſueverunt 209.
Binomines multi inter Judaeos fuerunt, poſt quam Graecus ſermo in Palaeſtina vernaculus eſſe coepit 254.
Blaſphemias ſi quando audiebant Judaei, ac Chriſtiani cum veſtes ſcindebant, tum aures obſtruebant 249.
Bonae voluntatis homo neutiquam barbariem redolet 120.
Bracile quid ſit 29. n. (3).
Breviloquentia in precationum formulis 21. Ethnicis etiam praeſcripta ib.
Βασάζειν aliquando eſt auferre 7. & 25. & 216. & ſeq. In re botanica eſt vellere 218. c. 1.
Βίος aliquando pro ſaeculo ponitur apud Scriptores Eccleſiaſticos 372.
Βραβεύειν quid ſit 747.
Βουλαὶ Curiae in ſingulis Judaeae urbibus obtinebant 104. c. 1. & ſeq. τῆς βουλῆς munia externam politiam reſpiciebant 105. c. 2.

C

Cadavera interfectorum militum diligenter conquiſita, ut humarentur 250. Cadavera damnatorum a militibus vendi ſolita 86.
Caecus natus ad Hadriani febrientis contactum ſanatus 192. Ejuſdem facti falſitas ib.
Caeleſtis vox quid 259.
Caelibatus clericorum aevo Apoſtolico uſitatus aſſeritur 354.
Caemeteria pro ſepulcris Chriſtianorum propria 194. Ejus nominis cauſſa ib.
Caenacula Romae inquilinis elocari ſolita 280. Caenaculum, in quod Apoſtoli aſcenderunt in Templo Jeroſolimitano poſitum fuit ib. Ibi Proſeuchae conſtrui ſolitae ib.
Caeſarea eccur Judaeae Metropolis evaſerit 274.
Calceamenta portare interdum idem eſt ac auferre 7. Solebant ſervi Dominis, Magiſtris diſcipuli calceos auferre 8. Hinc inductum, ut Hypodiaconi Epiſcopis calceos ſolverent ib.
Calceorum pleraque nomina ab Thuſcis accepta 289.
Calicem Dominicum temperaſſe Chriſtum minori vini portione vero ſimilius eſt, idque veterem Eccleſiam etiam uſurpaſſe conjecturis oſtenditur 76. & ſeq.
Caliga orientalis originationis vox 286. c. 2. ab Thuſcis ad Italos derivata 290. c. 1.
Calumniam facere aliquando eſt fraudulenter aliquid ſurripere 129. Calumniae fiſcales quid ib.
Calumniari eſt quandoque damnum inferre 129.
Capit pro *Conſentaneum eſt* 145.
Capitis motus eſt aut inſultantis, aut deridentis, aut etiam exultantis 60.
Cappadocia olim varie variis temporibus diviſa 235.
Capſa unde deſcendat 95. c. 2. & n. (10).
Caput Chriſti arundine percuſſum non caeſim, ſed punctim 59. tum *caput* ibi latius ſumendum etiam pro facie ib.
Caro, & ſanguis Judaica locutio ad hominem ſignificandum 37. Item caro cum piſcibus, tum pulpae olivarum, ac pomorum attributa eſt 324.
Ceramicum unde dictum 55. Ceramicum ſepulcrum erat extra urbem Athenas extructum, ubi milites bello interfecti ſepeliebantur ibid.
Chaldaei nomen interdum non gentis, ſed Profeſſionis eſt 245.
Chriſtiani ſuo quique nomine compellati in conventibus ſacris in veteri Eccleſia 193.
Chriſtus Apoſtolus Hebraeorum dictus 36. & 37.
Cinctus, cujus formae fuerit 298. c. 2.
Cinctuti quid proprie 229. n. (10).
Civem Romanum nefas verberare, niſi prius ei judicata perduellione 264.
Clavis ſcientiae, cujus meminit Lucas X. 52. quid ſit. 163.
Cleri vox Apoſtolorum aevo nondum propria miniſtrorum Eccleſiae evaſerat 309.

Digitized by Google

Clerici vocabulum ecquando primum apud Latinos, & Graecos increbuerit 233.
Collegia, Corpora, Curiae &c. de quibuſdam controverſiis ipſi inter ſe judicabant 311.
Columbae vice legatorum functae 10. & ſeq.
Commodare de iis etiam rebus dicitur, quae non eaedem reſtituuntur 142.
Conciones in montibus eccur habuerit Chriſtus 14. Tum conciones ab Luca in Act. Ap. relatae non commentitiae ſunt ut ceterorum hiſtoricorum, ſed ipſiſſimae, quas Apoſtoli habuerunt 231.
Conductum, in quo Romae Paulus biennio manſit, quid ſit 279.
Confeſſio baptiſmati Joannis praemiſſa 6. Item Confeſſio publica baptiſmati praemiſſa 268. Sed ſubinde Cathecumenorum confeſſio privatim facta eſt ibid.
Confeſſionis ſigna ſunt vibices, & cicatrices, quae Confeſſorem teſtatum faciunt 217. c. 1.
Confeſſorum frontes ad ignominiam ab Gentilibus perſecutoribus notatae 377.
Conflagratio Mundi Gentilibus etiam cognita 370.
Conjugum aequata ſunt jura lege Evangelica 312.
Conſalineus quid? 231.
Conſilium pro ipſo ordine, atque collegio conſiliantium 101. c. 2.
Conſtantini Magni fabuloſi baptiſmatis origo detegitur 371.
Conſtantinopolis appellata *Civitas magna* per antonomaſiam 380.
Convenire: *antequam convenirent*, quid 2.
Converſio pro converſatio, & viciſſim 344. & ſeq.
Convertere pro pervertere 336.
Convivia cum ſacrificiis conjuncta apud veteres 255. Convivia virorum bonorum viros itidem bonos non invitatos frequentare olim vitio non vertebatur 175.
Cornelium Centurionem eccur renuerit baptizare Petrus Apoſtolus 66.
Corporis Chriſti veritas in pane Euchariſtico proditur inſigni teſtimonio Hieronymi cujusdam Graeci ſcriptoris 50.
Cothurnus unde dictus 288.
Crepida graecae originis eſt 290. militum propria ibid.
Cretenſes Prophaetae qui fuerint 359. Cretenſes eccur mendaces dicti 360.
Crurifragium orientalium proprium 212.
Crypta Neapolitana Senecae memorata 142.
Cubicula in domibus quid 20. Cubicula in Eccleſiis quid ibid.
Curiae quales obtinebant per Graeciam, atque Italiam, in Judaicis etiam urbibus erant 104. & ſeq. Iis curiis nihil commune erat cum ſynedrio ibid. In ſingulis urbibus obtinebant 104. c. 2. Diverſae erant ab judicialibus conventibus, qui in ſingulis urbibus dicebant jus 105. c. 1. Ad curiales pertinebat adminiſtratio civilis, exactioneſque fiſcales 106. c. 1. Judaei curiales plerumque Sadducaei erant 106. n. (26) Curia Hieroſolymitana intra Templum erat 107. c. 1. n. (29).
Curioſi iidem, qui Magi: Curioſitas, Magia 269.
Καταβραβεύειν eſt perverſo judicio aliquem praemio defraudare 346. & ſeq.
Καταπέτασμα exterius ne, an interius templi velum fuerit 61. & ſeq. Quid idem vocabulum in veteri Eccleſia notarit ibid.
Κατάγω eſt deſcendere facio 253. & 271.
Καταλύειν quid ſit 328.
Καταδράτιον unde deducendum, tum quae ejus ſignificantia 95. c. 2. & ſeq. Ea veſtis plane colobio reſpondet ibid.
Κεκλῆσθαι quandoque reſpondet latino τὸ eſſe 17.
Κεκλημένος eſt conviva 45.
Κῆπος eſt a Καπη Praeſepe 220. c. 1. Ea vox apud Jo: XIX. 41. non hortum pomarium ſignificat, ſed aream ſepulcralem, in qua Chriſtus ſepultus eſt 222. c. 1. Eadem ſignificatio uſurpata in ſepulcralibus inſcriptionibus ibid. & ſeq. Inde Cepothaphium dictum eſt ipſum ſepulcrum, pro quo male quidam cenotaphium ſubſtituerunt ib. & ſeq.
Κηρίκι quid ſint 91. c. 2.
Κήρυξ quid ſit 351.
Κομίζειν eſt ferre, & auferre 217. c. 1.
Κόττος *il cotto* ludricri genus, quo capite obnupto aliquis, quis ſe percuſſit, conjiciens victor exiſtit. 54. Ita per ludibrium Jeſu capto illuſerunt ſatellites ibid.
Κράτιστος *Optimus* Magiſtratum titulus ſub Caeſaribus fuit 112.
Κυριολογεῖν quid ſit apud Eccleſiaſticos Scriptores 316.
Κώμη eſt urbs ſine moenibus 29.
Χειροθεσία de conſecrandis miniſtris dicebatur 284. In civilibus etiam magiſtratibus conſtituendis uſurpata fuit ibid.
Χειροτονία proprie eſt electio 333. De iis electionibus dicebatur, quae ſuffragiis inibantur 284. Chirotonia tamen dicebatur etiamſi unus, non plures eligerent ibid.

D

Daemones dicti dii Gentium 264.
Damnati ad mortem ſuccingebantur pudoris cauſſa 213.
Damnatorum cadavera vendi a militibus ſolebant 86. Eorumdem etiam ſpolia militibus cedebant 210. Sed coërcita deinde haec licentia ibid.

Digitized by Google

Dare gloriam Deo quid notet in S.Script. 260.
Debere: elegans uſus, quum de incorporeis rebus uſurpatur 306.
Decemprimi primores erant cujuſque curiae 105. c. 1.
Decuriones nihil commune habebant cum LXX. virali Synedrii concilio 104. c. 1. & ſeq. Ejus nominis origo 107. c. 2.
Dedicare mandata quid 5. Dedicare in ſacrum ea, quae parentum alimentis debebantur, vetitum erat Judaeorum aeque, ac Romanorum legibus 36.
Deduco eſt deorſum duco 253.
Democritus Abderites mellis odore, atque halitu vitam in plures dies produxit 217. c. 1.
Demoſthenis duo loca de Tetradarchiis, & Decadarchiis inter ſe conciliata 161. n. (3).
Deſcriptio Judaeae num ab Sulpicio Quirino primum facta ſit 117. Tertulliani, ac Juſtini M. teſtimonia conciliantur ibid.
Diei Dominicae otium ferme ad conſilium, non ad praeceptum apud veteres pertinebat 80.
Dierum artificialium exordia unde ceperint Babylonii, Judaei, ac Romani 64. Dies illuceſcere quid apud Hebraeos notarit ibid.
Dies magnus pro feſto Paſchatis poſitus 211. Dies ſaepe numerati, prout aberant propius longiuſve ab ſolemni aliquo Feſto, Paſchate cum primis 197.
Dii novi Athenis ejecti 264.
Divertere ab viro uxori non licitum lege Moſaica, veterique ethnicorum inſtituto 312.
Divinitas Chriſti in hymnis Eccleſiaſticis aſſerta ab veteribus 325.
Divortii legitimi non unae, eaedemque cauſſae ex Judaeorum opinione 40. Diverſae Sameae, & Hillel ſententiae ibid.
Docibilis activa ſignificatione 358.
Dolores pro funibus 236.
Domicilium pro carcere 258.
Dominos amici ſe invicem ſalutabant apud Orientales 197.
Dominus Praenomen Chriſti proprium 317. & ſeq.
Domus pro quovis loco accipitur 177. Domus Zenodori pro Regione Zenodoro ſubjecta 259. n. (1).
Dormire in pace, ſive in Domino pro mori 195. Ea verba Chriſtianorum ſepulcris inſcribi ſolita ibid.
Dormitorium aeternale quid 194.
Duumviris Coloniarum an permiſſa modica coercitio 263.
Δεισιδαιμονία Superſtitio in bonam aeque, ac in malam partem accepta 265.
Διαζώσασθαι quid ſit 227. & ſeq.
Διαζωμάτης quid ſit 298. n. (1).
Διατριβόταμοι quinam fuerint apud Athenienſes 181.
Δικαίος pro ἐλεήμων poſitum ad Matth. cap. 1. 19. 2. & 371.
Δικαιόω apud Helleniſtas quandoque eſt *juſtum oſtendo* 32.
Δίκροσσον quid? 92. n. (3).
Δίψυχος quid ſit 364.
Δόξα pro luce 302.
Δοξάζειν pro glorificare uſurpatum etiam ab profanis Scriptoribus 16. & 157.

E

Eccleſia ab Helena Conſtantini matre in montis olivarum vertice aedificata 47. & ſeq.
Ejicere aliquando eſt in vulgus ſpargere 133. & ſeq.
Emendari quid ſit? 156.
Enim adverſandi aliquando vim habet τὸ At reſpondentem 56.
Epiſcopi ob grave crimen ſedibus dejecti, quamvis ſedes ſuas adhuc per vim occuparent, tamen *olim Epiſcopi* dicebantur 153.
Epiſcoporum nonnullorum exempla literas ignorantium 169.
Eſſe ſub Ficu, aut habitare ſub Ficu pro domi ſuae quietum degere 174.
Eunuchi alii naſcebantur, alii fiebant 41. Hi non ad muſicos uſus, ſed ad aulica miniſteria factitabantur ibid. Tertium Eunuchorum genus, qui ſe ipſos caſtrant propter regnum caelorum, ad clericos referendum Eccleſiaſticae aulae miniſteriis mancipatos ib. Plurium Eccleſiaſticorum virorum exempla, qui Chriſti verba αὐτολέξει interpretantes, ſeipſos evirarunt 42.
Ἐγκυκλοποσία compotatio ex eodem calice orientalibus uſitata 50. Critiae locus inſignis 30.
Εἶκη quot habeat ſignificationes 17. quaenam ejus originatio 16.
Ἐλευθερία libertas peculiare, privilegium certis urbibus ſub Imp. Rom. conceſſum 338. Eo caruit Hieruſalem ibid.
Ἐπενδύτης qua Petrus nando ad Dominum pergens ſe ſuccinxit, eſt Tunica brevior ſuperaria, plerumque linea 225. & ſeq. Quod diſcrimen intercedat inter haec tria Ὑποδύτης, Ὑποδύτης, & Ἐπενδύτης ibid. n. (1). Ἐπενδύτης aut eadem, ac Exomis, aut Exomidi ſimillima fuit. 227. c. 1. Ea Petrus ad lumbos ſeſe praecinxit, ut expeditiores nando haberet manus ibid. c. 2. An Petrus omnino nudus fuerit, priuſquam ependyte cingeretur 229. c. 2.
Ἐργάζεσθαι eſt eleemoſynam impertiri 373.
Ἔργον proprium agricolationis verbum 186.
Εὐαγγελίζειν quid ſit, tum quot modis conſtruatur 336. aliquando eſt triſtem nuntium afferre ibid.

Εὑρεῖν pro *consequi* 22. & seq.
Εὑρίσκειν pro comperire 310.
Εὐσχήμων *Clarissimus* honoris titulus 104. c. 1.
Εὐφραίνω est quandoque epulor 144.

F

Fasciae sepulcrales erant Sindones in segmenta, ac taenias scissae 91. c. 2.
Felices dicebant mortuos Romani per euphoniam 379.
Feminae Clarissimae virorum Clarissimorum uxores erant 104. n. (17).
Feriae eccur dicti hebdomadis dies 270.
Ferre pro auferre 218. c. 1.
Ficus: esse, habitare, sub ficu 174.
Figuli ager quid sit 54. & seq.
Finis: *ad finem* pro usque ad Finem 199.
Fiscales calumniae quid sint 129.
Frontes Confessorum notatae ab Gentilibus ad ignominiam 377.
Φακιόλιον *il Turbante* 97. (14) idem, ac semicinctium 300.

G

Galatae, sive Gallograeci patrio instituto a suilla carne abstinebant 337.
Galilaei inter Judaeos omnium despicatissimi 233 Ita dicti per contemtum ab Ethnicis Christiani ibid.
Genealogia Lucae a Ligfooti cavillationibus vindicatur 130. & seq.
Genealogiarum texendarum diversa methodus Graecorum, atque Hebraeorum 130.
Gentes in veteri Testamento sunt quicunque extra foedus erant, quod cum Judaeis pepigerat Deus 294.
Gentiles eccur dicti quicunque Christianae Religionis expertes erant 295. Eccur iidem Pagani appellati ibid.
Gentium nomine & Judaei & Gentiles veniunt apud Matth. XXVIII. 19. 65.
Gesticulatoria ars ab Orientalibus primum exculta, deinde in latium per Thuscos propagata 116. n. (*).
Gladius meri imperii insigne 306.
Grabati vocem eccur usurpare noluerit Triphyllius in publico Episcoporum conventu 188. Vnde ea vox descendat ibid.
Graeci sub extrema Reipublicae Hebraicae tempora dicebantur, quicunque extra Judaicam Religionem erant 294. Graeci quomodo barbaris oppositi 301.
Guttae sanguinis ab Luca memoratae non sunt sollicitandae, neque *quasi grumi sanguinis* vertendum 154.
Γενήματα pro terrae fructibus 331.
Γλωττοκομεῖον quomodo differat a γλωττόκομον 215. Hoc postremum erat arcula oblonga, & angusta, quae ligulam superne habebat, per quam nummi demittebantur ibid. & seq. Huic similis arcula prostabat etiam in Templo Jerosolymitano stipem ultro erogatam receptura ibid.
Γναμψοὶ sunt discipuli 157.
Γνῶσις *Scientia* saepe in N. T. est ratio interpretandi scripturas mystico sensu, ac per traditiones Judaicas 163. Ea ratio *clavis scientiae* dicebatur ibid. Haec scientia magni fiebat Apostolorum aevo ibid. Pseudobarnabas potissimum eam commendat ibid. & seq. Ob id merito ut Pseudopigraphum ejus epistolam habent Eruditi ibid.

H

Haceldama Ager sanguinis adhuc dum latinis notus anno 1143. 55.
Haeresis in bonam partem olim accipiebatur: in malam vero post depraedicatam Christi doctrinam 240. & seq. Ceterum etiam nonnulli ex Christianis Scriptoribus haeresim in bonam partem acceperunt ibid. Haeretici qui erant inter Judaeos, non existimabantur esse extra Synagogam 241.
Harpocratonis Grammatici locus de Tetrarcharum origine explicatus, atque illustratus 160. n. (3).
Hebdomadis dies a sabbato ordinalibus numeris denominabant Hebraeorum exemplo Christiani veteres 270. Eccur iidem *feriae* dicti ibid.
Hebraismis eccur delectetur quandoque Lucas Evangelista 166.
Hebraei graecis nominibus usi 245.
Hellenistae erant Hebraei, qui graecorum mores, ac linguam, quatenus patriis institutis non adversarentur, aemulabantur 244.
Hereditates ignotorum ab nonnullis Imperatoribus recusatae 36.
Herodis Tetrarchia Galilaeam, & Peraeam complectebatur 159. Eccur Lucas unius Galilaeae meminerit ibid.
Hieronymi Graeci Scriptoris aetas 267.
Hispani soliti pro amicis morti se devovere 202.
Honestae mulieres erant uxores virorum Clarissimorum 104. n. (17).
Honor latinis est aliquando Honorarium, sive praemium 355.
Hortus est ab Graeco χόρτος *septum* 220. c. 2. Hortus, in cujus monumento Christum tumulatum fuisse tradit Joannes, erat Arca sepulcralis in rupe excavata, nullis arboribus consita, nisi forte Cupressinis, & muro aut maceria septa, quae hortulus etiam dicebatur ibid. & seq. Inscriptiones sepulcrales plurimae id ipsum produnt 221. & seq.
Hunnerici Vandalorum Regis fraus 19.
Hymni Pauli Samosateni damnati 326. Hymni Ecclesiastici jam inde ab Ecclesiae primordiis cantari soliti 325.

Hymi-

Digitized by Google

Ἀμπέβιον unde sic dictum 98. c. 1. Ejusdem formae, ac sudarium fuit 96. & seq.

I

Idolum quid sit 316.
Jejunium vulgare Judaeorum, uti & Christianorum veterum diurnum erat, ac vespere solvebatur 67. & seq. Quandoque in duos dies protractum ibid. Si quando diurnum erat, ac nocturnum Ὑπέρθεσις *superpositio* dicebatur ibid. Discrimen inter Jejunium *Naturale*, & Ecclesiasticum quando usuvenerit 68. Jejunantes nihil omnino ante vesperuginis ortum degustabant, tum ab vino, piscibus, & carnibus abstinebant ibid.
Jentare solebant veteres, si quando ob negotia prandium omittendum foret 232. Ac tum aut nihil, aut pauxillum vini degustabant 236.
Jeremiae vaticinium: *Vox in Rama* &c. litterali etiam sensu de caede Bethlehemitica accipiendum 4 & 5.
Jerosolyma singulari ne, an multitudinis numero enunciata olim fuerit 3. Ea urbs libertatis privilegio caruit 338.
Ignis Matth. III. 11. pro martyrio ponitur 8.
Ignotorum hereditates ab optimis Romanorum Imperatoribus recusatae 35. & 36
Ignotus Deus Celtiberis etiam adoratus fuit 266.
Illucescere dies quid apud Hebraeos significarit 64.
Imperium, & Potestas in quo discriminentur 208.
Implere legem, Latina locutio 306.
Impletio manuum quid sit 285.
Imprecatio erat certa precum formula in ordinandis Sacerdotibus usurpari solita 285.
Incolatus pro temporaria habitatione 366
Interpres Latinus novi T. Hebraeus aliquis fuisse, aut certe alio sub caelo, quam sub Italo ortus conjectando dicitur 204.
Interpretes sermonum apud Hebraeos, atque apud Christianos veteres adhibiti 321.
Johannes Baptista quomodo venisse dicitur in spiritu, & virtute Eliae 113.
Johannes Evangelista cognomento veritatis Praeco dictus 172 Item Theologus 374.
Jonium mare pro Adriatico, & contra Adriaticum pro Jonio 277.
Josephi ab Arimathaea harmonica narratio quatuor Evangelistarum commentariis illustrata 101. & seq. Is dives erat, utpote Decurio ibid c. 2. Eccur ejus divitiarum meminerit Lucas ibid Eccur dicatur fuisse ab Arimathaea Civitate Judaeorum 102 c. 1. Occulto Christum sequebatur 103. c 1. Eccur audacter Christi Corpus petiisse fertur ibid. Nobilis merito dictus 103 & seq. Decurio Jerosolymitanus fuit 104. c. 1.
Isacoproti *viginti primi*, cujusque curiae, & *Isacoprotia* munus ipsum viginti primatus 105. n. (19).
Isaiam eccur citarit Marcus pro Malachia 79. & seq.
Italia antiquissimis temporibus Arictim accepta pro Magna Graecia 8 n. (*)
Judaei significatio quaenam in novo foedere 4 Versio Itala: *& tu Bethlehem* terra Judaeae vindicatur ibid.
Judaei Motis discipuli dicti 191 Eorum constantia in sequendo Magistro ab Gentilibus notata ibid.
Judaeos eccur minus, quam Christianos oderint Gentiles 74. & seq.
Judicium universale proprius abesse opinabantur veteres Christiani 185.
Jusjurandum vetuere etiam Ethnici 19 Per quas potissimum res inanimatas idem jurarint ibid.
Juvenalis locus duplex, ubi de Judaeorum Proseuchis agit, illustratur 69. & seq.
Juvenes quarto Ecclesiae saeculo dicebantur Acolyti, Copiatae, Parabolani &c. qui nec clerici erant, nec saeculares 240.
Ἰδιῶτ. pro salutare 264.

K

Kalendas Graeci efferebant semper casu patrio, & Latini etiam accusandi casu 196.

L

Langobardorum lingua dare cui urbem ad habitandum: est ejusdem dominium ei tradere 159 n (1).
Lapidatio extra urbium portas fieri solita 249.
Lapsi sive in Idololatriam, sive in gravia crimina etiam ab mensa excluso ab antiquis Christianis 301. Lapsis veniam ut indulgerent Martyres unde derivatum 312.
Legere etiam veteres consueverunt, cum curru, aut lectica veherentur 251.
Leontius Phryx suis se manibus exsecuit 42.
Levare manus est eas in crucis formam sursum attollere, quod in Ecclesiis praesertim ab orantibus Christianis factitatum 352.
Lex Attica de redemptis ab hostibus cujus forent 308.
Libertinae conditionis hominibus sub Caesaribus aditus patebat ad minores magistratus 112.
Libertas peculiare privilegium certis urbibus concessum 338 Eo caruit Jerusalem ib.
Libri in vatis fictilibus digesti 329.
Linteum Syndon ministerialis, quo servi mensae ministrantes succingebantur 299. & seq.
Literas scire quid sit 189. Exempla aliquot Episcoporum, qui literas nesciebant ib.
Literati servi quinam fuerint 189.
Loci novi in re sepulcrali quid 224.
Loculi, quos Judas habebat, cujus formae

fuerint 215. & ſeq.
Locus pro ſpatio 305. Interdum pro ſorte 281. Item apud profanos Scriptores gradum, ſive dignitatem ſignificat 282. n. (*) & apud Eccleſiaſticos ordinem Epiſcopatus ſcilicet, presbiteratus &c. ib.
Lotio manuum inter coenandum Graecis non ſecus, atque Hebraeis uſitata 35.
Luceſcere Matt. XXVIII. uſurpatum, non de die, ſed de nocte, quae diem Dominicum praecedebat intelligendum eſſe multiplici argumento oſtenditur 63. & ſeq.
Lucas nomen eſt contractum ex longiore 111. Ab Lucillione, an ab Lucio, an vero ab Lucano ſit arceſcendum ibid. Idem Matthaeo conciliatur 143. Eccur Hebraiſmis aliquando utatur in Evangelio, atque in Actis Apoſt. 166.
Luſtrationes ſolemnes praeter Judaeos, Gentiles etiam habebant 176.
Lydda urbs maritima ad Septentrionem Joppes ſita 253.
Lyſania Abilenae Tetrarcha 159.
Λαμβανειν eſt ſibi arrogare 184.
Λαος Populus a λαας lapis 7. Saepe in Scripturis hyperbolicae locutiones e Lapidibus ſumptae ibid.
Λινεον eſt ab Latino *linteum* 199. Qui ejus uſus in menſis ibid.
Λογιον quid 27.
Λογος *verbum* apud Graecos duplex erat aliud mente conceptum, aliud prolatum 168. Rectius ſecundam Trinitatis perſonam exprimunt Graeci per λογον, quam Latini per Verbum ibid.

M

Macedonia adjecta quid 262.
Magiſtratus Templi paſſim in Evangeliis, & apud Joſephum memorati ipſi Hieroſolymitani Duumviri erant, qui Curiae praeerant 109. Ii praeter urbanos milites cohortem etiam a praeſide accipiebant, ut ea in magno paſchatis feſto turbas compeſcerent ib. Haec cohors una cum Pontificum miniſtris Chriſtum prehenderunt ib.
Magus & dignitatis, & profeſſionis nomen 2. Quaenam ipſorum patria, ib. & ſeq.
Malchus frequens apud Palaeſtinos, Syroſque nomen 206.
Mandata dedicare quid 5.
Manicare, manifeſtare quid ſint 152.
Manu, non fuſcinulis, aut acetabilis cibum capiebant veteres 49.
Manuum lotio ante coenam Graecis, ac Judaeis uſitata 35. Manuum impletio, ſive traditio Inſtrumentorum in conſecrandis Haronicis Sacerdotibus adhibita 285. Idem factitatum ab Eccleſia ib.
Manus lavare iis ſollemne erat, qui patratae caedis immunes videri volebant 56. Tum Romani Judices, ſi quem innocentem condemnare vi adigebantur, hanc formulam uſurpabant. *Innocens ſum a ſanguine* 57.
Maran Atha formula magnae excommunicationis inter Hebraeos eccur Enocho attributa 374.
S. Marcus Evangelium Graece ſcripſit, illudque non dictante Petro, ſed per ſe exaravit 79.
Mare quaevis aquarum collectio dicta eſt 13.
Martha, vocabulum Babylonicum *Dominam* ſignificans 41. Julia Severi uxor Martha itidem appellata ib.
Martyrum corpora ut ſepelirentur diligenter procurabant Chriſtiani 250.
Matthaeus Evangeliſta cum Iſaia conciliatus 25. & ſeq.
Medicina verbalis veteribus uſitata 24.
Mel, & lac eccur propinatum receus baptizatis 366.
Melitenſium origo ab Phoenicibus arceſcenda 278. Maxime ob opus textrium laudati ib. Melitenſis Inſula Siculo Practori ſubjecta ib.
Melito Sardicenſis an ſe evirarit 42.
Meſſaliani unde dicti 71. c. 1. & 75. c. 1. & 216. c. 1. & ſeq.
Meſſis quibuſdam in regionibus intra duos, aut tres menſes a ſatione colligebatur 186. & n. (*). Apud Judaeos intra quadrimeſtre ib.
Metretae quantum vini coeperint 177.
Militiae ſecularis pleraque communia erant cum militia Chriſtiana, i. e. cum baptiſmate 295. Nefas ſibi putabant veteres Chriſti militiae addictos Caeſarum militiae nomen dare ib. Ejus rei ratio ib.
Militum cadavera humari religioni ducebant commilitiones 250. Milites domeſticis miniſteriis addicti, ac quaſi apparitores ſub Imperatoribus 255.
Miniſtratores, & Miniſtrae quid ſint 344.
Miſericordia pro Eleemoſyna 143.
Miſericordiae ſedem Ethnici in genibus, Hebraei in viſceribus poſuere 116.
Mittere manum in Scriptura pro malum inferre 258.
Moeſilea, aut Maeſelia idem, ac Mauſolea 221. n. (3).
Montibus ſaepe humana membra ab Scriptoribus attribuuntur 132.
Morentium pro aliena ſalute exempla apud Gentiles 193. Vnde id inſtitutum profluxerit ibid. Vide etiam 202. ubi plura ejuſmodi exempla congeruntur.
Mors ut poena habita ab Gentilibus poſt Chriſti

Digitized by Google

ſti demum fidem diſſeminatam 302.
Moſes omni ſcientia Judaeorum eruditus 247. Inter Magnos Egyptios ab Gentilibus accenſitus 357.
Moſis diſcipuli ab Gentilibus appellati ſunt Judaei 192.
Mulierum aliquot exempla ſtatim a partu factus ſuos curatum 119. Mulieres honeſtae quae fuerint 104. n. (17).
Mulleus calceamenti genus: a Mulli ne piſcis colore, an ab Oriente ejus originatio ſit arceſſenda 288. Coloris erat punicei, & cum obſtragulo ibid.
Mundi extrema conflagratio Gentilibus etiam cognita 370.
Mundus varia notione ſaepe ponitur in Evangeliis 169.
Muſtum, quo ebrios Apoſtolos falſo criminabantur Judaei, erat vinum decoctum Latinis non uſitatum 236.
Mutatoriae veſtes 30.
Μακάριοι beati apud Graecos per euphoniam dicti ſunt mortui 379.
Μαθητεύειν cum tertio caſu eſt alicui magiſtro ſeſe addicere 102. n. (2).
Μαρτύρειν aliquando eſt certum reddere 372.
Μεγαλόπολις dicta eſt Roma 380. Itidem Conſtantinopolis ibid.
Μερίς eſt portio, quae cuique convivae apponitur 41.
Μεσημέρημα quid ſit 381. An plane verbum Alexandrinum ibid. n. (*).
Μετανοεῖν quid ſit 332. Saepe cum particulis *ἐπὶ, περὶ, ἀπὸ* conjungitur ibid.
Μετοικίω migro pro *μετοικίζω* migrare facio 246.

N

Nannacus Suidae memoratus eſt Noacus Hebraeorum 369.
Neceſſitas apud Latinos eſt id, in quo non eſt ceſſandum, ſive ſine quo vivi non poteſt 165. Neceſſitas Horatio Flacco ſaepe memorata eſt Fortuna Dea Etruſcis *Nortia* dicta ib. In ejus Deae templo clavi ſuſpendebantur annorum vitae cujuſque indices ibid. Eccur eidem Flaccus cuneos, uncos, & liquidum plumbum attribuat ibid.
Noe eſt Gentilibus Nannacus 369.
Nomen Agni eccur Chriſto attributum 173. *Nomen* abſolute poſitum pro Deo, aut Jeſu Chriſto 238. & 244. Baptizari in nomine Chriſti quid ſit 237.
Nomina quaedam metaphoricam ſignificationem primo praeſeferunt, propriam ſecundo 183. Nomina avita infantibus indere mos receptiſſimus fuit cum apud Romanos, tum etiam apud Graecos, & Hebraeos 115.
Nomine Pontificum anni deſignabantur apud Aſiaticos 126.
Nominibus Graecis Hebraei uſi ſunt 245.
Numerus Cardinalis pro ordinali poſitus apud Hebraeos, Graecos, & Latinos 196.
Nummis nomina Pontificum ad ſignandos annos inſcripta 126.
Nuncii pacis pulcris calceis induti incedebant, contra nudipedes 343.
Nuptiae ſecundae improbatae ab ipſis Ethnicis 315.
Νεόφυτος quid ſit 352.
Νόμος ſingulari numero pro lege Moſaica 350. *Νόμος κείμενος* eſt lex ſcripta ibid.

O

Ocrea Tuſcum vocabulum eſt 389.
Occupare quid 320.
Odiſſe ſermone Orientali eſt minus amare 146.
Officium quid ſit, tum unde deſcendat 114. & n. (*) Eccur curſus Eccleſiaſticus Pſalmodiae, & ſacrificii officium dicatur ibid. & 204. Obficium medio aevo pro officium uſurpatum 204. Officium aliquando ponitur pro magiſtratuum apparitoribus ibid. n. (*). Sicuti apud Eccleſiaſticos pro minoribus Clericis 205.
Ollae virgines in re ſepulcrali quid 224.
Oneſimus Philemonis ſervus an Epheſi Epiſcopus fuerit 361. Quid graece id nomen ſignificet ibid. n. (**).
Operari apud Eccleſiaſticos Scriptores pro Eleemoſynam facere 373.
Opinatus quid 16.
Orarii vox recens apud Romanos 99. c. 2. Ejus forma, & uſus idem, qui ſudarii ibid. Etymon 100.
Oratio ad unum directa ſaepe ad plurativum numerum inflectitur, ſi quando, quod uni dicitur, ad plures pertinet 174. & ſeq.
Oratores manu extenſa orationem auſpicari ſoliti 276.
Ordinare apud antiquos eſt eligere, ſive creare 333.
Ordinatio num ab ordine deſcendat 334. & ſeq. Ecquando pro conſecrationis munere accepta ibid. Sequioribus etiam temporibus ordinatio pro electione poſita fuit ibid. & ſeq. Ordinationes irritae quo ſenſu intelligendae ſint 335.
Ordo pro Sacramento Ordinis quando poni conſueverit 334. Proprie olim notabat Clerum velut Eccleſiae Senatum ibid.
Origenes ſe ipſum eviravit 42.
Oſtendere apud veteres Deus dicitur, quum per quietem, aut aliquo oſtento voluntatem ſuam aperit 234. & 252.
Οἰκεῖος quid ſit 340.
Οἰκέτης quomodo differat ab *δοῦλος* 307.
Οἴκημα domicilium per euphoniam dictus eſt Carcer Athenis 258.

Digitized by Google

Οἰκουμένη orbis terrarum pro Judaeorum terra habitabili ponitur ab Luca 117.
Ὀποδοτάδιος brevis tunica, quae non praecingebatur 228. n. (8).
Ὀῤῥίζω quid sit 152.
Ὀψὲ interd m est *post* 62.
Ὄψον praecipue piscem notat 189.

P

Pagani ecquando coepti dici, qui Christo nomen non dederant 296. Eccur ita appellati 295.
Palaephatus proverbio dicitur is, qui rebus incredibilibus fucum facit 266.
Palmae eccur victorum insigne habitae 377.
Pannicularia quid sint 210.
Panis ἐπιούσιος quid sit 21. & seq.
Paradisus vox Persica septum, aut conseptum agrum significans 220. n. (2). Paradisi dicta sunt etiam *vivaria*, sive septa, ubi vivae ferae detinebantur amoenioris venationis caussa ibid.
Parere tantumdem est, ac apparere 254.
Pascha, in qua agnus mactabatur, num in XV. an XIV. Lunae diem inciderit 159. Objectio solvitur ibid. Tum Pascha cum additamento *Judaeorum* positum, ut a Paschate Christianorum discriminaretur 198. Pascha etiam feminini generis apud veteres fuit 123. Phascha etiam enunciatum ibid.
Pathmus cum aspiratione legendus 375.
Pecunia olim in vasis fictilibus asservata 328.
Percipere absolute positum pro percipere, seu suscipere Baptismum 180.
Peripsema quid sit 310.
Pero unde ita dictus 288. Calceus erat e crudo, ac setoso corio confectus sine obstragulo, qui proinde corrigiis innodabatur ib.
Petrus Apostolus Cornelium Centurionem eccur tingere recusarit 66.
Pharisaei maxime omnium quaestuosi 69. & seq. Eorundem zelus in comparandis Proselytis 72. & seq.
Pisces olim jejunantibus interdicti. Eorum usus vulgaris fuit apud Veteres 68.
Platonici Philosophi habiti suorum corporum inimici 198.
Pneumatici qui dicti fuerint 339.
Poenae saepe in longum tempus a Deo differuntur 48.
Pollinctura cadaverum muliebre officium fuit 158.
Pontifices alii in annum creabantur, alii in perpetuum 207. Ab Romanis derivatum, ut Judaei Pontifices in annum crearentur ibid.
Pontificum nomine anni consignabantur apud Asiaticos 126.
Portare aegrotationes quid apud Matth. VIII. 17. 25. Tum portare aliquando est auferre 217. c. 2. Plures Scripturae loci illustrantur, ubi Latinus interpres portare pro auferre posuit ibid.
Portae Vrbium apud antiquos non singulares uti nunc, sed binae erant 136.
Potestas, & Imperium in quo differant 208.
Praesens tempus non raro ponunt Graeci pro paulo post futuro 185.
Praesepe rectius, quam praesepium dicendum 119. & seq.
Praesides provinciarum sententiam in SS. Martyres nonnisi adhibito consilio pronunciabant 275. Item Praesides minoribus provinciis Praefecti 54. Hinc *Praesidiales Provinciae* ibid.
Presbyterium quid sit 353.
Pressura quid apud profanos, quid apud sacros Scriptores significet 152.
Primogenitus quid 2.
Principes populi, principes Judaeorum apud sacros Scriptores sunt principes Curiae, sive Decemprimi 110. c. 1. & 2.
Principium aliquando ponitur pro a principio 191. n. (*).
Profiteri verbum est censuale 118.
Prophetas suos Gentiles etiam jactitarunt 359. n. (*). Prophetae Cretenses qui fuerint ib.
Proselyti cum Judaismum amplectebantur, baptismo tingi consueverunt 182.
Proselytos portae nefas Judaeis in sacrorum communionem admittere 256. Aut ad eorum convivia accedere 257. Σεβόμενοι, timentes Deum vulgo appellati 261.
Proseuchae unde dictae 70. c. 2. Ea aut cespititiae erant ad amnium ripas, atque inter nemora constitutae, aut opere coementitio factae 69. c. 2. Ibi Judaei desidiosi stipem rogabant, atque agapas agebant 70. c. 2. Christus in proseucha orans pernoctasse dicitur 133. Proseuchae eccur supra montes extructae 133. in iis noctu lucernae accensae 270. Ea etiam in editis coenaculis statuebantur 280. Ejus rei ratio ibid. Plerumque juxta flumina extruebantur 391. c. 1. In iis cuneatim, ut in Theatris adsidebant ibid. Diversas fuisse ab Synagogis probatur ibid. & seq. Ecquando demum in unum coaluerint 293.
Psalmi Davidici ecquando cantari coepti sunt in Ecclesia 327
Psalmodia ab usque primordiis Ecclesiae usitata 325. & seq. Ea constabat hymnis, atque Odis ab eruditis Christianis conscriptis ibid In illis Christi praecipue divinitas asserebatur ibid. Hymni Pauli Samosatensis damnati 326.
Publicanorum triplex classis, *Mancipes*, *Socii*, & Sociis *auctorati* 128. Matthaeus Apostolus

lus in tertiam classem locandus ibid. Publicani, quorum frequens mentio in Evangeliis, ad tertiam itidem classem pertinent. Horum mira egestas ibid.
Publicanus idem, ac peccator 30.
Publicum agere in re vectigali est exigere 128.
Purgationes quorumdam tantum criminum, non omnium dari Gentiles opinabantur 371.
Purificationes suas habebant & ipsi Ethnici, non solum Hebraei 176.
Putativos filios non ignoravit antiquitas 130.
Puteolis non parva Judaeorum manus degebat 279.
Pythagorae discipuli alii Pythagorici, alii Pythagorei, alii Pythagoristae dicti 244.
Πάλιν proprie est rursus, non iterum. Item πάλιν pro retro 179 n. (*).
Παραδέχεσθαι est tenere, & apprehendere 30.
Παράκλησις nonnunquam est exhortatio 308.
Παρακύειν est contemnere 40.
Παραλαμβάνειν in sacris quid sit 324.
Πεζεύειν pedibus ire proprie contrarium habet navigare 35.
Πενταπρώτοι quinque primi cujusque Curiae 105. n. (19).
Περιτρέπειν ab Latina ne, an ab Graeca origine arcessendum 322. & seq.
Πέτρα Petra Matth. XVI. non est Petra fundamentalis, sed rupes 37. & seq. Tum πέτρα apud vetustissimos etiam Graecos lapidem notat, frequentius tamen rupem 219. n. (1) Apud LXX. Interpretes, & apud Evangelistas semper rupem ibid.
Πίστις quid sit 307.
Πλήρωμα idem, ac fortitudo apud Matth. IX. 16. 27. & seq. Interdum est plenitudo 338.
Προσδέχομαι apud optimos quosque Graeciae Scriptores etiam expectandi vim habet 102. c. 2.
Προφητόφονται Prophetarum occisores per invidiam Catholicos appellabant Cataphygae 47.
Πλύειν non vannum, sed palam, aut ventilabrum notat 9.

Q

Qui potest capere capiat, formula in Evangelio non infrequens, quid notet 42.
Quirinus Praeses Syriae an primus Judaeam censuerit 117.

R

Rabbi veteribus Judaeis cognomen fuit, at recentibus praenomen 47. 149.
Redempti ab hostibus lege Attica ejus erant, qui redemerat 308.
Reges Regum titulus Orientalibus Regibus passim usurpatus 356.
Regnum Dei pro *Regno* Evangelii positum 21.
Rei levium criminum in quinquennalibus, aut decennalibus Principum dimitti soliti 56.
Renovatio pro baptismate 363.
Reos sibi exhibitos Romani Praesides non statim, sed prius in custodiam traditos, postea interrogabant 156. Ii mox mulctandi succingebantur pudoris causa 213.
Repudium Moses non praecepit, sed id jam usu receptum inter Judaeos libelli porrectione mitigavit 40. & seq
Resurrectionem post propagatum Christianismum nonnulli etiam Gentilium imbibesunt 266.
Revocare verbum convivale, i. e. prandii vicem reddere 146.
Rhodus Vrbs *Sponsa Solis* dicta 382.
Roma Babylon etiam dicta in agrariis fragmentis 370. Itidem Vrbs Magna per antonomasiam 380.

S

Sabbati ἀργία coeremoniale praeceptum erat 80.
Sacerdotii notio latius patebat apud veteres Christianos 367.
Sacra suscipere, accipere, percipere quid sit 324.
Sacrificia cum conviviis conjungebant veteres 255.
Saetabis Hispaniarum Vrbs linificio percelebris 94. Vnde sic dicta ib.
Sal evanescere, aut infatuari quid 15. Sal in sacrificiis nunquam non adhibitum 231. Sale, addito pane, jentare solebant veteres 232. Philosophi, ubi laute convivari vellent, pani pauxillum salis addebant ib. Femioribus hominibus pro opsonio erat.
Salvator vox Latinis etiam scriptoribus usurpata 120.
Sandalium vox unde descendat 286. c. 1. Ab Tuscis eam accepere Latini 290.
Sanguinem an revera Christus sudarit 174.
Sapientia pro calliditate 309.
Sapor quandoque pro odore ponitur 77. n. (2)
Scholae sunt quaevis aedificia conventibus destinata 267. Schola Gentilium quid 295. c. 1.
Scientiae clavis quid sit: vide γνῶσις.
Scissio vestium doloris indicium veteribus fuit 53.
Scriptura dicti sunt libri sancti, ut discriminarentur ab traditionibus 12.
Secta Christi etiam Religio dicta ab veteribus 274.
Secundae nuptiae vitio versae etiam apud profanos 315.
Semicinctium cujus formae fuerit, cujusque usus 297. & seqq. An idem, ac ventrale ibid. & n. (1). Quam vim habeat in eo nomine vox *semis* ibid. c. 1. Num idem respondeat Pontificis *gremiali* 300. c. 2.
Seminiverbius in bonam etiam partem positus 264.

Digitized by Google

Sententiae a ſtantibus dicebantur 242.
Sepulcrorum aditus diligenter occludi olim ſolitus 86. & ſeqq. Ea aut e lapide extruebantur, aut excidebantur in rupibus ibid.
Sepulcrum virgo pro ſepulcro novo 224. Tum ſepulcrum, in quo Chriſtus ſepultus eſt, ὑπόστρον erat, id eſt in rupe excavatum 219. c. 1. Sepulcrorum area, ſive ambitus definitus erat, ac religioſus ibid. c. 2. Ea area *Hortus* Latine dicebatur, Graece κῆπος ibid.
Servator vim Graeci σωτῆρος non aſſequitur 120.
Servi per convivium manumiſſi 145. Servi literati quinam erant 189.
Seſſio ad dexteram ſummus dignationis locus habitus 46.
Signa confeſſionis quid ſint 217. c. 1.
Siliquae quid 146.
S. Simeon ſenex ſacerdos non fuiſſe videtur 121. & ſeq. Neque quum infantem Jeſum in ulnas accepit, ſacerdotalis functio fuit ibid.
Sindonis vox Hebraicae originis 89. c. 1. Virile aeque, ac muliebre indumentum erat ibid. Eccur ſindon *byſſus* quandoque dicta eſt ibid. Ejus forma, quatenus veſtis, erat quadrata ibid. c. 2. Eas in lectis dormituri proſternebant ibid. *Sindon pura*, id eſt nova 91. n. (*) Sindones in faſcias ſcindebantur, quae uſui forent ſive obligandis vulneribus, ſive vinciendis cadaveribus, ſive lectis deligandis 91. c. 2. 92. & 93. c. 1. Rectius, quam *Sanctam Sindonem* vulgo dicunt, *Sacrum Sudarium* dicendum foret 93. c. 1.
Singularis aliquando tantumdem valet, ac ſolitarius 81.
Siticines quarto Eccleſiae ſaeculo in Chriſtianis funeribus adhibiti 28.
Soccus unde deſcendat 288. Juſtus calceus erat, qui pedem ſuperne etiam obtegeret ibid.
Solaria oraturi eccur aſcendebant veteres qua Judaei, qua Chriſtiani 255.
Soldariorum amor amicis commorientium 202.
Solea, cujus originationis ſit 287. & n. (**).
Somnus, pro morte uſurpatus cum ab Chriſtianis, tum ab profanis Scriptoribus 195.
Sorores feminae quaenam fuerint apud veteres Chriſtianos 329.
Speculator, non ſpiculator ſcribendum 82. tum unde id nominis deſcendat ibid.
Spiritus S. notitia comperta Judaeis fuit ſequiori aevo 267. Spiritus quid proprie notet 183.
Spolia damnatorum, quae *Pannicularia* dicebantur, olim militibus, aut carnificibus addicta, deinde in Chartiaticum erogata 210.
Sponſa Solis Rhodus urbs dicta 382.
Stantes apud veteres Chriſtianos dicti, qui tempore perſequutionis minime lapſi fuerant 307.
Stare in Evangeliis ſaepe eſt verbum miniſteriale pro miniſtrare, praeſto adeſſe 173.
Subintroductae quid ſint 319. Sorores etiam dictae ibid.
Succincti dicebantur, qui cinctura ſubtus in ilibus habebant 298. Ab his diverſi erant Alticincti, qui cincturam alte in ſummo pectore geſtabant 227. c. 2.
Succinctorium quid ſit 298. c. 2. n. (3).
Sudarii vox Latina ne, an Syriaca 93. c. 2. & ſeq. Ejus originatio ex Chaldaeo arceſſitur 94. c. 2. 95. c. 1. Sudarii forma ib. c 2. & ſeq. Eo utebantur ad obtegendum cum denatorum, tum vivorum caput 98. c. 2. Reſpondet etiam hodiernae tobaleae 99. c. 1. Ac tum longior erat ejus forma, quam latior ibid. Ejus ſudarii forma, quo Chriſti caput obnuptum fuit 99. c. 1.
Superſtitio unde dicta 265. In bonam partem accepta ibid.
Suppernare quid 212.
Suſcipere benevolentiae vocabulum eſt 39. Suſcepti dicebantur clientes ibid.
Sycaminum quid 150.
Sycomorum idem, ac Sycaminum Alexandrinum 150. & ſeq. Quid ſit ibid. Quomodo Sycomorum ſcripſerint veteres per *u*, an per *o* 151. n. (*).
Symphonia quid apud Graecos, quid apud Syros notet 147.
Synagogae diverſae a Proſeuchis 191. Earum forma nihil commune habebat cum Theatris ib. Neque in celſo ponebantur, neque extra Vrbes extrui mos erat ib. & 293. Subdivales non erant ib. In iis ſecretus erat virorum, ac mulierum locus ibid.
Synedrio Hieroſolymitano univerſum Iſrael parebat 105. c. 1. Cauſſas capitales, ac de Religione cognoſcebat ibid. Ejuſdem potiorem partem Phariſaei conſtituebant ibid. n. (25).
Syniſactae, ac Syniſacti qui fuerint 320.
Σημεῖα proprie ſunt ſigna e coelo 33.
Σκῆνος pro corpore 329.
Σπαταλάω quid ſit 365.
Σπεῖρα vox Helleniſtica 57. & ſeq. Profanis etiam Scriptoribus uſurpata ib. Notat primo funem ſparteum nauticum, tum deinde cohortem militarem ib. & 58. n. (4). Ea nec ipſos Latinos latuit ib. & n. (4) & (5). Ejuſdem origo ex Hebraeo ibid.
Σπίνδομαι quid ſit 358.
Σπερμολόγος quid ſit 264.
Στενοχωρία quid ſit 167.
Στήκειν quid ſignificet 307.
Στηρίζειν quid ſit 148.
Στρατευόμενοι milites erant non Romani, ſed Judaei 110. c. 1. & n. (42).

Digitized by Google

Στρατηγοὶ in municipiis, & coloniis Graeciae quid fuerint 108. c. 1. Iidem, qui per Italiam Praetores, aut Duumviri dicti sunt ib. Non inepte Evangeliorum Latini interpretes στρατηγοὺς *magistratus* reddiderunt ibid. & n. (33) & (36). Στρατηγοὶ τοῦ ἱεροῦ quid sint in Evangeliis 108. c. 2.
Συναλίζεσθαι est convivari, convesci 231. Ejus verbi originatio ibid.
Συνοδία est comitatus 124. Eccur Coenobia συνοδίαι appellata ibid.
Συρτὸς Tunica longior, ac non praecincta 228. n. (8).
Σωτήριον nunquam substantive ponitur in novo foedere, multo minus apud profanos Scriptores 122.

T

Talaria unde dicta 287.
Tapetes viris gravibus, ac maxime sapientibus iter agentibus substernebant veteres 44.
Targumistae qui fuerint 321.
Tarsus litterarum, studiorumque fama percelebris 304.
Taurobolio lustratos in aeternum, sive in longum tempus se purgatum iri opinabantur Ethnici 180. Taurobolium post XX. annos iterabatur ibid. n. (*).
Tenebrae exteriores, sunt carcer extra carcerem 25. Locus insignis desumtus ex Actis S. Vincentii M. ibid. Ita etiam dictae comparate ad lucernarum jubar, quod intra domum noctu discumbentibus affulget 46.
Tetrarcha est is, qui quartae alicujus regionis parti praepositus est 160. Eorum prima institutio inter Macedones obtinuit sub Philippo Alex. M. patre ibid. c. 2. Obtinuit & inter Gallograecos 161. Successu temporis Tetrarchae dicti sunt cujusvis regionis reguli, quamvis quatuor non essent 162. Quot Tetrarchae variis temporibus in Judaea imperitarint ibid. n. (6). Tetrarchiarum numerus ingens per Galatiam Plinii senioris aevo ibid.
Theodas idem, ac Theudas 243. Vnde id nomen contractum sit ibid.
Theodoretus Antiochenus presbyter eunuchus natus, atque ob id Constantino Imperatori acceptus 41.
Theodosius, & Theudosius aliquando dictus 243.
Theologi quinam audierint inter Gentiles 374. Quo jure ita dicti 375.
Theophilus, quem Evangelio praescribit Lucas, nomen est non genericum *Amator Dei*, sed personae peculiaris 112. Is Theophilus etsi Provinciae Rector non fuerit, tamen, utpote libertinae conditionis, minorem aliquem magistratum gerebat ibid.
Thessalia in quatuor Tetrarchias olim divisa 180.
Throni duodecim Apostolis assignati non tam ad extremi judicii consessum, quam ad praesens Ecclesiae regimen pertinent 43. Thronis & Magistratus in judicando, & in docendo Magistri usi sunt ibid.
Tituli bilingues in sepulcris, ac nummis sculpi soliti 209.
Tollere serpentes quid 87.
Totus pro omnis 328.
Tradere per manus, quid sit in constituendis Magistratibus 285.
Traditiones non scriptae Hesychio cognitae 350.
Traditor pro proditore 84.
Transeat a me calix: formula ab iis usitata, qui bibere recusarent 51. & seq.
Tunica, qua se Petrus succinxit, ut natando ad Dominum pergeret, cujusmodi formae fuerit 225. & seq. Tunicarum triplex genus 227. c. 1. 229. c. 2. Tunica recta, quae fuerit 225. n. (3) & 228. n. (8).
Tzanga, cujus originis sit 289.
Ταπεινὸς *Humilis* apud Hellenistas, uti etiam apud Christianos non vitii, sed virtutis vocabulum.
Τετράμηνον quid sit 186.
Θεῖος λόγος divinum verbum pro fide Evangelica 257.
Θέλημα aliquando pro opere ponitur 170.
Θλιβόμενοι qui fuerint in veteri Ecclesia 355.
Θλῖψις quid sit 167.
Θρόμβος non solum grumum significat, sed etiam guttam 154.
Τιμὴ apud Hellenistas, & honorem, & honorarium notat 355.

V

Vae Latinum non est ab Graeco οὐαὶ 32.
Verba status cum praepositione motus enunciata 271. Item verba Graeca-latina formatione constructa 329.
Verberare civem Romanum nefas, nisi prius eidem perduellio judicata fuisset 264.
Verbum eccur maluerint appellare secundam Trinitatis Personam, quam aut *Rationem*, aut *Sermonem* 168.
Veritatem testem advocabant veteres Christiani juraturi 256.
Vestes mutatoriae divitum propriae 30. Eas Apostolis interdixit Christus ib. Vestes damnatorum olim militibus cedebant 40.
Vestimentorum scissio Judaeis, Graecis, ac Romanis frequens ad testandum dolorem intrinsecus 53. Hujus moris origo 54.
Vexare pro *cribrare* positum non male 153.
Videre aliquando Latinis est salutare 264.
Viduarum ordo peculiaris in veteri Ecclesia 355. Viduae appellatae etiam virgines ibid.

Vi-

Digitized by Google

Viduae dictae etiam feminae a viris secubantes 354.
Viduas ad secunda vota transire, etiam apud Gentiles indecorum 315.
Villicus cum uno L. effertur in antiquis inscriptionibus 147. Erat vero apud antiquos cujuscumque rei procurator ib.
Vincomalus nomen Christianis hominibus impositum 305.
Vinum pro aceto, & rursus hoc pro illo usurparunt veteres 59. Quod Christus calici admiscuit, rubrum fuisse ostenditur 78. c. 1. Item vinum filius vitis dictum Hebraeis aeque, ac Graecis 51. Illud divitum modo mensis adhibitum 68. c. 2. Eccur defecerit in nuptiis Cana Galilaeae 176.
Virgines viduae dictae, ac viduarum ordini accensitae in veteri Ecclesia 353.
Virginitas dedecori habita etiam inter Hebraeos ante Evangelii promulgationem 314.
Virgo pro filia 315.
Viscera, Latini filios, aut quos filiorum loco habebant, nuncupabant 362.
Visui ne, an auditui priores partes sint deferendae 394.
Vniversale Judicium jam jam instare credebant veteres Christiani 185.
Vnivira, Vniviria, & Vnicuba dicta unius viri uxor 355. Tum univirae feminae ab Gentilibus ad Sacerdotium promotae ibid.
Voluntas carnis quid sit 170. & seq.
Vox caelestis quid 259.
Vr, Vrbs Chaldaeorum in Mesopotamia fuit 245.
Vrbs Sancta Jerosolyma dicta, idque usurpatum ab Ethnicis etiam Scriptoribus 12. Eccur id epitheton ei attributum ibid.
Vsuras Christus omnino vetuit 134. Lege etiam duodecim Tabularum Romanis interdictae ibid.
Vxoribus vetitum lege Mosaica, veterique etiam Gentilium instituto ab viris divertere 32. Vxoribus nunquam usi sunt majores Clerici Africani 314.

Y

Υπόθεσις *Superpositio* quale jejunium fuerit 67. Eccur ita dictum ibid. & n. (1).
Υπόστασις sensu philosophico ab Paulo accipitur ad Hebraeos 362.
Υστερούμενοι quinam dicti sint? 181.

Z

Zachariae Baptistae Patri, quo die Angelus apparuerit 113.
Zanga, calceus praecipuae dignationis Augustorum proprius 289. Ejus origo Syriaca ib. Forma pene eadem, quae nunc est Pontificalium ocrearum, quas vocant ibid.
Zeleuci Locri legislatoris memorabile exemplum 16. Aliud 18. Ejusdem lex de adulteriis ibid.
Ζηλῶν, verbum mediae significationis 322.
Ζητεῖν pro *petere* 22. & seq.
Ζωστὸς erat tunica, quae cinctura in renibus adstringebatur 228. n. (8).

FINIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google

Digitized by Google